








HISTORIA REIPUBLICAE ET IMPERII ROMANORUM

AB

URBE CONDITA AD ANNUM URBIS DCCXXVII.

quo Octaviano Caesari summa Imperii cum nomine Augusti delata fuit.

Contexuit ex monumentis veterum

G. H. NIEUPOORT.

TOMUS I.



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud JACOBUM BROEDELET.
MDCCXXIII.

VIRO
AMPLISSIMO, NOBILISSIMO, JURISPERITISSIMO, OMNIQUE ALIO ERUDITIONIS GENERE EXCELLENTISSIMO

GUILJELMO VANDER MUELEN

DOMINO DE OUDBROUKHUISEN, NIECOOP, PORTENGEN, &c. D. MARIAE DECANO, CURIAE TRAJECTINAE SENATORI, AGGERUM, QUI INFERIOREM LECCAE PARTEM COERCENT, PRAEFECTO, &c. &c.

S. P.

GUILJELMUS HENRICUS NIEUPOORT.

Offero tibi tandem, VIR AMPLISSIME, post longam

gam ſatis moram, quam partim typothetarum tarditas, partim variae occupationes meae interpoſuerunt, HISTORIAM ROMANAM, quam Ampliſſimo tuo Nomini inſcribere dudum promiſeram. Et tamen citius hoc nomen expungere potuiſſem, niſi id fixum & ſtatutum apud animum meum foret, nihil unquam hujus generis ſcriptis committere, niſi quod certa veterum Auctorum fide nitere-

re-

retur. Illi ergo curae ut ſatisfieret neceſſe fuit attento animo retractare quicquid Scriptores priſci de rebus Romanis vel conſulto, vel praetereuntes tradiderunt. Nec ſimplex haec cura fuit; cum ex eorum comparatione veritas demum, quantum fieri potuit, eruenda fuerit. Verum quicquid hujus rei ſit, tandem hoc opus meum abſolvi, utque illud comiter, quae tua eſt indoles, accipere, & ocu-

lis benignis perlegere velis, enixe rogo; hoc sperans te, Vir Amplissime, eo beneficio me esse affecturum, ut, ubi quid minus bene aut dictum, aut narratum fuerit, me ejus rei admonere digneris. Nam harum rerum idoneum te praecipue esse judicem, tot praeclara ingenii tui & singularis eruditionis monumenta testantur, quibus omnium ordinum viros doctos, qua patet eruditus orbis, aeter-

ternis beneficiis tibi devinxisti: praesertim cum non juris civilis modo scientiam, qua tantum tibi nomen, tantam dignitatem parasti; sed theologiae praeterea, philosophiae, historiae summam in te peritiam esse testentur. At ulterior laudum tuarum praedicatio neque tuae modestiae, neque meo ingenio a minima etiam specie assentationis alienissimo conveniens sit. Ergo non ultra te,

Vir ſumme, morabor: ſed Deum precatus, ut te diu Reipublicae incolumen ſervet, rogo, ut aliqua amicitiae tuae parte me dignum cenſere velis. Trajecti ad Rhenum. XII. Kal. Septembres Anni CIↃIↃCCXXIII.



PRAEFATIO

LECTORI BENEVOLO,

S. P.

NIhil caussae esse videtur, Lector Benevole, cur te in hujus operis ingressione multis morer praedicando laudes, tum Historiae generatim atque universe; tum singillatim Historiae Romanae: *cum utrumque a Viris praestantissimis in libris eorum passim obviis abunde praestitum sit: neque ullus puto inveniatur, qui rem manifestissimam negare velit, nisi qui ab omni cura vitae cum honestate degendae, & publico sua opera utilitatem aliquam afferendi prorsus alienus sit. Tales enim homines neque ipsi bonas artes curant; neque, ut nos eos multum curemus, digni sunt. Est tamen, quod paucis te*

monere velim, ita ut una opera instituti mei rationes explicem.

Cum vidissem brevem explicationem meam rituum, qui quondam apud Populum Romanum obtinuerunt, propensa animorum inclinatione fuisse receptam, ita ut jam tertio in hac urbe opusculum illud editum sit (ut de editione ejus in Germania *facta sileam) animus etiam mihi additus est alterum opus, & longioris argumenti, & componendi labore multo difficilius aggredi; ipsius nempe Historiae Romanae enarrationem. Nam non Antiquitatum tantum, sed etiam Historiarum Principis quondam Populi scientia quaedam requiri videbatur, ut iis animus rite praepararetur ad seriam lectionem Scriptorum veterum, sive illi Latini forent, sive* Graeci, *qui res Romanas tractandas susceperunt, vel etiam quasi praeterientes*

ea-

earum mentionem faciant. Neque enim ad historicorum tantum librorum intelligentiam necessaria est haec cognitio: verum neque Poëtae, neque Philosophi, neque Oratores denique, si ea absit, recte intelligi possunt: praecipue Cicero, *qui passim, & quavis occasione, tam in libris oratoriis, quam in philosophicis, & etiam in Epistolis historiarum veterum mentionem injicit: cujus praestantissimi Oratoris & Philosophi lectio nimium profecto a juventute hodie negligitur. Non alio autem fine negotium, quale hoc est quod ego suscepi, aggrediendum judico, quam ut minus salebrarum in Historiae Romanae pervestigatione invenientes juvenes lubentius simul & utilius studio huic fructuosissimo incumbant. Atque ut ita, qui aut Reipublicae administrationi aliquando, aut altioribus studiis tractandis se tradituri sunt,*

monere velim, ita ut una opera instituti mei rationes explicem.

Cum vidissem brevem explicationem meam rituum, qui quondam apud Populum Romanum obtinuerunt, propensa animorum inclinatione fuisse receptam, ita ut jam tertio in hac urbe opusculum illud editum sit (ut de editione ejus in Germania *facta sileam) animus etiam mihi additus est alterum opus, & longioris argumenti, & componendi labore multo difficilius aggredi; ipsius nempe Historiae Romanae enarrationem. Nam non Antiquitatum tantum, sed etiam Historiarum Principis quondam Populi scientia quaedam requiri videbatur, ut iis animus rite praepararetur ad seriam lectionem Scriptorum veterum, sive illi Latini forent, sive Graeci, qui res Romanas tractandas susceperunt, vel etiam quasi praeterientes ea-*

earum mentionem faciant. Neque enim ad historicorum tantum librorum intelligentiam necessaria est haec cognitio: verum neque Poëtae, neque Philosophi, neque Oratores denique; si ea absit, recte intelligi possunt: praecipue Cicero, *qui passim, & quavis occasione, tam in libris oratoriis, quam in philosophicis, & etiam in Epistolis historiarum veterum mentionem injicit: cujus praestantissimi Oratoris & Philosophi lectio nimium profecto a juventute hodie negligitur. Non alio autem fine negotium, quale hoc est quod ego suscepi, aggrediendum judico, quam ut minus salebrarum in Historiae Romanae pervestigatione invenientes juvenes lubentius simul & utilius studio huic fructuosissimo incumbant. Atque ut ita, qui aut Reipublicae administrationi aliquando, aut altioribus studiis tractandis se traditura sunt,*

sunt, ex optimis quibusque veterum praecepta, exempla; ritus singulares, qui aliquando ad imitationem trahi possint, quicquid denique usui esse queat, facilius hauriant. Neque vero id agere volui, ut compendiis hisce aut similibus scientiarum contenti adolescentes hos tantum rivulos sectari neglectis fontibus instituant. Nam hoc si faciant, quibus otium est & occasio literis operam dandi, nae celeri gradu ad barbariem, quibus immersa fuerunt superiora secula, recursuri sumus. Cum hunc igitur finem animo mihi proposuissem judicavi, ut commodius statim Scriptores veteres consuli possent, itidem ut in explicatione rituum Romanorum feceram, eorum loca ad imam paginam esse citanda, accurate etiam divisionibus minoribus, quibus hodie fere & merito, scriptores veteres distingui solent, adscriptis; ne tem-

temporis, rei pretiosissimae, jacturam facere quis cogeretur. Et anxiam fere diligentiam illi negotio adhibui: nam cui bono esse potest, si, ut quosdam facere video, vel Auctor tantum aliquis; vel non accurate Auctoris locus indicetur, ubi id de quo agitur, inveniri possit? Aut cui otium suppetat totum librum auctoris citati evolvere, ut ipsum locum, quo consulto opus habet, inveniat? In rerum delectu optimis Auctoribus & fide dignissimis maxime adhaesi: ita tamen, ut etiam inferioris ordinis auctores non inconsultos omitterem: & aliquando, ubi inter plures non conveniebat, ex rerum circumstantiis illud, quod veritati propius accedere videbatur, deprehendere conatus sum. Paucas observatiunculas hinc inde interspersi: sed vere paucas: neque enim tantum mihi arrogo, ut ubique judicium

meum interponere velim: & praeterea Lectoribus & jucundius est, & utilius, si ipsi in caussas rerum & effectus ulterius penetrare conentur. Saepe nihilominus caussas eventuum, quantum quidem fieri potuit, indagavi: easque quandoque adscripsi. Nam, prorsus hoc negligere, fabulas pueris narrare potius dicendum est, quam historiam scribere; *ut antiquissimi Historici*[a] *verba mea faciam. Quod chronologicas rationes attinet, potissimum secutus sum accuratissimi* Stephani Venandi Pighii *Annales summa sane diligentia summoque judicio confectos: ita ut lubens fatear, eos mihi toto hujus operis tractu egregium auxilium adfuisse. Ea porro quae vituperatione digna censebam libere damnavi, quanquam id faciendo a vulgi opinione aliquando discedendum fuerit:*

[a] *P. Sempronii Asellionis ap. Gell.* v. 18.

fuerit: ubi vero hominibus etiam improbis laus deberi videbatur, neque hanc iis denegandam credidi. Nequaquam tamen censui Romanos, ne ipsos quidem Catones, aut alios celebratissimae vulgo probitatis viros, tanquam sincerae virtutis exempla ante oculos esse ponendos; quin contra eorum etiam immania rapacitatis, luxuriae, crudelitatis, perfidiae specimina plura prodidi. Et male certe de moribus mereri videntur, qui ubique nobis virtutes Romanorum tanto fastu inculcant, quae post tempora certe Sullana, vitiorum multitudine prope obrutae jacuerunt. Solam fere fortitudinem militarem in quibusdam excipio: ut praesertim in Julio Caesare, *qui in ea laude parem sibi vix unquam habuisse videtur. Atque ita exemplis suis docere conati sunt Romani,* sua retinere privatae domus; de alie-

nis certare regiam laudem esse [a]. *Inveniet forte etiam Lector, ubi credere possit, me nimia quadam libertate sensa & consilia mentis meae explicuisse. Verum hoc me ita fecisse confido, ut neminem, merito quidem, laeserim: atque ut decebat hominem liberum in libera civitate natum: quam libertatem Reipublicae nostrae incolumem, & omnibus suis partibus sartam tectam supremi Numinis benignitas conservare velit. Quibusdam etiam taedium forte creare possit bellorum non maxime momenti, & cum iisdem populis plerumque gestorum, quae primis Reipublicae temporibus contigerunt, narratio. Neque diffiteor, mihi ipsi, dum ea scriberem, aliquam molestiam quandoque ex ea re fuisse natam quae tamen prorsus omitti non potuit, ne series rerum interrumperetur: & hinc*

a *Tacit. Ann.* XV. c. I.

hinc inde praeterea, ni fallor, exempla satis luculenta prudentiae & fortitudinis illae narrationes exhibent. Illud denique hic adjiciendum duxi, nihil huic operi nostro commune esse cum illo, quod haud ita pridem edidit Reverendus Abbas Vertotius, *cuique titulum fecit,* Histoire des Revolutions arrivées dans le Gouvernement de la Republique Romaine. *Istius operis laudi absit, ut quicquam detractum velim: quin contra profiteor, me illud cum voluptate legisse. Sed, cum, ut ipsa operis inscriptio indicat, propositum R. Vertotio non fuerit seriem continuam Historiae Romanae tradere, sed insigniores modo mutationes in Republica Romana factas narrare, facile quivis videt, longe alium ipsi, quam nobis scopum fuisse animo destinatum. Operarum menda, quae satis multa deprehendi poterunt, aequi*

 boni-

bonique Lectorem consulere velim: inter quae illud gravissimum est, quod ab initio Libri tertii, sive a pagina 256, ad paginam usque 497. atque ita per totum illum librum, & totum librum quartum, atque initium quinti ad summam paginam hanc notam Lib. II. *ponere perrexerint. Ego ipsis, & mihi, sicubi forte erraverim, veniam a Lectoribus peto: eosque valere, & bene rem gerere jubeo.*





PROLEGOMENA

AD

COMPENDIUM HISTORIAE ROMANAE.

Primi *Italiae* coloni *Aborigines* dicti fuisse videntur; quod de vero eorum nomine non satis constaret; quasi ita vocaverint posteri eos, qui a prima rerum *Latinarum origine* in *Latio* habitarunt [a]. Vir vero spectatae eruditionis & elegantis judicii *Joannes Vincentius Gravina* Jurisconsultus hodie & Antecessor *Romanus* in *Dialogo de lingua Latina p. 673. edit. Lips.* ita dictos esse vult *Arcades* in Italiam profectos, quod *montes*, τὰ ὄρη, occupassent [b]: de qua re suum cuique esto judicium.

a *Vid. Dion. Hal. I.* 10. b *Vid. auctorem de Or. gent. Rom.*

Ego cum egregio Viro *Jac. Perizonio* in *notis ad Aeliani Var. Hist.* IX. 16. putem non proprium nomen populi alii cujus hoc fuisse, sed quosvis regionis alicujus primos incolas ita fuisse dictos; atque ita hoc nomen primis his Italiae incolis tum demum fuisse datum, postquam etiam alii populi in Italiam migrare coeperunt. Videntur ergo hi Aborigines non multis post dispersionem gentium seculis ex *Asia* per *Graeciam* in Latium, sive in illum tractum, Italiae qui est inter *Tiberim* & *Lirim* fluvios, venisse, diu ante quam *Oenotrus* cum Arcadibus suis eo accederet: unde patet *Janum*, & qui eum proxime secuti sunt Reges, Aboriginum, non *Oenotrorum* Reges fuisse. Post hos diversis temporibus in Latium, sive in Italiam venerunt *Siculi* [a], *Umbri* [b], *Ligures*. Ex his Siculi ab Aboriginibus, & advenis quibusdam *Pelasgis* pulsi in Insulam proximam trajecerunt; eamque a se *Si-*

a *Dion. Halic. I.* 16, 17. b *Ibid. c.* 18.

Siciliam dixerunt annis circiter octoginta ante excidium *Trojae* juxta *Philistum* [a]. *Ausonum* quoque antiquissima gens [b], (hi etiam *Aurunci* sunt dicti [c]) *Scythicae* forte originis [d], diu ante Trojae ἅλωσιν circa Liris amnis ripas consedit. Iidem etiam a Graecis *Opici*, a Latinis *Osci* sunt dicti [e]; licet ut diversae gentes recenseantur a *Polybio* apud *Strabonem L.* v. *p.* 242. Ab Ausonibus sive Oscis porro varii Italiae populi, *Samnites*, ex gr., *Sabini* &c. & ab his rursus alii propagati sunt. Et cum apud antiquos Siculos Opica sive Osca lingua in usu fuerit [f], ejusdem, vel affinis certe originis esse debuerunt. Primi post Aborigines, & ante Oenotros (ut quidam ex *Plinio H. N.* III. 5. colligunt) in Italiam venere Pelasgi a *Deucalione Thessa-*

 lia

a *Dion. Halic. I.* 22. b *Ibid. I.* 11. c *Vid. Fest. V. Ausoniam.* d *Vid. Th. Rijke Dissert. de primis Italiae colonis, & Aeneae adventu in It. c.* 2. e *Aristot. Politic. VII.* 10. *Vid. & Fest. V. Oscum.* f *Vid. Stephan. V.* Γέλα.

lia pulsi circa annum Periodi *Julianae* 3186. sive ante primam *Olympiadem* A. 752. & post breve bellum ab Aboriginibus recepti Siculos, ut diximus, simul cum iis Italia ejecerunt: sed partim mortalitate extincti sunt, partim Italiam rursus reliquerunt; sic ut tandem nihil praeter *Cortonam Etruriae* oppidum vetustissimum ipsis reliquum foret; quam Cl. *Rycquius* [a] minus recte *Crotonam* vocare videtur. Oenotrios porro quidam septemdecim aetatibus, sive annis circiter 510. (quod esset circa tempus mortis Patriarchae *Jacobi*, vel paulo post) ante halosin Trojae in Italiam venisse putant; Sed rectius *Pausanias* ab Oenotro ad Trojam captam septem duntaxat generationes memorat *L.* VIII. sive in *Arcadicis c.* 3. *sqq.* Sexaginta rursus annis ante Trojae casum *Evander* Arcas cum parva popularium manu in Italiam venit. Hic concedente *Fauno*, qui tum Aboriginibus impera-

a *Differt. s. d. c.* 3. *n.* 20.

rabat, urbem patriae suae cognominem *Pallantium* in tumulo prope Tiberim condidit; qui tumulus inde levi, ut fit, mutatione *Palatium* & *Palatinus* est dictus. Septem post Evandrum annis *Hercules* per Italiam transiit relictis ibi *Pheneatibus*, *Elidensibus*, & Trojanorum nonnullis [a], quos Hercules capto quondam *Ilio* secum in commilitium abduxerat: atque hi *Capitolinum* montem insederunt. Hos omnes denique secutus est cum Trojanis suis *Aeneas Anchisae* & *Veneris*, ut credebatur, filius, postquam Troja a Graecis deleta esset. Ex quibus omnibus patet non a solis Trojanis ortos fuisse Romanos; sed etiam alios populos iis originem dedisse. Verum quia pauci olim, plures hodie, & inter eos viri maximi nominis hunc adventum Aeneae, in Italiam negant, breviter quaedam praefabimur, (ductum maxime Cl. Rycquii secuti) quae vulgatae opinioni fulciendae condu-

a *Dion. Halic.* I. 34.

cere videntur: non ita tamen, ut omnes omnino circumſtantias, quibus a variis ſcriptoribus haec hiſtoriae pars exornatur, praeſtare velimus; ſed ut univerſim rei veritatem non nimis pertinacibus probabilem ſaltem reddamus.

Primo igitur ſatis conſtare poteſt, hiſtoriam belli Trojani nequaquam ab *Homero* fuiſſe confictam; quod plurimi ante eum eandem rem literis mandarunt, quorum quidem ſcripta perierunt; ſed quorum memoria tamen apud ſcriptores hodieque exſtantes ſervata eſt: de quibus vide *Euſtathium prooemio ante Iliadem.* Idem videri poteſt apnd *Aelian. V. H.* XI. 2. & XIV. 21. licet ibi diſſentiat Cl. Perizonius (nempe quod Hiſtoricos illos, qui ante Homerum fuerint, attinet) maxime, ut videtur motus auctoritate *Dionis Chryſoſtomi*, qui declamationem ſcripſit Τρωϊκὴν dictam, ὑπὲρ τοῦ Ἰλίου μὴ ἁλῶναι, *Ilium non fuiſſe captum.* At hic Dio, *Pruſaeus* a patria, *Coccejanus* a patrono *Coccejo*
Ner-

Nerva, *Chrysostomus* ob *aurei oris* eloquentiam appellatus, Sophista fuit, qui animi gratia, ut Sophistae solebant, plurimas dissertationes scripsit styli exercendi & eloquentiae ostentandae caussa, & quidem luxuriose in *Socratem*, *Zenonem* & alios philosophos praestantissimos invehens; unde quivis facile videt nullam plane fidem hujusmodi viri assertiones mereri; non magis quam si quis *Luciani historiam veram*, aut *Erasmi* nostri *Moriae encomium* serio animo scripta fuisse credat; praesertim cum hanc orationem habuerit apud *Ilienses*, quorum urbs in solo veteris Trojae aedificata fuerat, in festo anniversario, ad quod, inter alios artifices, etiam Oratores conveniebant. Denique tota Dionis oratio nulla auctoritate, nisi sacrificuli cujusdam *Aegyptii* (gentis certe vanissimae & mendacissimae) nititur. Secundo, cum Homeri scopus fuisse videatur captare benevolentiam Principum, impudentissimi sane ho-

minis fuisset ea omnia plane ex cerebro suo nullo alio veritatis fundamento nixa produxisse. Tertio, multis etiam post Homerum seculis plurima monumenta hujus historiae exstabant; ut epistola *Sarpedonis* a Troja scripta, Plinius *H. V.* XIII. 13. hasta *Achillis*, & clypeus *Euphorbi*, *Ovid. Metam.* XV. *v.* 163. & quae plura ejus generis referri possent. Quarto; Omnes, vel certe plerique Graecorum Historici de mense & die expugnationis factae fere conveniunt, evenisse nempe vicesimo tertio die mensis *Thargelionis* juxta *Dion. Halic.* I. *c.* 63. vel juxta *Plutarchum Camillo p. m.* 138. vicesimo quarto ejusdem mensis, qui incidit in diem XII. *Junii Juliani* juxta calculos *Petavii*, & fuit feria quinta. Annum colligit Petavius Periodi Julianae 3530. qui fuit annus mundi 2800. Quinto, Communem opinionem juvat, quod Ilienses Romanos Asiam ingressos tanquam agnatos amplexi sint [a]: & quod deinde a *Sulla*, *Cae-*

sare

sare [b], *Claudio* [c], *Nerone* ingentibus beneficiis culti sint [d], & pro consanguineis habiti [e]. Sexto, confirmatur praeterea hujus rei veritas conversionibus rerum publicarum, migrationibus populorum, aliisque eventibus ex hoc excidio natis, vel illud subsecutis; ut etiam exstructionibus multarum urbium factis ab illis Graecis, qui huic bello interfuerant; & quidem in ipsa Italia. Quales fuerunt *Salapia* [f], *Hadria* [g], *Sybaris* [h], *Thurii* [i], & plures aliae. Quod autem Graeci postquam domum redierunt afflicti (hoc enim ex fortissimis est adversariorum argumentis, quibus probare nituntur victores non fuisse Graecos; quippe quorum res post victoriam pejore loco fuerint, quam antea) hoc eo e-

a *Justin.* XXXI. 8. *Liv.* XXXVII. 37. b *Strabo L.* XIII. *n.* 594. c *Suet. Claud. c.* 25. d *Tacit. Ann.* XII. 58. e *L.* 17. §. 1. *ff. de excusat. l.* 1. §. 2. *ad municip. Justinian. Praef. Novell.* 47. f *Vitruv. I.* 2. g *Steph. V.* Ἀτρία. h *Solin. c.* 8. i *Aristot. Mirab. Ausc. p. m.* 1098.

minis fuiſſet ea omnia plane ex cerebro ſuo nullo alio veritatis fundamento nixa produxiſſe. Tertio, multis etiam poſt Homerum ſeculis plurima monumenta hujus hiſtoriae exſtabant; ut epiſtola *Sarpedonis* a Troja ſcripta, Plinius *H. V.* XIII. 13. haſta *Achillis*, & clypeus *Euphorbi*, *Ovid. Metam.* XV. *v.* 163. & quae plura ejus generis referri poſſent. Quarto; Omnes, vel certe plerique Graecorum Hiſtorici de menſe & die expugnationis factae fere conveniunt, eveniſſe nempe viceſimo tertio die menſis *Thargelionis* juxa *Dion. Halic.* I. *c.* 63. vel juxta *Plutarchum Camillo p. m.* 138. viceſimo quarto ejuſdem menſis, qui incidit in diem XII. *Junii Juliani* juxta calculos *Petavii*, & fuit feria quinta. Annum colligit Petavius Periodi Julianae 3530. qui fuit annus mundi 2800. Quinto, Communem opinionem juvat, quod Ilienſes Romanos Aſiam ingreſſos tanquam agnatos amplexi ſint [a]: & quod deinde a *Sulla*, *Caeſare*

sare [b], *Claudio* [c], *Nerone* ingentibus beneficiis culti sint [d], & pro consanguineis habiti [e]. Sexto, confirmatur praeterea hujus rei veritas conversionibus rerum publicarum, migrationibus populorum, aliisque eventibus ex hoc excidio natis, vel illud subsecutis; ut etiam exstructionibus multarum urbium factis ab illis Graecis, qui huic bello interfuerant; & quidem in ipsa Italia. Quales fuerunt *Salapia* [f], *Hadria* [g], *Sybaris* [h], *Thurii* [i], & plures aliae. Quod autem Graeci postquam domum redierunt afflicti (hoc enim ex fortissimis est adversariorum argumentis, quibus probare nituntur victores non fuisse Graecos; quippe quorum res post victoriam pejore loco fuerint, quam antea) hoc eo e-

 ve-

a *Justin.* XXXI. 8. *Liv.* XXXVII. 37. b *Strabo L.* XIII. *n.* 594. c *Suet. Claud. c.* 25. d *Tacit. Ann.* XII. 58. e *L.* 17. §. 1. *ff. de excusat. l.* 1. §. 2. *ad municip. Justinian. Praef. Novell.* 47. f *Vitruv. I.* 2. g *Steph. V.* Ατρία. h *Solin. c.* 8. i *Aristot. Mirab. Ausc. p. m.* 1098.

venit; quia in plures ſtatus malę hactenus pacatos diviſi erant. Tum praeterea plures etiam urbes a Graecis, qui Trojae excidio affuerant, conditas legimus: igitur, nec adeo afflictae eorum res fuere, & utique vera eſt hiſtoria. Denique veroſimillimum eſt, *Latinum* Regem bello cum *Rutulis* & *Etruſcis* implicitum avide occaſionem auxilii fortuito horum exulum adventu oblatam arripuiſſe. Ilienſes autem illi, quos alloquitur Dion, longe diverſi erant ab antiquis illis Ilienſibus, ſive Trojanis de quibus hic agimus. Quem Dionem ſi quis interroget, a quibus vetus Troja (quandoquidem conſtat, eam jam ab Homeri temporibus non amplius fuiſſe) everſa fuerit, nihil quod reſpondere poſſit, ni fallor, habeat. Strabonis vero tempore nulla amplius priſcae Trojae veſtigia apparuiſſe nihil mirum eſt, cum dudum ad aliorum urbium exſtructionem materia iſta abſumpta eſſe potuerit. Ergo dum fortiora
jam

jam allatis argumenta proferantur receptam hactenus de Aeneae in Italiam adventu sententiam libentes amplectimur; licet, ut antea diximus, etiam alii eo loco, quo postea *Roma* fuit, sedes fixerint: qui ita merito inter Romanorum progenitores censeri possunt. Sunt etiam, & in iis, quos summo loco habeo, qui argumentum contra vulgarem opinionem inde petant, quod Monachi tritavorum nostrorum aetate Annalium consarcinatores plurimarum & remotarum regionum & urbium conditores Trojanos, vel *Graecos* fecerint, *Paridem* nempe *Parisiorum*; *Francionem* & ipsum *Priami* filium *Francorum*; *Brutum Britannorum*: & hos quidem & alios (quid enim nugis nugacissimis inhaerere attinet?) Trojanos. Graecos etiam, *Ulyssem Vlissingae* urbis, Herculem ditionis parvae in *Hollandia*, *Arkeliae*: & quae plura talia otiosi homines somniarunt. Sed quale, quaeso, hoc est argumentum? Loca illa longissime

me a Trojano agro dissita, & ad quae perveniri nisi molestissima navigatione non poterat, a Trojanis non fuerunt habitata, ergo etiam in Latium, regionem mari interno adjacentem & proinde non adeo a Troja remotam, pervenire non potuerunt, & ibi Urbem rerum suarum sedem futuram condere? Quisquis, qui vel leviter mentem huc attendit, facile vel toto coelo ea differre viderit.

Itaque Trojani Aenea duce in Italiam ad agrum *Laurentem* appulere secundo post Trojam captam anno, Latini Regis trigesimo quinto, post Herculis ex Italia digressum quinto & quinquagesimo: quod non tantum Dionysius Halicarnassensis [a] & *Livius* [b] testantur; sed etiam locus in agro Laurente *Troja* dictus [c]. Et licet historiae antiquissimis illis temporibus nullae fuerint conscriptae, tamen multis aliis modis antiquarum rerum memoria conservata fuit,

a *L. I. c.* 44. b *L. I. c.* 1. c *Serv. ad Aen. VII.* 158.

fuit, *Annalibus*, exempli gratia, *Pontificum*; de quibus vide ſis *Ciceronem de Oratore L.* II. *c.* 12. *Quinctilian. Inſtitt. Or. L.* x. *c.* 2. & *Servium in Schedis Fuldenſibus ad Virg. Aen.* I. *v.* 377. *libris linteis* [a], aliiſque; quorum monumentorum pleraque quidem, at non omnia, incenſa a *Gallis* Urbe perierunt [b]. Ex his igitur & ſimilibus veteris aevi reliquiis hiſtoriam hanc hauſerunt magni nominis Hiſtorici, & quorum plerique etiam ſummis dignitatibus effulſerunt, *Q. Fabius Pictor*, qui apud *Serv. ad Aen.* XII. 603. dicit, *Amatam* Latini Regis uxorem ſe inedia interemiſſe, poſtquam ſcilicet *Turnum* ab Aenea ſuperatum vidiſſet; *L. Cincius Alimentus* [c] *L. Julius Caeſar*, *M. Portius Cato*, *A. Poſthumius Albinus*, *L. Caſſius Hemina*, *C. Sempronius Aſellio*, aliique magno numero. Quin A. Poſtumius Albinus integrum librum *de Ad-*

a *Liv. IV.* 7, 13. *&* *alibi.* b *Id. VI. c.* 1.
c *apud Auct. de Or. gent. R.*

Adventu Aeneae ſcripſit, qui citatur apud Auctorem *de Origine gentis Romanae*; apud quem etiam de eodem adventu mentionem feciſſe leguntur *Sex. Gellius*, *Piſo*, *Lutatius*, *&c.* Ex his omnibus porro, quorum nil, niſi pauciſſima quaedam fragmenta, ſupereſt, & Livius, & Dionyſius Halicarnaſſenſis ſua collegerunt [a]: quae ergo a juſto rerum arbitro, & eo, qui non data opera a vulgari via decedere volet, in dubium revocari non poſſunt. Praeterea Aeneam in Italiam veniſſe teſtatur apud eundem Dionyſium *L.* 1. *c.* 68. *Arctinus Mileſius* ſcriptor antiquiſſimus: floruit enim circa Olympiadem nonam [b]. Imo ipſe, qui hodie etiam exſtat, *Lycophron* id ſatis clare innuit [c]: (vixit hic autem ante, quam ullus Romanus ſcriptor exſtitit, unde ſua potuerit haurire) Quin etiam mentionem facit ſcrofae & triginta porcellorum, de quibus Vir-

a *Vid. & Oct. Ferrar. de Orig. Rom. in Tom. I. Ant. Graed.* b *Vid. Meurs. de Archont. I. 2.* c *Alexandra v. 1226. ſqq.*

Virgilius *Aen.* III. *v.* 390., & arcium triginta ab Aenea [a], vel ejus posteris in Latio conditarum; (quae fuerunt triginta coloniae priscorum Latinorum a Regibus *Albanis* conditae) Deorum quin etiam patriorum, quos Aeneas in Italiam transtulit [b]. Tempore autem *Ptolemaei Philadelphi*, quo vixit Lycophron, Romani nondum victorias suas Italia extulerant; ut certe non animo adulandi eam antiquitatem iis tribuerit poëta. Atque ita videmus etiam vetustissimorum Graecorum testimonio constare, *Aeneam cum Trojanis suis in Italiam venisse.*

Sed clarius adhuc idem Trojanorum in Italiam adventus probatur ex exorto paullo post *regno Albano*, & nominibus regum quorundam Albanorum quae plane Trojanam originem redolent, ut Aeneas, *Capys*, &c. (quae Ovidius *Fast.* IV. 45. eleganter vocat *recidiva vocabula Trojae*) Nec est quod quis dicat, etiam hoc

a *v.* 1253. b *v.* 1262.

hoc regnum fabulosum esse: nam revera exstitisse satis probari potest ex rebus a Regibus Albanis gestis; ut ex deductione triginta coloniarum modo dictarum. Inter quas triginta colonias forte ipsa Roma censeri debeat: nam dubitari potest, an non potius novis colonis (dilapsis forte veteribus) a *Romulo* frequentata, quam de integra sit condita. Licet nos, donec certius quid afferatur, communem tantisper opinionem amplexuri simus.

[a] Restat, ut ad argumenta quaedam, quae objiciunt sententiae vulgaris adversarii, respondeamus. Et *Philippus* quidem *Cluverius* [b] non tantum Aeneae adventum, verum etiam Albanorum Reges, imo septem Reges Romanos fabulosos esse pronunciat, & credit Evandrum cum Pelasgis venisse in Italiam seculis tribus cum dimidio ante Trojae ruinam;

a *Rycq. Differt. d. c.* 12. *Vid. & Fam. Nardini Romam vet. L. I. c.* 1. b *Ital. Ant. L. III. p.* 832

nam; & hoc propter dissensum auctorum, & convenientiam rerum, quae in narratione adventus Pelasgorum in Italiam, & inde etiam Trojanorum occurrunt: quae convenientia certe levis est, & talis, qualis in cunctis de migrationibus populorum, quae mari fiunt, narrationibus deprehenditur. Putat ergo Cluverius Pelasgos eosdem esse ac *Tyrrhenos*; Evandrum eundem cum Aenea, eundem cum Jano, eundem cum *Saturno*, eundem cum Romulo. Ab hoc duce Pelasgorum simul & Aboriginum, qui communi nomine *Latini* dicti fuerint, expulsos esse Siculos: ab hoc occupatam urbem *Valentiam* dictam ab origine Graeca idem, quod prisca illa Latina vox, significante. Post hunc Duces aliquot Urbi, Latioque praefuisse regio quidem nomine, sed potestate minus absoluta, (& hoc quidem de omnibus illis priscis imperiis certo posse dici puto) licet incertum sit quamdiu singuli praefuerint,

hoc regnum fabulosum esse: nam revera exstitisse satis probari potest ex rebus a Regibus Albanis gestis; ut ex deductione triginta coloniarum modo dictarum. Inter quas triginta colonias forte ipsa Roma censeri debeat: nam dubitari potest, an non potius novis colonis (dilapsis forte veteribus) a *Romulo* frequentata, quam de integra sit condita. Licet nos, donec certius quid afferatur, communem tantisper opinionem amplexuri simus.

[a] Restat, ut ad argumenta quaedam, quae objiciunt sententiae vulgaris adversarii, respondeamus. Et *Philippus* quidem *Cluverius* [b] non tantum Aeneae adventum, verum etiam Albanorum Reges, imo septem Reges Romanos fabulosos esse pronunciat, & credit Evandrum cum Pelasgis venisse in Italiam seculis tribus cum dimidio ante Trojae ruinam;

a *Rycq. Differt. d. c.* 12. *Vid. & Fam. Nardini Romam vet. L. I. c.* 1. b *Ital. Ant. L. III. p.* 832

nam; & hoc propter dissensum au-ctorum, & convenientiam rerum, quae in narratione adventus Pelasgorum in Italiam, & inde etiam Trojanorum occurrunt: quae convenientia certe levis est, & talis, qualis in cunctis de migrationibus populorum, quae mari fiunt, narrationibus deprehenditur. Putat ergo Cluverius Pelasgos eosdem esse ac *Tyrrhenos*; Evandrum eundem cum Aenea, eundem cum Jano, eundem cum *Saturno*, eundem cum Romulo. Ab hoc duce Pelasgorum simul & Aboriginum, qui communi nomine *Latini* dicti fuerint, expulsos esse Siculos: ab hoc occupatam urbem *Valentiam* dictam ab origine Graeca idem, quod prisca illa Latina vox, significante. Post hunc Duces aliquot Urbi, Latioque praefuisse regio quidem nomine, sed potestate minus absoluta, (& hoc quidem de omnibus illis priscis imperiis certo posse dici puto) licet incertum sit quamdiu singuli praefuerint,

aut quibus nominibus fuerint appellati. Verum an hoc non ſit omnia confundere & cerebri figmenta pro notis veritatibus obtrudere cunctis, qui judicio ſuo uti velint, judicandum relinquo. Et porro quod ad diſſenſum auctorum attinet, hi vel ſunt externi, & proinde in rebus Romanis minus competentes judices: vel, ſi Romani ſint, maxime ſunt poſterioris aevi ab externis illis decepti: nam priores in levibus fere circumſtantiis tantum diſſident. Et haec contra Cluverium dicta ſufficiant.

Cluverium ſecutus eſt vir ſummus *Samuel Bochartus*, qui, ut Aeneam in Italiam nunquam veniſſe probaret, variis argumentis utitur: & primo quidem quod contrarium videatur affirmare Homerus. (Et hunc poſtea ſecutus fuiſſe videtur Strabo. *L.* XIII. *p.* 607. *ſq.*) Sed operae pretium eſt, ut ipſum Trojani belli Scriptorem audiamus. Igitur *Iliad.* *Υ*. *v.* 306. *Neptunum* inducit ita de Aenea ejuſque poſteris vaticinantem:

Νῦν

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quae ita vertere liceat:

Mox vis Aeneae Trojanis imperitabit,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis:

qui posterior versus ipsius *Virgilii est Aen.* III. 98. *Hymno* item *in Venerem* ipsam Deam Anchisae, loquentem fingit: *v.* 197.

Σοὶ δ' ἔσται φίλος υἱος ὃς ἐν Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάονται,
Τῷδε καὶ Αἰνείας ὄνομ' ἔσσεται ——

Erit tibi filius dilectus, qui inter Trojanos regnabit,
Huic filii e filiis perpetuo nascentur,
Huic autem Aeneae *nomen erit.*

Sed haec non loci, sed hominum respectu intelligenda sunt; quo sensu utique Trojanis imperavit Aeneas: & ita priorem Homeri locum jam olim interpretatus est *Scholiastes ineditus ad Dionysium Thracem*, quem

citat in notis ad priorem Homeri locum Cl. *Josua Barnes;* & ipse Eustathius. Sed merentur adscribi utriusque auctoris verba. Et Scholiastes quidem Dionysii ita habet: Ὁ δὲ ποίητὴς μαντευσάμενος φαίνεται καὶ ἐν ἄλλοις ἰδίᾳ πολλοῖς, πλὴν καὶ ἐν τούτοις. Φησὶ γὰρ προσώπῳ τοῦ Ποσειδῶνος, διὰ τὸν Αἰνείαν ὅτι -- Τρώεσσιν ἀνάξει, καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθεν ἔπονται· ὅτι δὲ ἀληθῆ ἐμαντεύσατο, δηλοῦσι τὰ πράγματα· ἐξ Αἰνείου γὰρ ἡ Ῥωμαϊκὴ ἀρχὴ, καὶ Αἰνεάδαι οἱ Βασιλεῖς. Eustathius vero: τοῦτο δε λέγεται διὰ τὴν τῶν Ῥωμαίων ἀρχὴν, ἥν φασιν εἰκὸς εἰδέναι τὸν ποιητὴν ἐκ τῶν τῆς Σιβύλλης χρησμῶν, ἢ καὶ αὐτὸν οἴκοθεν εἰδότα· ποιητοῦ γὰρ ἀρετὴ, τὸ καὶ μαντικὴν ἐπιστήμην ἔχειν. Latine verba enarratoris Dionysii ita sonant: *Apparet Poëtam vaticinatum esse, tum in multis aliis, tum etiam in his. Dicit enim ex persona Neptuni de Aenea quod* Trojanis imperabit, & filii filiorum, & qui postea sequentur. *Vere autem esse vaticinatum res ipsa docet: nam ab Aenea est Imperium Romanum; & inde Reges eorum* Aenea-

dae *dicuntur*. Eustathii vero verba huc redeunt: *Hoc dicitur ob Imperium Romanum; quod dicunt poëtam, ut verisimile est, novisse ex oraculis Sibyllae; aut etiam scivisse a se. Nam poëtae virtus est etiam scientiam divinatoriam possidere.* Itaque videmus viros doctissimos verba Homeri de regno Aeneae in Italia interpretatos fuisse: cum contra regni, quod in Troade constituerit, nec vola, nec vestigium in historia appareat. Ad Strabonem quod attinet, ille unice loco illo Homeri ex Il. *Υ.* nititur; quo aliter explicato omni fundamento illud regnum Aeneae in ipsa Troade renatum destituitur. Quin ipse Strabo locum priorem Homeri a quibusdam ad Romanos referri tradit; ut certe rectissimé facit Dionysius Halicarnassensis *L.* 1. *c.* 53. Et hic auctor praeter alios diligentissimus omnino de tota hac re consuli meretur.

At, dicit Bochartus, si, ut fecit Dionysius, Homerum interpretemur,

 ni-

nihil hic de Aenea poëta dixerit, quod non idem de *Antenore*, *Aceste*, aliisque Trojanis, qui itidem colonias deduxerunt, dicere potuisset. Sed minus hic attendisse videtur vir magnus: nam Antenor quidem coloniam deduxit, at non Trojanorum; sed forte *Henetorum*. Vid. *Strab. L.* XII. *n.* 544. Acestes autem Trojanus quidem genere, sed in Sicilia natus fuit, similiaque de aliis dici possent. At Aeneas ipse Trojanus Trojanorum coloniam deduxit; ipse eorum sive Rex, sive Princeps fuit; & in eo regno natorum natos successores habuit. Ergo, ut jam dictum, & ille locus Homeri ex *Iliade Υ.* & alter ex *hymno in Venerem* de hominibus, non de locis sunt intelligendi.

Alterum Bocharti argumentum est, quod apud *Festum V. Romam.* plures auctores fuisse dicantur, qui tradiderint Aeneam in urbe *Berecynthia* (*Phrygiae* ea urbs fuit) fuisse sepultum. Sed hoc facile de cenotaphio

taphio, five *tumulo inani* (ut loquitur Virgilius *Aen.* VI. *v.* 504.) poteſt intelligi; nam ea non tantum omnis plane ſepulturae expertibus, ſed etiam alibi ſepultis exſtrui ſolebant, ut jam olim probavit *Kirchmannus de funer. L.* III. *c.* 27. exemplo *Druſi*, cui, licet ejus corpus ad Urbem devectum & in campo *Martio* ſepultum eſſet, exercitus honorarium tumulum excitavit, *Suet. Claud. c.* I. & *Alexandri Severi Imperatoris*, qui cenotaphium in *Gallia*, Romae ſepulchrum ampliſſimum meruit [a].

Tertio dicit Bochartus, loca quaedam in Aſia ab *Aſcanio* fuiſſe denominata: atqui ipſe jam alibi docuerat [b], ea dicta fuiſſe ab *Askenaz Gomeris* filio; (de quo *Geneſ.* x. 3.) ita ut memoria viro praeclaro hic non rite reſpondiſſe videatur. Et liberales ſimus; demus adverſariis, Aſcanium in Troade manſiſſe; an non ipſe Aeneas alio proficiſci potuit?

a *Lamprid. c.* 93. b *Phaleg. III. c.* 9.

tuit? Quo facit etiam, quod Albani regni conditorem a quibusdam *Euryleonta* dictum fuisse videamus [a]; qui deinde *Ascanius* (forte fratre in Troade mortuo) appellatus fuerit. Quartum Viri doctissimi argumentum est, Veneris cultum (qui, cum Aeneas ea matre censeretur, vel imprimis Romae stabiliendus fuisse videatur) antiquissimis Romanis fuisse ignotum, ut ex *Fastis Cincii* & *Varrone* docet *Macrobius Saturnal. Serm.* I. 12. At ut concedamus de Romanis vere haec tradi, certe Lavinii, sive in agro Laurente, quae primae sedes Aeneae in Italia fuerunt, cultam fuisse ab antiquissimis usque temporibus constat testimonio Heminae quod refert *Solinus c.* 8. & ei assentire satis clare videtur Strabo *p.* 232. *edit. Casaub.* Sed sane verisimile non est, (ut admittamus Bocharti positionem) Aeneam, dum viveret, adeo insolenter mentitum fuisse, ut se matre Dea natum esse di-

a *Dion. Halic. I. c.* 65.

diceret; multo minus veram ejus matrem, Anchisae scilicet concubinam, in Deos fuisse relatam. Verum totum hoc merum Homeri figmentum fuisse videtur.

Porro *Vestam*, *Minervam*, *Deos Magnos* ab antiquissimis temporibus Lavinii & Albae cultos & hinc Romam traductos fuisse constans fere veterum est opinio. Quae numina etiam originem Trojanam, sive Phrygiam arguunt. Sed mirum plane est, ne durius quid dicamus, Virum praeclarum negare, quod ullos idoneos testes horum numinum ab Aenea in Italiam allatorum citet Dionysius, cum disertim *L.* 1. *c.* 68. *Callistratum*, *Satyrum*, *Atratinum poëtam* nominet: ita ut Dionysium ne quidem relegisse hoc loco Bochartus videatur. Quod vero addit Vir Cl. ridiculum fuisse credere Palladium Romam servaturum, quod Trojam servare non potuisset, sciendum est., illud non tam Urbis, quam domus *Dardani* incolumitatem con-

tinuisse, cum diu ante Trojam conditam juxta vetustissimos auctores a simulacrum hoc Dardano fuerit traditum. Et tamen quale hoc est argumentum ab cultus religiosi istorum temporum absurditate desumptum? quasi non alia, & longe quidem absurdiora, quotidie ab iis facta, aut credita sint.

Nec minis absurdum est, quod ex quinquaginta circiter vocibus Phrygiis, quas hinc inde collegit, ostendere conatur, linguae Latinae & Phrygiae nullam fuisse affinitatem: nam quot voces Graecae dari possent, quas non agnoscit lingua Latina? quam tamen a Graeca derivátam esse nemo peritus negaverit. Et si penitius inquisivisset Bochartus ipsam linguam Phrygiam Graecae linguae fuisse propaginem nullo negotio deprehendisset, quod vel ex solis nominibus filiorum Priami patet, quae legere est apud *Apollodorum L. III. p. 185. ed. Commelinianae*

a *Apud Dion. Hal. I. 68.*

nae a 1599. 8. idemque Dionyſius Halicarnaſſenſis variis locis teſtatur. Vide *L.* 1. *c.* 57. 58, 61. 62. Neque enim quatuor duntaxat fuerunt linguae Graecae dialecti, ſed plurimae, ut *Boeotica*, *Laconica*, *Cretica*, &c. atque ita etiam Phrygia: & voces, quas ut linguae Phrygiae peculiares collegit Bochartus, revera dialecti Phrygiae peculiares haberi debent.

Reſtat itaque, ut & Cluverius & Bochartus temere plane a communi de Aeneae in Italiam adventu ſententia receſſerint.

Poſt maximos hoſce viros etiam placuit *Cl. Jacobo Gronovio Diſſertatione de Origine Romuli* habita *Lugduni Batavorum* die XXIII. Octobris A. 1684. cum alterum ſtationis ſuae quinquennium commendaret, ſententiam ſuam de hiſce rebus publicare. Quam referre & refellere neſcio an operae pretium fuerit. Sed quia tamen in eo argumento verſamur breviter hic quaedam ponemus, unde

de de illa dissertatiuncula judicium ferri possit; quantum quidem poterimus mentem V. C. assequi; qui subobscurior, ut levissime dicamus, in iis quae edidit esse solebat. Vult ergo Clarissimus Gronovius ex *Syria* profectum Romulum in Italiam venisse, & quaedam vulgari opinioni refellendae, pauciora suae stabiliendae argumenta apponit; quae, quia serium examen vix merentur, breviter tantum nunc excutiemus. Igitur (*p.* 10. & 16.) *Dioclem Peparethium* Historicum primum vulgatae de Romulo & Remo narrationis auctorem fuisse dicit, & post eum Fabium, quae habet ex Plutarcho *vita Romuli p.* 22 *edit. Wechel.* Sed audacior Plutarcho est Cl. Gronovius; cum Plutarchus nec fidem iis derogare audeat, nec, nisi dubitans, dicat Dioclem primum haec memoriae tradidisse: & magis quam simile vero est jam ante Dioclem, qui paulo ante bellum *Punicum* II. vixisse videtur, eadem Annalibus Pontificum, similibus-

busque monumentis (quae jam memoravimus) fuisse tradita ; ut sane antiquior est Lycophron, de quo jam diximus, qui temporibus Ptolemaei Philadelphi, sive circa. A. U. C. 470. *Alexandriae* floruit: ex quibus Annalibus mox Fabius Pictor, & alii auctores gravissimi sua hauserunt. Paulo majoris momenti esse videtur, quod Gronovius (*p.* 11.) dicit, Livium non ausum fuisse originem Romuli ad Venerem per Aeneam referre, licet sub *Augusto* in *Juliam* gentem per adoptionem inserto scriberet; quae gens genus suum ab Aenea, & ita ab ipsa Venere, ut notissimum est, deducebat. Sed, ut dixi, majoris momenti esse *videtur*; cum revera nihil minus in hac caussa Cl. Gronovio conducere potuerit, quam vel minimam Livii mentionem facere: quippe qui initio Historiarum suarum disertissimis verbis vulgarem opinionem proponit, ne minima quidem dubitandi nota apposita. Nam quod in Praefatione dicit Livius,

vius, *sibi nec affirmare, nec refellere in animo esse, quae ante conditam, condendamve Urbem poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis* tradebantur, nae talpa coecior sit qui non videat haec ad *Rheam Silviam* a *Marte* compressam, ad lupam Romulo & *Remo* mammas praebentem, similiaque τερατολογέμενα esse referenda. Verum quid multis verbis utimur, cum vel solo Livio inspecto opus sit ad veritatem eorum, quae dixi, intelligendam? Ejusdem fiduciae est, quod dixit, (*eadem pag*, 11, *f*.) Livium in decem primis libris saepe citare Romanorum annales commentarios, sed *nunquam, nisi ad refellendum* &c. nam hoc quidem manifestissime falsum est, ut ex paucis exemplis (cur enim plura in re clara afferam?) patebit. Primum quidem in praefatione, ut jam vidimus, se nec affirmare, *nec refellere* velle, quae vulgo tradebantur, dicit. *Libro* 1. *c*. 44. Fabium Pictorem scriptorem antiquis-

quiſſimum citat, non *refellit*. *Libro* IV. *c.* 23. *Macrum Licinium*, *Valerium Antiatem*, *Q. Tuberonem*, *libros* denique *linteos* citat; non quidem ut *refellat*; ſed ut diverſa tradere oſtendat. Et *eodem libro* etiam *cap.* 7. Licinium rurſus Macrum, & ex eo linteos libros teſtes allegat. Et ſaepius quidem diſſenſum veterum auctorum notat, qui ſane in antiquiſſima memoria evitari non poteſt: verum hoc non eſt *auctores refellere*. Vide *Libr.* II. *c.* 33. & 41. *Ibidem c.* 50. dicit ſatis convenire trecentos & ſex *Fabios* ad *Cremeram* periiſſe; (de ipſa hujus hiſtoriae veritate & ſenſu hic non agimus, ſuo loco id facturi) ergo plures utique de ea re ſcriptores conſuluerat; nec tamen errores eorum hic denudat, ut vult Vir Cl. Quin *L.* VI. *c.* 42. ubi *Claudium* refutat, plures auctores, quos ſecutus ſit, laudat: & *L.* VII. *c.* 3. *Cincium diligentem monimentorum* auctorem vocat. Et haec, puto, ſuffecerint ad probandum, teme-

mere a V. C. assertum fuisse, nunquam, nisi refutandi caussa primoribus libris auctores a Livio citari. Nec opus est, ut hic referamus, quae de sententia *Vossii*, *Salmasii*, aliorumque refert Gronovius, qui ex Graecia Romulum arcessunt: quod a vulgari sententia non multum abludit, cum rationes sint, quae doceant, Phryges colonos Graecorum fuisse; ut jam innuimus. Idem Maximus Vir [a], Vossium dico, Annalibus Pontificum, unde plurima hauserunt Livius & alii, multum merito tribuit: cum illi jussu publico a Pontificibus conscriberentur. Et, licet Urbe a Gallis incensa pleraque monumenta publica absumpta fuerint, tamen non omnis antiquitatis Romanae scientia inde periit: nam & privati homines multarum rerum notitiam in suis familiis servare potuerunt; & vicinarum urbium cives in suis quique urbibus etiam Annales conscripsisse credendum est: ut

[a] *De Histor. Lat. l.* 1.

ut jám de auctoribus Graecis nihil porro dicamus, quorum aliquot apud Dionysium Halicarnassensem memorantur.

Ad reliqua jám, quae habet Cl. Gronovius, per saturam duntaxat hinc inde quaedam notabimus; cum ea, quae jam allata sunt, etiamsi nihil ultra addamus, ad argumenta ejus evertenda sufficere videantur. Ergo quae dicit *p.* 17., pastores nempe illos priscos Latinos voces diminutivas juxta definitiones Grammaticas non finxisse, quale nempe *Romuli* nomen fuerit a *Romo*, & hoc a ῥωμη, *robur*, ridiculum plane videtur; cum ipsa blandiens natura talium diminutivorum fictionem satis doceat. Nec melioris notae est quod addit *pag. sq. in f.* neminem, nec ante, nec postea *Romuli* nomine dictum fuisse: quod etiam, tanquam egregium argumentum repetit *p.* 40. nam & ante eum fuit *Romulus Sylvius* Albae Rex [a]; & post multa secula in *Fastis Consularibus*, qui *Idatiani* di-

a *Liv. I.* 3.

dicuntur, invenitur *Romulus Caesar* patris *Maxentii* in consulatu collega A. U. 1060. & rursus, tam in his Fastis, quam in legum subscriptionibus cum *Placido* Consul alter quidam *Romulus* A. U. 1095. [a] Et, licet haec vere observasset V. C., nescio quid ad hanc rem id faciat. An etiam *Numam* Regem exstitisse negabimus, cujus in sacris potissimum Romanorum frequens adeo fit mentio, quod alter Numa in historia Romana nullus sequatur; vel *Marcium* Regem *Ancum* fuisse dictum, quod etiam hoc nomen postea non occurrat? Quaenam, quaeso, haec est consequentia? Nec plus probat, quod omnia nomina, quae in Historia Romuli usurpantur, peregrina esse dicit, & nequaquam Graecam originem prae se ferre. Cur *Procas* nomen non posset dici derivatum esse a Graeco πρόξ, πρόκος; quam vocem *brevis Scholiastes ad Homerum Od.* ρ. *v.* 295. exponit, δορκάδων εἶδος,

ἢ ἐλά-

a *Vid. & alium in l. 27. pr. ff. de liber. causs. & plures in Indd. Grut.*

ἢ ἐλάφων, ἢ τὰ ἔκγονα τῶν ἐλάφων, *damarum*, *aut cervorum species*, *aut pulli cervini*; ut *a celeritate pedum* ita dictus sit? Cur non *Amulius* ab ἄμυλος, cibi genere, ut *Hesychius*, Ἄμυλος, πλακοῦς, *Amylus* [est] *placenta*; vel etiam, βρῶμα ἐκ πυρῶν, *edulium e tritico*; sicut *Esau* vocatus est *Edom* ab *edulio rubro*, *Genes.* xxv.30. Ita *Numitor*, sive Νομίτωρ, ut Dionysio Halicarnassaeo dicitur, a νόμιος, *pastoralis*; quod *Apollinis* etiam cognomen fuit. *Rhea* denique etiam Romuli mater a *Rhea* Dea Phrygia, quae eadem *Cybele* dicitur: & haec etiam *Ilia* fuit dicta in memoriam originis ab ipso *Ilio* deductae. *Faustulus* autem clarissime descendit a Φαυστὸς, & hoc a φαύω, hoc est, φάω, sive φημί, *dico*; unde etiam *Fauni*, agrestia Latii numina, sunt dicti. Videmus ergo quo jure Vir Cl. dicat, haec nomina *qualem qualem potius originem*, *quam Graecam praeferre*. Alia porro, quae adfert, transeo. Sed quod jam *p.* 23. in-

terrogat, cur nulla ex triginta illis coloniis Alba deductis paribus institutis ac Roma fundata fuerit? quis Deus e machina hoc Viro Cl. indicavit, instituta nempe earum civitatum plane a Romanorum institutis diversa fuisse? An ea omnia perspecta habemus? unde lecta? ubi inventa? Et multa potius habuisse similia patet, quod *Dictatorem*, quod *Patrem patratum* [a], quod alia aeque ac Romani etiam olim Albani habuerunt: ut plura mittam, quae de ea re dici possint. Igitur recte Vir Cl. ea, quae in medium protulit, vocat *suspiciones*, (ead. *p.* 23. *f.*) & *documenta subobscura pag. sq.* licet etiam facile ipsi concedam, cum *eadem pag.* raptum *Sabinarum* in dubium vocat, in ea historia multa, ut fit in antiquissimis, vera falsis admixta fuisse. Jam *pag.* 24. nominasse oportuit illos antiquos non paucos, qui scripserint, Romulum incerti hominis filium infantem una cum fratre Remo in Italiam transvectum fuis-

[a] *Liv. I.* 24.

ſe; atque in fluvio exundanti, ſubmerſis aliis ſcaphis, illos inſperato ſervatos fuiſſe, & quum adoleviſſent Romam condidiſſe. Nam ex Feſti loco corruptiſſimo nihil certi quisquam elicere poſſit. Quod *pag.* 26. dicit, diſceſſum Romuli a metropoli ſua non fuiſſe adnotatum a Graecis, cum originem *Maſſiliae* adeo accurate notaverint, in eo ſibi icunculam, quacum depugnet, ad parietem pingit, ut populari noſtro proverbio utar; cum nemo unquam dixerit, ipſum Romulum a metropoli aliqua ex Graecia eſſe profectum; ſed haec profectio ad majores ejus remotiſſimos referenda ſit: nam inter Trojam captam & Maſſiliam conditam ſexcenti fere anni interſunt, ita ut hujus recentis urbis originem facilius notare potuerint. Ergo V. C. hic argumentum deſumit ex iis, quae nunquam probavit, nec unquam probare potuiſſet; & ſupponit illud, de quo lis eſt. *Pag.* 27. convenientiam rituum Orienta-

talium cum illis, qui apud Romanos obtinuerunt, jactat absque ullo tamen conatu, quo istam convenientiam probet, cum ego contra quovis pignore posito contendere ausim Romuli instituta melius cum institutis Graecorum, vel Trojanorum, quam cum *Hebraeorum*, aut *Phoenicum* moribus convenisse (quod etiam multis probat Dion. Hal. *L.* VII. *c.* 70. *sqq.*) Ut enim alia mittam, quae habet *pag.* 31. de *Jovis* variis cognominibus (quibus de suo proprio penu liberali manu Vir Cl. addit Jovem *Consum*, cum Consus unanimi fere veterum & recentiorum sententia *Neptunus* esse censeatur; sed hoc tantum, ut suae conjecturae faveat) quae ab Hebraeis traxerint Romani, frivola sunt: nam & apud alias, puto, gentes, quas minus novimus, Dii, praesertim quos supremos statuebant, diversis nominibus appellati fuerunt: & apud Graecos certe, ut de uno Jove tantum loquamur, quot non ille cogno-

gnomina habuit? Decadem ſolum unam, & quidem ex ſolo *Herodoto* afferemus; cum vel integri libri de iis ſcribi poſſint, & ſcripti fuerint. Nominat igitur ille hiſtoriae profanae pater jovem Καθάρσιον, *Expiatorem*, Επίσιον, (*Jonice* pro Εφέσιον) *Hoſpitalem*; Εταιρήϊον, *Sodalicium*, *L.* I. *c.* 44. *Carium*, *Ib. c.* 171. *Lycaeum*; *Id.* IV. *c.* 203. Αγοραῖον, *Forenſem*, *L.* V. *c.* 46. *Militarem*, *Ib. c.* 119. *Lacedaemonium* & *Coeleſtem*, *L.* VI. *c.* 56. Ερκεῖον, ſive *Domeſticum*, *Ib. c.* 68. *Anaphlyſtium*, *L.* VII. *c.* 197. *Graecum*, *L.* IX. *c.* 7. At ibi jam duodecadem habes. Et adeo ſane haec naturae, corruptae illi quidem, conveniunt ut hodieque etiam apud *Romanenſes*, ut omnes norunt, ſanctiſſima virgo Domini noſtri mater centenis aliquot, credo, cognominibus pro diverſitate locorum colatur. Hinc ergo nemo effecerit, omnes illos, qui eoſdem Deos variis cognominibus celebrarunt, ab *Iſraëlitis* ortum duxiſſe. Quae au-

tem porro addit V. C. refutatione prorsus sunt indigna, ut quae *pag.* 33. disputat de locutione *inter duos lucos*, quae adeo naturae conveniens est, ut quis de simili re agens vix alia uti posset. Nec multo meliora sunt, quae de formatione vocis *patricius* subjungit; cum juxta omnem analogiae rationem ea vox rectissime a voce *Pater*, vel etiam a plurali *patres* deduci possit; quod etiam fecit Vossius. Sed manum de tabula. Nam piget addere, quae de voce *tribus* adhuc adjicit; quibus intelligendis hariolo opus est: & cujus originem a Graeco τριτὺς, pro qua *Aeoles* dixerunt τριπύς, Lector videre potest in fine epistolae Salmasii ad *Sarraviam*, quae subjuncta est praeclaro operi *Gronoviano de Sestertiis*. Et ita etiam *Glossarium Labbaei*, Τρίβυς, τριττὺς ἢ τρίτον μέρος, κ. τ. λ. Verum quae est tandem ipsius V. C. sententia? Mira sane. Invenies II *Regum* XV. 25. & II *Chron.* XXVIII. 6. *Remaljam* patrem *Pekachi*, qui occiso

ciſo *Pekachja* Rege Iſraëlis regnum ejus invaſit : ergo in hoc Remalja habemus ipſiſſimum Romulum. At, dicet aliquis, ſaltem ſerio loquitur, & inſigni aliquo argumento hoc Paradoxon probat. Non alio quidem, quam quod ille Remalja ab interpretibus *Alexandrinis*, qui vulgo LXX. vocantur, & a *Joſepho* Ῥομέλιος; a *Nicephoro*, recenti admodum ſcriptore, Ῥωμέλιος, vocali longa, vocatur. Nunc vos, lectores, Viri ſummi, cauſſa clare plaudite.

Regnum Trojanum initium habuiſſe creditur a Dardano Jovis & *Electrae* (filia haec erat *Atlantis*) filio; ut ſolebant omnium virorum fortiſſimorum, praeſertim ſi qui regna, aut urbes condiderant, originem ad Deos referre. Quanquam jam ante Dardanum in *Troade* regnaſſe dicatur [a] *Teucer Scamandri* filius, a quo Populi illi etiam *Teucri* ſunt dicti [b]. Hic autem Dardanus ex Italia, vel, ut aliis placet, ex Arcadia in *Samothra-*

 thra-

a *Apollod. p. m.* 178. b *Diod. Sic. IV.* 12.

thraciam insulam venisse dicitur; cum tamen rationi magis esse consentaneum videatur, ut ex Oriente progressus in Troadem venerit. Licet etiam, ut verum fatear, non adeo absurdum sit statuere, hoc jam tempore navigationes in dissitas ad mare internum regiones fuisse susceptas; ita ut Dardanus (vel majores ejus) primum quidem novas sedes quaerens ex Asia in Italiam profectus videri possit; sed forte eam minus commodam sibi expertus inde in Graeciam retrocessisse. Vixit enim circa A. Per. Jul. 3230. A. M. 2500. sive circa finem vitae *Mosis*, aut initia *Josuae*: quo tempore homines jam navigationibus longinquis, necessitate urgente, usos fuisse patet ex inscriptione, quae extat apud *Procopium Vandal.* II. 10. in ultima parte *Africae*, sive in *Mauritania Tingitana* inventa, qua testabantur ejus conditores, se *fugisse a facie* Jesu *filii* Nun *latronis*. Dardanus ergo filia Teucri in matrimonium accepta,

eo mortuo urbem ſibi cognominem ad montem *Idam* condidit [a]; populoſque de ſe *Dardanos* nominavit. Huic ſucceſſit filius *Erichthonius*; eique Anno Periodi Julianae 3340. ſive Mundi 2610. *Tros*, unde regioni *Trojae* nomen eſt inditum: nam proprie ipſa regio ita vocabatur [b]; cum urbs ejus praecipua *Ilium* [c], arx vero in ea *Pergamum* diceretur; vel, plurali numero *Pergama* [d]. Troi ſucceſſit *Ilus*, unde *Ilium*; Ilo *Laomedon*, Laomedonti Priamus. Cum hic per annos quadraginta regnaſſet. A. P. J. 3531. Mundi 2800. Ante C. N. 1183. Troja a Graecis poſt decennalem obſidionem capta & everſa fuit, quod Paris Priami filius *Helenam Menelai Spartae* Regis uxorem rapuiſſet. Ibi Aeneas regio genere ortus, quippe cujus pater Anchiſes, avus *Capys*, proavus *Aſſaracus* Ili Regis frater fuerat, magna-

a *Strabo L. XIII. n.* 592. b *Steph. V.* Τροία. c *Serv. ad Virg. Aen. I.* 1. d *Lucret. I.* 477.

gna manu amicorum, clientum, ſervorum, aliorumque coacta, dum hoſtes praedae intenti eſſent, munitiſſima Idae montis loca occupat [a]: eoque brevi tempore ex aliis Troadis urbibus ingens vis hominum confluxit. Atque ita Aeneas tuto diſcedendi copiam a Graecis pactus eſt. Hic jam quidam tradunt [b], Aſcanium ab Aenea patre in agrum *Daſcyliticum* Troadi vicinum miſſum fuiſſe, cum a regionis illius incolis ad regni adminiſtrationem acciretur; & non diu poſt, cum alii etiam Trojani ex Graecia ad eum eſſent reverſi, in paternum Trojae regnum rediiſſe. Quae, ſi cui vulgari ſententia veriora videntur, non pertinaciter repugnabo, interim uſitatam hactenus opinionem amplexurus. Ergo Aeneas trajecto *Helleſponto* primum in *Thraciam* venit; ibique hibernans oppidum de ſuo nomine *Aenean* dictum condidit; iiſque ex ſuis ſociis, qui navigationis incommoda vel non po-

a *Dion. Hal. I.* 47. b *Ib. & Infr. c.* 63.

poterant, vel nolebant ferre, incolendum dedit [a]. Hinc *Delum*, *Cythera*, *Zacynthum* Insulas attigit; & ibi, ut etiam mox in *Leucade Ins.* Veneri templum exstruxit [b]. Mox etiam magis *Jonium* mare penetrans apud *Actium Veneris Aeneadis* templum; & alterum *Magnorum* Deorum condidit, quae sua etiam aetate superfuisse dux noster & auctor Dionysius testatus. *Ambraciae* vero ejusdem Deae templum statuit; cui posteri in ipsius Aeneae honorem sacellum addidisse videntur. Hinc Trojani nostri *Buthrotum Epiri* oppidum pervenerunt: unde Aeneas *Dodonam* profectus est oraculum Jovis, quod ibi fuit omnium antiquissimum, consulturus: & ibi jam coloniam Trojanorum ab *Heleno* Priami filio deductam invenit: & ita demum Jonium mare trajicientes nostri exules pervenerunt in Italiam [c]. Variis autem in ea locis exscensione facta denique appulerunt in Siciliam

a *Ib. l.* 49. b *Ib. c.* 50. c *Ib. c.* 51.

liam [a]; ubi etiam jam alios ante se Troja profugos invenerunt; & etiam cognatum Aeneae *Aegestum*; (*Acestem* vocat Virgilius *Aen. I.* 199. & alibi) qui casu quodam ibi natus & educatus fuerat. Etiam hic Aeneas colonias condidit, quibusdam ex suis, quos jam taedebat navigationis, illic relictis [b]. Inde in Latium proficiscens variis interim locis nomina imposuit ab iis, qui ibi defuncti essent; ut portui *Palinuro* a gubernatore suo ibi submerso; *Leucasiae*, vel (ut Salmasius *exercit. Plin. I.* 2. scribi voluit) *Leucosiae*, a consobrina quadam sua tali nomine [c]. Alterum etiam portum pulchrum ac profundum *Misenum* dixere a viro quodam nobili, ut eum vocat Dionysius Halic. *I.* 53. quem tanquam aeneatorem, sive tubicinem Aeneae describit *Maro*, simul tamen etiam a fortitudine eum laudans, *L.* VI. *v.* 164. *sqq. Prochytam* item Insulam

a *Ib. c.* 52. b *Dion. Hal. d. l. Virg. Aen. V. v.* 718. c *Dion. Hal. d. l. c.* 53.

lam [a], & promontorium *Cajetam*, illam a cognata, hanc a nutrice Aeneae dictam volunt [b]. Et ita tandem ad *Laurentum* Italiae urbem pervenit: quanquam alii loco illo Homerico, quem memoravimus, decepti eum in Phrygiam rediisse narrant: quos Dionysius ea sectione, quam modo citavimus, & sequentibus abunde refellit. Aeneas porro [c] more veterum sacris ante omnia rite peractis prandium, humi cum suis desidens sumpsit: ubi oraculum, quod ipsi quondam vel Dodonae, vel a *Sibylla Erythraea* redditum fuerat, eventum habuit. Eo nempe oraculo jussi fuerant Occidentem versus navigare, donec eo pervenirent, ubi mensas essent comesturi: (quamquam hoc vaticinium ab *Harpyjarum* una Aeneae redditum fuisse scribit Virgilius *Aen.* III. *v.* 255. *sqq.* licet *Id.* VII. *v.* 123. ab Anchise hoc praedictum narret lapsu, ut videtur, me-

a *Dion. Halic. Ib.* b *Virg. Aen. VII. init.*
c *Dion. Hal. I.* 55.

moriae) Ergo cum non satis suppetentibus cibis etiam frusta panis triticei, quae mundiciei caussa cibis supposuerant, comederent, *Heus! etiam mensas consumimus*, *inquit Julus. Ibid. v.* 116. Alterum etiam, quod Aeneae praedictum fuerat, hic evenit; ut nempe porcam gravidam in litore videret, quae postridie triginta porcellos peperisse fertur [a]: quod deinde in omen vertit, cum triginta annis post *Lavinium* ab Aenea, ut mox dicetur, conditum etiam *Alba* ab Ascanio [b] aedificaretur. Licet alii hoc potius, & meliore, ut credo, jure intelligant de triginta coloniis ab Aenea vel ejus posteris conditis, quae *Priscae Latinae* dicuntur; & de iis locutum censent Lycophronem *v.* 1255. (Vid. omn. Rycquii dissertationem *c.* 10. *n.* 108.) ac melior auctor Dionysius Hal. III. 31. disertim dicit, triginta Latinorum colonias Alba fuisse propagatas.

a *Dion. Hal. I. c.* 56. b *Propert. IV.* 5. 35. *Virg. Aen. VIII. v.* 43. *sqq.*

tas. Aeneas porro hos porcellos simul cum ipsa sue Diis patriis immolavit; & confestim urbem aedificare coepit [a]. Haec ut fit, Latino, qui tum locorum eorum regno potiebatur, formidolose narrantur: & quidem eo ipso tempore, quo adversus Rutulos, finitimam gentem, bellum gerebat. Ergo omissis Rutulis statim his invocatis hospitibus obviam pergit; sed cum & ipse & Aeneas vires adversariorum quisque suorum pene pares viderent, postridie statim consultius visum est per caduceatores colloquium petere. Atque ita cito inter se convenerunt, ut Latinus quidem advenis agros, quos incolerent, daret [b]; ipsi Latino, tum praesenti bello, aliis, si forte usus veniret, strenuam operam navarent. Ita brevi fractis Rutulorum rebus ad aedificationem civitatis suae Trojani redierunt; eique absolutae a *Lavinia*, vel *Lavina* Latini filia *Lavinium* nomen est

a *Dion. Hal. I.* 57. b *Dion. Hal. I.* 59.

impositum. Alii vero dicunt [a], *Laviniam* filiam fuisse *Anii Deliorum* Regis, qui idem Apollinis erat sacerdos [b]: eamque jussu patris cum Aenea illud petente, quod vaticinandi perita esset, navigasse. Sed plurium opinioni, donec aliud probetur, inhaereamus. Ergo cum omnium animos libido invasisset societatem hanc recentem beneficiis firmare, primum quidem Lavinia Aeneae uxor data est [c]: & mox etiam reliqui Regis exemplo communicatis ritibus sacris, legibus, jure civitatis, & praecipue connubiis in unam civitatem coaluerunt: & omnis hic populus ex Aboriginibus, Arcadibus, Pelasgis, *Peloponnesus* & Trojanis conflatus *Latini* dicti sunt. Conditum autem Lavinium putat Dionysius [d] (nec absque specie veri) duobus circiter annis post discessum Aeneae ex Troja; ita ut unam quidem

a *Dion. Hal. Ib.* b *Virg. Aen. III.* 80. c *Dion. Halic. I.* 60. d *Ib. c.* 63.

dem hyemem in Thracia egerit, regione Trojae vicina, ut ibi exciperet eos, qui adhuc e fuga ad eum conveniebant; alteram vero in Sicilia. Igitur hic fuerit annus Per. Jul. 3533. qui incidit in annum ante C. N. 1181. Sed etiamnum in hoc opere occupato Aenea Turnus Rex Rutulorum *Dauni* filius bellum restauravit [a], instigante praecipue Amata Latini Regis uxore, quae Turni erat matertera, cumque sibi generum optabat. Igitur his de caussis exorto bello Latinus, Turnus, aliique, qui ad scopum nostrum non faciunt, cadunt: Aeneas vero victor regnum soceri hoc casu ad se devolutum accepit. Verum & ipse post quatuor annos in bello contra Rutulos, & *Mezentium* Etruscorum Regem periit A. Per. Jul. 3538. Ante Chr. 1176. & cum corpus ejus nusquam comparuisset pro temporum illorum superstitione ad Deos migrasse crediderunt; & *Jovem In-*

 di-

a *Ib. c. 46.*

digetem appellarunt [a]. Inde Filius Aeneae *Euryleon*, qui in ipso a Troja itinere *Ascanius* appellatus fuerat [b], (quod, ut videtur, alter Aeneae filius eo nomine dictus in eo itinere obiisset) regno succedit: licet Livius [c] dubitet, an fuerit Ascanius hic *Creüsae* prioris Aeneae uxoris filius, (haec vulgarior est opinio) qui idem *Julus* dictus fuerit, & ad quem nobilissima *Juliorum* gens originem suam referebat; an vero Lavinia natus, quippe qui nondum Imperio maturus fuisse dicatur, ita ut regnum tantisper muliebri tutela steterit [d]. Adulto Ascanio rursus cum Mezentio bellum fuit, [e] ita quidem ut Lavinii Ascanius ab eo obsideretur: sed demum nocte illuni eruptione facta hostes re subita perculsos magna strage cecidit; qua etiam *Lausus* Mezentii filius periit: quo audito ipse cum Ascanio Latinisque pacem pepigit;

a *Liv. I.* 2. b *Dion. Hal. I.* 65. c *L. I. c.* 3. d *Liv. Ibid.* e *Dion. Hal. l. prox.*

git; eamque deinceps cum fide servavit.

[a] Tricesimo anno post conditum Lavinium Ascanius eam urbem florentem jam & (ut tum res erant) opulentam matri an novercae [b] Laviniae reliquit, ut odium ejus se minime curare ostenderet; ipse loco amoenissimo aliam condidit, quae, quod situ excelsa & undique conspicua esset, *Alba* fuit dicta, ut pluribus locis & urbibus idem nomen ex simili caussa adhaesit. Hinc etiam *Alpes* montes, & *Albion* Insula, quae hodie *Britannia*, nomen sunt nacti, quod longissime prospicientibus *Albi* appareant: vel potius unice ab *altitudine*, ut contendit *Buchananus Hist. Scoticae Libr.* I. *pag.* 12. *edit. Francof.* A. 1624. cui etiam adsentitur Rev. *Huetius* epistola ad Bochartum [c]: ut nempe prisca *Celtarum* lingua longe lateque olim per Europam diffusa vox *Alpen montes excelsos* no-

a *A. P. Jul.* 3563. *Ante Chr.* 1151. *A Troja capta* 32. b *Liv. d. l.* c *dans le Recueil de Tilladet T. II. pag.* 202.

notaverit, quod etiam vult *Palmerius a Grentesmenil Graeciae Antiquae L.* 1. *c.* 14.

Ascanius, cum post mortem patris regnum per annos triginta octo obtinuisset, mortem obiit successore fratre *Sylvio*, qui ex Lavinia post obitum Aeneae natus fuerat. Dicebatur autem *Sylvius*, quod in *Sylva* esset educatus [b]. *Julo* autem Ascanii filio in solatium amissi regni sacerdotium est datum: unde videmus illud proximae dignitatis regno fuisse. Sed praeterea etiam hic observandum est, *summam potestatem*, sive *majestatem* dicere velis, tunc temporis fuisse penes populum: quippe qui libero suo judicio Sylvium Julo praetulerit [c]. Per hunc autem Julum *Julius* Caesar originem suam ad Venerem referebat; quae juxta poëtarum figmenta hujus Juli proavia haberi debeat: hinc Virgilius

Ecl.

a *A. Per. Jul.* 3576. *Ante Chr.* 1138. *a Troja capta* 45. b *Liv. d. l. Dion. Hal. I.* 70. c *Dion. Hal. Ib.*

Ecl. IX. *v.* 47. Caesarem *Dionaeum* vocat, *Ecce* Dionaei *processit Caesaris astrum*. Nam Venus aliquando *Dione* dicitur. Sylvio postquam annos viginti novem regnasset, successit *Aeneas*, qui nomine patris assumpto *Aeneas Sylvius* dictus est, atque ejus exemplo omnes Reges Albani hoc cognomen habuerunt. Atque hic habemus originem primam nominum gentilitiorum, quibus post hos Albanos hominum primi usi fuerunt Romani. Post Aeneam Sylvium (qui regnavit annos triginta & unum) Rex factus est *Latinus* Sylvius annis quinquaginta & insuper uno; quem secuti sunt *Alba* Sylvius annis triginta novem; *Capetus* Sylvius annis viginti sex, qui Livio *Atys* dicitur, sed nos hic potius Dionysium sequimur, tum, quod Livio diligentior fuisse videatur; tum, quod non multum intersit, quomodo haec regum successio ordinetur; quippe quorum vix aliud, nisi nuda nomina restant. Post Capetum er-

go fuit *Capys* Sylvius annis viginti octo: post hunc *Calpetus* (Livio *Capetus*) Sylvius annis tredecim; isque regnum filio *Tiberino* Sylvio reliquit, qui illud non nisi octo annos tenuit. Tum praelio juxta *Albulam* fluvium commisso in eo periisse fertur: atque inde hunc amnem postea *Tiberinum*, vel *Tibrin* fuisse dictum tradunt [a]. Regnum ejus excepit filius *Agrippa* Sylvius, qui regnavit annos quadraginta & unum. Hujus successorem Dionysius vocat *Alladem*, Livius *Romulum* Sylvium (*Eusebio* & *Syncello* est *Aremulus*) Ovidius [b] *Remulum*; qui fulmine percussus dicitur, cum ipse machinis quibusdam exstructis tonitru & fulgur imitari conaretur. Regnavit annos novendecim. Post hunc per triginta septem annos regnavit *Aventinus* Sylvius; unde collis, in quo sepultus fuit, nomen habuit; qui po-

po-

a *Ovid. Fastor. II.* 389. *Vid. etiam Serv. ad Aen. III.* 500. *ubi alias quoque hujus appellationis rationes refert. Vid. eund. ad Aen. VIII. v.* 72. b *Metam. XIV. v.* 617.

ſtea Urbis Romae magna pars fuit: licet alii de hac re aliter ſentiant [a]. Filius Aventini Procas Sylvius, qui poſt viginti tres regni annos deceſſit, cum duos haberet filios, Numitorem Sylvium majorem, Amulium vero Sylvium minorem, illi quidem vetuſtum Sylviae gentis regnum legat; huic vero praecipuas opes; quibus Amulius proceres corrupit, fratremque regno deturbavit [b]. Vel, ut alii narrant, Amulius Numitori optionem dedit, utrum regnum tantummodo, an vero totius patrimonii ſummam, atque omnem paternorum bonorum ſubſtantiam habere vellet: cumque Numitor privatum omne cum facultatibus regno praetuliſſet, Amulius regnum obtinuit [c]. Utque hoc regnum ſibi firmaret *Aegeſtum* Numitoris filium inter venandum ex inſidiis interfici curavit, rumore ſparſo, eum a

 la-

a *Vid. Serv. ad Virg. Aen. VII. v.* 657. b *Dion. Hal. I.* 71. 76. *Liv. I.* 3. c *Sex. Aur. Victor. de Orig. gent. R.*

latronibus caesum fuisse: cujus caedis, licet probe gnarus esset Numitor, tamen metu tyranni illud dissimulare coactus est: qui mox etiam per speciem honoris filiam Numitoris Rheam Sylviam (quae *Ilia* etiam dicebatur) Vestalem legit, ut ita perpetua virginitate ipsi spem partus adimeret [a], ne aliquando ultorem familiae suae pareret. Verum quarto post anno, cum in lucum Martis templo vicinum puella abiisset, ut aquam puram sacrorum caussa peteret, a viro quodam ignoto vi compressa fuit [b]: &, seu ita pro superstitione eorum temporum rata; seu, quia Deus auctor culpae honestior erat [c], Martem incertae stirpis patrem nuncupavit. Et alii quidem unum de procis puellae fuisse volunt: alii, ipsum Amulium armatum, ut puellae terrorem incuteret, eo venisse: qui videntur hoc velle, ipsum A-

a *Liv. d. l.* b *Dion. Halic. I.* 77. c *Liv. I. c.* 4.

Amulium ſubito amore correptum Sylviae vim intuliſſe. Cum autem gravidam factam eſſe intellexiſſet cuſtodes ei appoſuit [a]; &, poſtquam peperiſſet, necavit: vel, ut alii tradunt, filiae ſuae, quae ejuſdem aetatis erat, precibus condonatam carceri incluſit [b], unde poſt Amulii mortem liberata fuerit. Peperit autem geminos, quos Amulius interficiendos ſtatuit: quomodo vero hoc periculum effugerint ex antiquiſſimis omnino ſcriptoribus, (qui hodie deperditi ſunt) iisque viris primariae plane dignitatis, & jam antea citatis, Fabio Pictore, L. Cincio, Porcio Catone, &, qui iis addi poteſt, *Calpurnio* Piſone narrant, qui eos legerunt, Dionyſius Halicarnaſſenſis, & T. Livius: in quibus narrationibus falſa veris eſſe permixta quivis prudens lector, etſi de ſingulis non moneatur, facile intelliget. Scilicet miniſtri regii juſſu Amulii pueros acceperunt in fluvium projicien-

a *Dion. Halic. I. c.* 78. b *Ibid. c.* 79.

ciendos: eosque, cum flumen super ripas effusum esset, in proxima alluvie exponunt; facile, vel altius solito elata aqua, vel dentibus ferarum, vel fame denique exstinguendos. Jam notissima fabula addit [a], lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse: eamque summissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris (regum & virorum principum his temporibus divitiae maxime pecore censebantur) invenerit: eosque ad stabula *Larentiae* uxori educandos tulerit. Nec minus notum est quomodo haec vulgo exponantur: nempe *meretricem* Latinis *lupam* ab animalis illius moribus dictam fuisse [b], unde vulgatum *lupanar*; & *lupari* idem quod *scortari* apud *Nonium* ex *Turpilio* & *Lucilio* [c]. Hanc autem Larentiam inter

a *Liv. I. c.* 4. b *Vid. Cic. pro Mil. c.* 21. *& ibi Abram.* c *Vid. & Lactant. div. instit. I. c.* 20.

inter pastores corpus vulgasse; atque inde locum fabulae & miraculo datum. Nolim tamen haec omnia absque ullo argumento (nisi ignorantiam pro argumento habeamus) ita statim pro fictis rejici, cum etiam alia & vetera & recentia exempla infantum miris modis educatorum exstent. Sic (ut plane fabulosa mittam, Jovem, ex gr., a capra [a], *Telephum* a cerva [b] fuisse nutritos) *Cyrus* etiam a cane educatus dicitur [c]: quibus adde exempla antiqua, quae habet Aelianus *Variae Historiae L.* XII. *c.* 42. & recentiora apud *Philippum Camerarium Horis subcis. Centur.* I. *c.* 75. Verum, ut ad nostros pueros revertamur, ita genitos, ita educatos, tum formae dignitate, tum animo excelso inter aequales ita eminuisse tradunt, ut facile appareret, si alibi quam inter pastores fuissent, non pecori pascendo, aut agro fodiendo eos

a

a *Serv. ad Aen. III. v.* 104. b *Lucian. de Sacrific. T. I. edit. Graev. p.* 364. c *Justin. I. c.* 4. *XLIV. c.* 4. *ubi etiam aliud exem. additur.*

a providentia divina productos esse. Ergo etiam alios pastores saepe a vi latronum defendebant, & praedam latronibus ereptam inter eos dividebant. Erant autem inter eos, qui latrocinia exercebant, etiam ipsi pastores avi eorum Numitoris: qui ob iram praedae amissae diu adolescentibus insidiati [a] tandem Remum captum Regi Amulio tradunt, ultro accusantes. Amulius Remum Numitori ad supplicium dedit: Interim Faustulus Remi periculo audito Romulo omnem rem aperit [b]: qui statim pastorum manu collecta urbem petit fratrem vinculis exempturus. Sed jam Numitor ex Remo, generosa ejus indole captus, exquisiverat, quo genere esset ortus: atque ex adolescentis, imprudentis licet, responso deprehendit, eum nepotem sibi esse. Romulus vero non simul cum globo illo juvenum [c], (nec enim ad vim apertam par erat) sed aliis alio itinere

a *Liv. I. c. 5.* b *Dion. Halic. I. c.* 80. c *Ibid. c.* 81.

mere jussis certo tempore in Urbem venire Albam pergit: ubi ab avo agniti adolescentes ad injurias acceptas caede Amulii vindicandas compelluntur a. Interim etiam Faustulus veritus b, ne Numitor parum fidei Romulo haberet, simul cum alveo, in quo expositi fuerant infantes, ad Urbem pergit. Sed cum summa trepidatione Urbem ingrederetur; & illud, quod ferebat, diligentissime occultaret, unus ex custodibus (custodes ex fidissimis Amulii ob metum hostilis incursionis frequentes erant in portis) eum comprehendit, & detracto amictu, cum nihil nisi alveum conspexisset, & tamen hominem vidisset haesitantem, rogavit, *cur ita trepidaret, quove consilio vas illud occultum ferret, quod palam habere illi utique liceret?* Dum vero plures ex custodibus confluunt inter eos unus forte fuit ex iis, qui olim pueros ad fluvium deportaverant: qui statim alveum agnovit; & rem reliquis

a *Ibid. c.* 82. b *Ib. c.* 83.

quis custodibus indicavit. Ergo simul comprehensum Faustulum ad Regem ducunt; qui Regi omnia, ut gesta erant, aperit. Sed cum Amulius jussisset, ut ubi inveniri possent adolescentes, indicaret; non enim aequum esse, ut cognati sui, cum jam divina ope servati essent, inter bubulcos vitam degerent; subitam istam Regis clementiam suspectam habens Faustulus, *pueros quidem in montibus armenta pascere*, refert; *seque ab iis missum esse, ut matri, quo statu res eorum esset, nunciaret: & propterea alveum illum secum tulisse, ut fidem nuncio suo faceret. Se vero lubenter iis, quos Rex secum mittere vellet, pueros ostensurum esse, ut mandata regia intelligant.* Ita vero sperabat Faustulus, se, cum in montes perventum esset illos, a quibus ducebatur, evasurum. Amulius statim quendam ex fidelissimis satellitibus, qui pueros adduceret, misit. At hic misericordia motus mentem Amulii indicat; qui

sta-

ſtatim juvenes, ut fortiter ſe gererent hortatus magna comitum manu ad regiam pergit: cui, cum ſe etiam illi, qui ex agris jam in Urbem confluxerant, junxiſſent, Amulium facili negotio obtruncant, arcemque occupant. Atque ita fere rem olim narravit Fabius. Alii vero dicunt [a], Numitorem pro nepotibus ſuis alios ſubſtituiſſe, qui ab Amulio necati ſunt; nepotes vero ejus a *Lupa*, hoc eſt, ab *uxore Fauſtuli* fuiſſe educatos: tum Numitorem, poſtquam pueri adoleviſſent, rixam inter ſuos & Amulii paſtores excitaſſe; ejusque rixae occaſione Amulium fuiſſe occiſum, poſtquam per quadraginta duos annos regno praefuiſſet. Ita Numitor recepto regno, ut adverſam ſibi quondam urbanam multitudinem exhauriret, nepotibus novae urbis condendae Auctor fuit [b]; licet alii dicant [c], eos id conſilii cepiſſe motos reverentia Numitoris, ne regno ejus in-

a *Dion. Halic. I. c.* 48. b *Ibid. c.* 87. c *Plut. Romul. p. m.* 22. *C.*

inhiare viderentur: ſed cum juvenes admodum fuerint, ſimilius vero eſt, eos conſilium & auctoritatem avi fuiſſe ſecutos. Nam, ſi fides iis tribuitur, quae ex Varrone narrat Plutarchus *Romulo p.* 24. vix annum aetatis decimum octavum agebant: quanquam *Auctor Chronici Alexandrini* majore ſpecie veri eos viceſimum quartum annum egiſſe ſcribit, qui Urbem anno quarto Olympiadis ſeptimae vult eſſe eſſe conditam. Ergo in iis ipſis locis in quibus educati fuerant, novam urbem aedificare aggrediuntur; (niſi ab Evandro olim conditam inſtauraviſſe velimus) cujus fundamenta jacta eſſe dicunt XI. Kalendas *Maji*; ſive, ut nos loquimur, viceſimo primo menſis *Aprilis*: & is dies deinde *Natalis* (nam ita loquebantur. Cic. Att. IV.) *Urbis*, & feſtus eſt habitus [a]. Idem *Palilia* eſt dictus: vel, ut alii, *Parilia*, qui a *pariendo* ita dictum volunt, quod tunc Urbs quaſi *partu* edita ſit.
Sed

a *Plut. Rom. p.* 23. *F.*

Sed verius Palilia dicuntur *a Pale* pastorum numine, quod eo die colebatur [a]. Fuit hic annus Periodi Julianae 3961. Ante *Christum* 754. Ab orbe condito 3231. Olympiadis sextae annus tertius, vel potius quartus, ita ut eadem aestate septima Olympias celebranda esset. Annus autem primus Urbis pro anno pleno habendus est; ita ut anni secundi initium a Kalendis Januariis sequentibus duci possit. His ita praemissis transibimus ad ipsam Historiam primordii hujus tanti Imperii: quod ad stupendam sane magnitudinem (& quidem, postquam Italiam sibi subjecit, intra ducentos fere annos) pervenit: ita ut mirum non sit superbissimis nominibus de suo Imperio locutos fuisse Romanos; quod facit, exempli gratia, Virgilius [b] Jovem inducens, qui Veneri futuram magnitudinem posterorum filii sui Aeneae pollicetur; &

 Poë-

a *Ovid. Fast. IV. v.* 721. *sq. Vide tamen etiam, si tanti est, Broukhus. ad Propert. IV.* IV. *v.* 71.
b *Aen. I. v.* 228.

inhiare viderentur: ſed cum juvenes admodum fuerint, ſimilius vero eſt, eos conſilium & auctoritatem avi fuiſſe ſecutos. Nam, ſi fides iis tribuitur, quae ex Varrone narrat Plutarchus *Romulo p.* 24. vix annum aetatis decimum octavum agebant: quanquam *Auctor Chronici Alexandrini* majore ſpecie veri eos viceſimum quartum annum egiſſe ſcribit, qui Urbem anno quarto Olympiadis ſeptimae vult eſſe eſſe conditam. Ergo in iis ipſis locis in quibus educati fuerant, novam urbem aedificare aggrediuntur; (niſi ab Evandro olim conditam inſtauraviſſe velimus), cujus fundamenta jacta eſſe dicunt XI. Kalendas *Maji*; ſive, ut nos loquimur, viceſimo primo menſis *Aprilis*: & is dies deinde *Natalis* (nam ita loquebantur. Cic. Att. IV.) *Urbis*, & feſtus eſt habitus [a]. Idem *Palilia* eſt dictus: vel, ut alii, *Parilia*, qui a *pariendo* ita dictum volunt, quod tunc Urbs quaſi *partu* edita ſit.
Sed

a *Plut. Rom. p.* 23. *F.*

Sed verius Palilia dicuntur *a Pale* pastorum numine, quod eo die colebatur [a]. Fuit hic annus Periodi Julianae 3961. Ante *Christum* 754. Ab orbe condito 3231. Olympiadis sextae annus tertius, vel potius quartus, ita ut eadem aestate septima Olympias celebranda esset. Annus autem primus Urbis pro anno pleno habendus est; ita ut anni secundi initium a Kalendis Januariis sequentibus duci possit. His ita praemissis transibimus ad ipsam Historiam primordii hujus tanti Imperii: quod ad stupendam sane magnitudinem (& quidem, postquam Italiam sibi subjecit, intra ducentos fere annos) pervenit: ita ut mirum non sit superbissimis nominibus de suo Imperio locutos fuisse Romanos; quod facit, exempli gratia, Virgilius [b] Jovem inducens, qui Veneri futuram magnitudinem posterorum filii sui Aeneae pollicetur; &

a *Ovid. Fast. IV. v.* 721. *sq. Vide tamen etiam, si tanti est, Broukhus. ad Propert. IV.* IV. *v.* 71.
b *Aen. I. v.* 228.

praecipue inter eos Augusti [a]. Nec Poëtae tantum, sed etiam Historici simili fere modo loquuntur. Videre potest, nam longiores ne simus, vetat exiguum, quod nobis superest, chartae spatium; videri, inquam, potest praeter alios Dionysius Halicarnassensis [b], ubi de ingenti terrarum spatio, quo se Imperium Romanum extenderat, loquitur, rem magnam tamen etiam veritate majorem faciens. Hinc Imperii aeternitatem sibi pollicebantur Romani [c]; & inde in nummis Imperatorum Phoenix conspicitur, quod observavit Vir Amplissimus [d], cui hoc opus inscripsimus. Verum jam ulteriorem rerum Romanarum progressum ut consideremus, tempus postulat.

a *Ib. v.* 287. *Et maxime Aen. VI.* 794. *sqq. Vid. & Ovid. Fast. II. v.* 683. b *Ant. L. I. c.* 3. c *Liv XXVIII.* 28. *Virg. Aen. IX. v.* 447. *Hor. Od. III.* 30. *Amm. Marc. L. XIV. c.* 5. d *de die mundi Diss,* 1. *p.* 189. *sq. Vid. & Illustr. Ez. Spanh. de P. U. N. Diss. V. p.* 287.

FINIS PROLEGOMENORUM.

PRAE-

HISTORIA REIPUBLICAE ET IMPERII ROMANORUM

A B

Urbe condita ad A. U. 727. quo Octaviano Caesari summa Imperii cum nomine Augusti delata fuit.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De regno Romuli.

§. I. Prima novae Urbis initia fœdavit statim Romulus caede fratris sui Remi. Cum enim contentio inter eos esset orta de Imperio, & Urbis statuendae loco ex avi consilio auspiciis rem decerni placuit. a Ibi prior Remus sex vul-

A.U.C. 1. *Per. Jul.* 3961. *Ante Chr.* 754.

§. 1. *De ipsis urbis initiis.*

A

a *Dion. Hal.* 1. *c.* 86.

vultures dextros conspexit: Romulus, sed posterior, bis totidem. Hinc orta contentio in rixam abiit, qua caesus fuit Remus [a]; sive ab ipso Romulo [b]; sive, ut alii, & verius, ut videtur, tradunt a *Fabio Tribuno Celerum*, hoc est, *Praefecto turmae equitum*, quibus corporis custodibus Romulus utebatur, cum Remus fossam & vallum Urbi circumdatum per contemptum transiliisset. Addidit Dionysius *l.* 1. *c.* 87. etiam Faustulum, dum pugnam fratrum dirimere vult, caesum fuisse. Equites autem antiquissimis temporibus *Celeres* sunt dicti a Graeco *κέλης* [c]; quae vox tum *equum singularem*, sive *desultorium*, tum *equitem qui ex eo pugnat*, significat. Hic porro obiter notandum, jam olim vallum & fossas urbium, ut etiam portas inter res sanctas fuisse [d]. Sed tamen nequaquam credendum est, Romulum Urbem omnibus suis partibus perfectam, nempe cum moenibus suis & portis exstruxisse, cum revera tantum arcem in

a *Ib. c.* 87. b *Lucan. l.* 1. *v.* 95. c *Jul. Scal. poet.* 1. 22. *Voss. Etym.* d §. 10. *Instit. de rer. div.*

in monte Palatino ad cujus radices expositus & inventus, & in quo educatus fuerat [a], condiderit: cui tamen statim etiam munitiones aliquae [b], ut ea tempora ferebant, in vicino monte, qui postea *Tarpejus* & *Capitolinus* dictus est, accesserunt [c]: verum muros demum Ancus Marcius, aut *Tarquinus Priscus* Urbi circumdederunt. Ad hanc autem arcem alii aedificia sua in valle subjecta statuebant, ut arcis istius defensione adversus latrones hostesve alios uti possent. Urbe jam condita Romulus agnoscens, ut ipsa ratio dictat, vim non tantum, sed etiam jus Imperii penes Populum esse, advocata concione de instituenda Reipublicae forma disseruit [d]: &, quaecunque reliquis placuisset, se libenter ea usurum esse declaravit. Cumque Populus ipsi regnum deferret, se Deos per auspicia consulere velle declaravit; quae cum ipsi prospera fuissent in regno confirmatus est [e]: ac deinde Romae servatum fuit, ne magistratus majores, nisi auspiciis habi-

 tis,

a *Liv.* I. *c.* 7. b *Ib.* *c.* 8. c *Ib.* *c.* 10. *sq.* d *Dion. Hal.* II. *c.* 3. *Liv.* I. *c.* 8. e *Dion. Hal.* II. *c.* 6.

tis, crearentur; quin nihil unquam majoris momenti postea publice gestum fuit, nisi antea auspicia rite capta essent.

§. 2. *Jura a Romulo constituta.*

§. II. Inde Romulus ad jura civibus suis constituenda animum convertit: utque frequentiam civium augeret *Asylum* aperuit: & hoc plures olim urbium conditores fecisse videntur, ut *Cadmus*, exempli gratia. Et inde, e terra sibi prolem enatam esse, mentiebantur; quia qui ad asylum confugiebant, vel obscuri erant, vel esse conabantur. Nam asyla statuebantur iis, qui caedem non sponte sua fecerant; vel obaeratis; vel servis dominorum suorum saevitiam fugientibus: licet postea haec res in foedum abusum verterit; quem etiam postea Sabini Romanis exprobrarunt. [a] At Romulus multitudine sensim crescente universam civitatem suam in tres partes divisit: easque singulas rursus in decem alias: illae *Tribus*, hae *Curiae* sunt dictae. (Si Livio credimus (I. 43.) a Servio demum tribus institutae sunt.) [b] Inde eos, qui genere, virtute & opibus excellebant, a reli-quis

a *Dion. Hal.* III. c. 2. b *Id.* II. c. 7.

quis civibus secrevit a ; praesertim si qui liberos haberent, iique *Patricii* sunt dicti, reliqui *Plebei.* Quod ad imitationem *Atheniensium* factum videtur, qui cives suos in εὐπατρίδας, *patricios*, sive *nobiles*; & ἀγροίκους, *rusticos*, distinxerunt. Patriciis injunxit Romulus, ut sacra facerent b, & secum rem publicam curarent; plebejis, ut agros colerent, & artes quaestuosas exercerent. Tum permisit plebejis, ut quisque, quem vellet ex patriciis, *patronum* sibi deligeret: & patronos quidem *clientibus* c qua opera, quo consilio adesse, ut parentes solent liberis; clientes vero filiorum obsequium patronis praestare jussit. Ad hujus moris imitationem postea etiam coloniae d, imo gentes exterae in clientela illustrium familiarum Romanarum fuerunt; & hoc jus ad tempora *C. Gracchi* usque, hoc est, ultra sexcentos annos, firmissimum Reipublicae vinculum fuit. Inde Romulus e ex iis, qui aetate, virtute, genere eminebant, consilium centum virorum legit, qui honoris caussa *Senatores*

a *Ibid. c.* 8. b *Ib. c.* 9. c *Ib. c.* 10. d *Ib. c.* 11. e *Dion. Hal.* II. *c.* 12.

natores sunt appellati. Et hoc natura ipsa ita docente omnibus fere gentibus quasi innatum fuit; ut, qui Senatoris, vel magistratus munere fungerentur, quamquam juniores essent, ab aetate denominationem acciperent. Licet autem jam quaedam de iis notaverim in *posteriore editione Compendii Antiq. Rom. Sect.* I. *Cap.* II. §. I. tamen animi caussa hic quaedam huc spectantia addere lubet. Apud Israelitas illi, quos jubente Deo, monente *Jethrone* in consilium sibi adsciverat Moses (*Exodi* XVIII. XIX. 7.) *Seniores* vocantur: eaque appellatio, quamdiu Israelitis civitas constitit, obtinuisse legitur. Scriptor post sacros antiquissimus Homerus *judices* etiam *γέροντας*, *Senes* vocat, *Iliad.* Σ. v. 503. ut & *consiliarios*, *Iliad.* B. v. 21. 53. Z. v. 113. &c. *Apud* Lacedaemonios *quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur* Senes. Verba sunt Ciceronis *Catone majore c.* 6. Eadem de caussa etiam *Christianis presbyteri* dicuntur *ministri sacrorum*. In *Annalibus Fuldensibus aliquem ad seniorem eligere* nihil aliud est, quam *eum Regem, vel Principem constituere.*

re [a]: Et, ut tandem desinamus, in *antiqua versione Bibliorum Saxonica* semper *Principes Aldermen* vocantur [b]. Sed ad Romulum revertamur. Ille lecto Senatu etiam ex nobilioribus juvenibus [c] trecentos secrevit, quibus ad custodiam corporis sui uteretur: quos *Celeres* appellatos fuisse jam supra diximus. Constituit porro, ut penes Regem primo omnium sacrorum suprema cura esset: quod etiam prudenter, & naturae rei convenienter ab eo factum esse abunde patet, cum tanta merito sit divini cultus reverentia, ut nemini privato aliquid in ea sit permittendum. Unde etiam semper postea clarissimi Senatores & Magistratus Sacerdotia praeclariora, laudando imprimis more, gesserunt: ut alibi jam monuimus. Secundo, custodiam legum, morum, & juris sibi sumpsit; ita, ut de gravibus causis ipse quidem judicaret, leviorum autem cognitionem Senatui permitteret. Tertio, ut Senatum & Populum Rex convocaret; ejusque decreta exseque-

 retur.

a *Vid. Buchel. notis ad Hedam p.* 89. b *Vid. Bingham antiquities of the Christ. Church ch.* 19. c *Dion. Hal.* 11. *c.* 13. d *Ib. c.* 14.

retur. Quarto, ut in bello summum haberet Imperium; quia res bellicae & secretam consultationem, & celerem exsecutionem desiderant. Quorum neutrum obtineri potest, si frequenti Senatu de iis agendum sit; multo minus, si coram populo. Senatui dedit, ut de iis, quae ipse ad eum retulisset, cognosceret, utque, quod pluribus placuisset, id demum ratum haberetur. Populo denique concessit, ut magistratus crearet, leges ferret, & de bello decerneret: cujus tamen decreta ita demum rata erant, si ita Senatui quoque visum foret a. *Populum* hic dico, licet Dionysius Halicarnassensis de hac re agens δημοτικὸν πλῆθος habeat, quod *plebem* interpretantur; ego putem commodius posse verti *popularem multitudinem*, vel *populum universim*: non enim summam Reipublicae potestatem, quae magistratibus, legibus, & jure belli ac pacis unice fere continetur, meliori parti Populi, Senatoribus puta ac Equitibus, ita eripere credo voluisse Romulum, ut totam infimae solum plebi traderet: nec cum se-

a *Vid. Compend. nostr.* S. 1. c. 6. §. 1.

ſequenti Reipublicae ſtatu hoc convenit. Sed hoc egiſſe videtur, ut omnes communi animo Rempublicam gerere poſſent: quemadmodum revera Comitiis curiatis, quae hoc tempore ſola obtinebant, ab omnibus omnino civibus factum eſt. Nec aſylum aperuiſſe contentus Romulus, ut etiam porro civitatem ſuam frequentem redderet, primum juſſit, ut omnis virilis proles, & primogenitae filiarum educarentur: nam pro jure eorum temporum pater non tenebatur invitus liberos ſuos educare: ſed vel occidere eos, vel abjicere poterat [a]. Deinde in hunc eundem finem ſaluberrimo conſilio inſtituit Romulus, ne civitates victae delerentur: ſed, ut ex civibus Romanis quidam mitterentur, qui cum priſtinis civibus eas urbes *colerent*, unde *coloniae* ſunt dictae: quibusdam etiam jus civitatis Romanae daretur [b]. Atque ita factum eſt, ut pro ter mille peditibus, & trecentis equitibus, quibus initio res Romana conſtiterat, moriens Romulus quadragies ſexies

 mil-

a *Vid. Comp. noſtr. Ant. Sect.* VI. *cap.* V. §. 4.
b *Dion. Hal.* II. *c.* 16.

mille pedites, & Equites fere mille reliquerit. Hunc morem cum deinde Reges, & mox Magistratus annui servassent, contigit, ut hic populus omnes alias gentes multitudine hominum superaret a: cum contrarium facientes Lacedaemonii, Athenienses, *Thebani* brevi tempore imperium in Graeciam amiserint. Et merito me hoc consilium vocasse *saluberrimum* pluribus argumentis probari possit; sed pauca tantum pro modulo operis nostri hic afferemus. Primo enim necessarium prorsus hoc esse consilium facile apparet; quod nemo jure sperare possit, se regiones amplas, & incolis, qui hostilem animum gerunt, plenas imperio cohibere posse, nisi sensim illi animi mitigentur, & in unum quasi corpus cum victoribus coalescant; quod, nisi coloniis deducendis, & jus civitatis victis largiendo, fieri vix posse videtur. Secundo, ita facillime populationes b & incursiones hostiles reprimi possunt c. Tertio, cum multi

a *Vid. etiam Dion. Hal.* III. II. b *Cic. de L. Agraria contr. Rull.* II. *c.* 27. c *Vid. Bacon. de Verulam Serm. fid. c.* 29. *quod est de proferendis Imperii terminis.*

ti hac ratione, ut uxores ducant permoveantur, necessarium est stirpem hac ratione maxime augeri. Quarto, etiam plebs urbana & otiosa, atque ita Reipublicae noxia, facillime hac ratione exhauritur a: atque, quinto, eadem ratione commodissime sedantur motus civitatis intestini. Sexto denique, hoc modo milites veterani sine cujusquam injuria praemiis ornari possunt, quod alia ratione vix, ut fiat, obtineas: cui rei etiam hoc commodum accedit, ut ita animos eorum spe praemiorum ad egregia quaevis facinora optime incendas. Vide etiam *Sigonium de antiquo jure Italiae L.* I I. *c.* 2. Et sane etiam Principes prudentiores hoc consilio saepe sunt usi: sic *Assyriae* Rex cum Israëlitas e patria eorum abduxisset, in eorum locum colonos ex variis regionibus induxit, qui Israëlitarum urbes incolerent b: quemadmodum illi ipsi fatentur, se a Rege Assyriae eo deductos fuisse c. Et hodierna exempla probant ejus rei in omnibus utilitatem; cum videamus, quantum prae-

a *Cic. l. d. c.* 26. *ad Att. l.* 18. b II. *Reg.* XVII. 24. c *Ezr.* IV. 3.

praecipue *Batavi* nostri, tum etiam *Angli* coloniis in dissitissimas orbis regiones missis profecerint. Sed haec jam porro nostri fori non sunt. Pergamus videre quae praeterea instituerit Romulus.

§. 3. *Reliqua Romuli instituta.*

§. III. Cum sciret civitates tribus maxime modis & conservari & augeri posse [a], benevolentia scilicet Deorum, (ut misere plures Deos sibi homines confinxerant) temperantia & justitia inter cives, & fortitudine bellica, primum quidem cultum Deorum ordinatissime, ut tum res ferebant, instituit, rejectis illis indignissimis Graecorum fabulis [b] de criminibus nempe, bellis, vulneribus Deorum, & si quæ alia Graecia mendax finxerat: removens etiam cultus Deorum fanaticos, clandestinos & peregrinos. Sacerdotes, ut jam innuimus, legit [c] ex iis, qui genere, censu, virtute reliquis praestabant. Tum, ut concordiam inter cives & frugalitatem servaret, singulis curiis exstruxit singula coenacula, in quibus *ejusdem curiae homines* (*Curiales* Latini vocant) die-

a *Dion. Hal.* II. *c.* 18. b *Ib. c.* 19. c *Ib. c.* 21.

diebus festis simul epularentur: quae convivia egregie ad frugalitatem faciebant, quod non licebat in iis apponere, nisi res tenues [a] & eas tenui apparatu: isque ritus constantissime servatus est, etiam cum jam luxus Rempublicam plane corrupisset. Leges etiam de vita civili utilissimas tulit: cum enim videret [b] discordiam inter virum & uxorem multarum in Republica calamitatum esse caussam, legem tulit [c]; ut mulier cum marito omnium bonorum & sacrorum particeps esset: quae caussa fuit, cur intra quingentos & viginti annos post Urbem conditam nullum Romae divortium factum sit [d]. Praeterea etiam potestatem patribus in liberos concessit [e], quanta apud nullos unquam populos obtinuit [f]. Ut porro generosiores redderet civium suorum animos, artes sedentarias, & illiberales servis, libertinis & exteris exercendas dedit [g], civibus agriculturam, ut magni animi cura rem dignissimam, & militiam reliquit; eosdemque

a *Ib. c.* 23. b *Ib. c.* 24. c *Ib. c.* 25. d *Val. Max.* II. *l.* 14. e *Dion. Hal. L.* II. *c.* 26. f *V. Comp. nostr. Ant. R. Sect.* VI. *cap.* V. §. 4. g *Dion. Hal. L.* II. *c.* 28.

que & bellicam & rusticam vitam exercere, & ex aequo, quae hostibus ademissent, dividere jussit. Ipse etiam, ut se aequitatis amantissimum ostenderet, judicia severe exercuit, ea ipsa re se magnum in parvis rebus Principem ostendens: nam nunquam vere magnus princeps exstitit, quin idem quoque rigidissimus justitiae cultor fuerit.

Et jam satis validae Romanae res esse incipiebant: sed penuria mulierum hominis duntaxat aetatem duraturae esse videbantur [a]: & vicinae gentes societatem connubiumque Romanorum adspernabantur [b], per ludibrium legatos Romuli ea petentes percunctati, *Ec quod feminis quoque asylum aperuissent? id enim demum compar connubium fore.* Romulus dissimulata injuria ex Senatusconsulto finitimos cum sororibus ac filiabus ad spectaculum solemne in honorem Dei Consi, sive Neptuni celebrandum invitat: at, ubi mentes cum oculis eo deditae erant, ex composito, ut quisque suorum virginem inde sibi ra-

a *Flor.* I. I. b *Liv.* I. c. 9. *Dion. Hal.* II. c. 30.

raperet, jussit: Nec segniter jussis regiis obtemperatum est. Dionysius Halicarn. *L.* II. *c.* 31. id praecipue factum putat, ut vicinae civitates etiam invitae amicitiam cum Romanis contrahere cogerentur; cum hinc matrum, inde filiarum interventu necessario aliquando pax coalitura esset. Hinc tamen statim bellum est ortum. Et si omnes illae gentes junctis viribus Romanos fuissent aggressae de recenti Imperio actum fuerat: nunc *dum singulae pugnant universae vincuntur.*

§. IV. Et primo *Caeninenses* caeteris promptiores Romulum adoriuntur: qui acie ipsos superat a, & urbem ipsorum capit, Rege eorum *Acrone* caeso. Ac mox etiam superatis *Antemnatibus* b de utraque civitate triumphum egit: & *spolia opima* Caeninensium Regi detracta Jovi *Feretrio* suspendit c. Victis non tantum veniam dedit; verum eos etiam in civitatem accepit d precibus *Hersiliae* conjugis motus: an quod ipse id suis re-

A.U.C. 4.
§. 4. *Bella a Romulo gesta.*

a *Dion. Halic.* II. *c.* 32. b *Ib. c.* 34. c *Vid. Cl. Perizonii Anim. Histor. c.* 7. d *Liv.* I. *c.* 11.

rebus conducibilius putaret; ut hoc ejus consilium jam explicavimus. Eodemque modo mox usus est *Crustuminis*, cum etiam eorum urbem in potestatem redegisset. His gentibus Plutarchus [a] etiam addit *Fidenates*, quos etiam a Romulo victos & Romam translatos narrat. At gravissimum Romulo bellum cum Sabinis fuit. Nam hi a subito Romanorum incremento sibi metuentes ingentem belli molem cient. Romulus vero omni modo defensionem parat [b]; cui etiam ex Etruria duce *Lucumone*, & Alba ab avo missa auxilia venerant: & pace frustra tentata castra ante Urbem collocat exercitu viginti millium peditum, octingentorum equitum instructus; si fides Dionysio Halicarnassensi; qui Sabinorum copias Romanis etiam majores facit: sed hic error multis historicis est familiaris, ut de patriae nostrae Historicis antiquioribus observat, qui optime de ea re judicare potuit, *Petrus Scriverius observationibus ad vetus Chronicon Gaudanum*, & alibi. *Tatio* autem (Rex hic

a *Vita Rom. p. m.* 27. b *Dion. Hal.* II. *c.* 37.

hic erat Sabinorum) metuenti, ne ibi frustra tempus terere cogeretur insperata felicitas oblata est; ut quidem vulgo narrant, sed, ut videtur, parum vere. Erat arcis Romanae custos *Sp. Tarpejus*; cujus filia *Tarpeja* capta splendore annulorum & armillarum, quas brachiis gestabant Sabini, arcem iis prodere statuit, pretium proditionis pacta illud, quod brachiis sinistris gestarent Sabini: at hi arcem jam ingressi clypeis, quos etiam in sinistris gestabant, in virginem conjectis eam obruerunt. Alii dicunt, Tarpejam, cum jam in arcem venissent Sabini, eique aurum offerrent scuta eorum petiisse a, ut ita inermes eos suis traderet: Sed vix videtur verisimile, stultos adeo id temporis homines fuisse, ut talia vel peterent, vel promitterent: ita ut, quod prius narratum est, verius putem. Sed, ut dicam quod sentio, tota narratio valde suspecta est; & suspectiorem facit quod geminam historiam narrat Plutarchus in *Parallelis p. m.* 309. *B.* de puella quae similibus fere legibus *Ephesum Brenno*

a *Ibid. c.* 40.

Gallorum duci se tradituram esse promisisset. Nam cum eventus valde similes & mirandi de hominibus diversae plane aetatis & regionis narrantur indicium falsitatis satis magnum id mihi esse videtur: quod uno & altero exemplo obiter illustrare lubet. Sic, quod Livius *L.* I. *c.* 54. narrat de *Tarquinio* capita papaverum decutiente, jam diu ante eum narraverat Herodotus *L.* v. *c.* 92. de *Thrasybulo* & *Periandro*, hoc *Corinthio* illum *Milesiorum* tyrannum consulente: & diu post eum narravit *Mariana Historiae Hispanicae* X. 16. de Abbate quodam, qui simile consilium *Ramiro Arragonum* Regi dederit. Et ne etiam patria nostra jucundae fabulae expers esset, primum Hollandiae Comitem *Theodoricum* simul cum *Carolo Calvo Franciae* Rege idem responsum a Papa *Joanne* VIII. tulisse dicunt, cum eum de compescendis *Hollandis Frisonibusque* consuluissent: a sic quod de *Sixto* V. Papa narrant, sutorem quendam ei vendidisse calceos solvendos cum Papa factus esset b, etiam refertur

a *Vid. Scriverii Bataviam veterem.* b *Leti in vita ejus.*

tur de *Joanne Brognio* Cardinali [a]; qui itidem ut Sixtus, subulcus fuerat. Et plura, nisi satis exemplorum esset, afferre possemus. Quicquid sit, hoc certum est, [b] Romanos aliquanto post acerrimo praelio cum Sabinis decertasse; sed quod nox diremit antequam de victoria constaret. Et post paucos rursus dies pertinacissime pugnatum est in loco, ubi postea forum Romanum fuit, ipso Romulo vulnerato [c]: sed & hoc praelium anceps fuit. At demum mulieres raptae, auctore consilii Hersilia, vel inter duas acies intercurrentes [d]; vel, ut alii tradunt, in castra Sabinorum profectae [e] precibus obtinuerunt, ut pax hisce conditionibus fieret [f]: Ex duabus civitatibus fieret una: *Titus* Tatius aequato cum Romulo imperio regnaret: Urbs pristino nomine ROMA: Cives a *Curibus* (Tatii haec patria erat) QUIRITES dicerentur. Atque ita multi viri illustres cum clientibus suis e Sabinis Romam transmigrarunt. Non omnes ta-

a *V. R. l'Enfant Hist. du Conc. de Constance T.* 1. *p.* 15. b *Dion. Halic.* II. *c.* 41. c *Ib. c.* 43. d *Liv.* I. *c.* 13. e *Dion. Hal.* II. *c.* 45. f *Ib. c.* 46.

tamen Sabinos in hoc foedus consensisse patet; quod sub *Tullo* Rege[a], & deinde saepius bella cum iis gesta sint. Ita aucta civitate Senatorum & legionum numerus duplicatus est[b]: & mulieribus, ut pacis auctoribus, magni honores concessi sunt. His peractis *Quirinalem* & *Coelium* colles Urbi addiderunt[c]: ita quidem, ut Tatius cum Sabinis Capitolium vicinumque Quirinalem obtineret: Coelium vero & Palatinum Romulus. Mox *Camerinos* latrocinia exercentes vicerunt; & in urbem eorum coloniam miserunt.

A.U.C.9. Quinto; aut sexto anno post pacem cum Sabinis factam evenit, ut propinqui quidam Tatii legatos Laurentum, vel, ut alii, *Laviniensium* Romam proficiscentes spoliaverint non tantum, sed & necaverint. Tatius vero injuriam hanc expostulantibus Laviniensibus satisfacere neglexit; unde ab ipsis inter sacrificia occisus fuit, caedem ejus probante ob facinoris injuriam Romulo. Qui ita solus Imperio potitus cum priscis Latinis ultro

a *Liv.* I. *c.* 30. b *Dion. Hal.* II. *c.* 47. c *Ib.* *c.* 50. d *Liv.* I. 14. *Dion. Hal.* II. *c.* 51. *seqq.*

tro amicitiam ejus expetentibus foedus junxit: Fidenates qui Romanorum naves diripuerant, subegit, & in Urbem eorum coloniam duci jussit. Mox Camerinos rebellantes fudit; & *A. U. C. 16.* Urbe eorum capta cives Romam traduxit, bis totidem colonis in locum eorum missis a. Anno sequente bellum gessit cum *Vejentibus* b Etruriae populo, qui Fidenatium caussam ulcisci volebant: & primum quidem praelium anceps fuit; secundo vero victor Romulus c magna parte agri Vejentibus ademta pacem in centum annos cum iis pepigit: triumphoque de iis, ut antea de Camerinis fecerat, ducto multis captivorum, qui Romae manere magis, quam in patriam reverti volebant, civitatem dedit.

§. V. Tot rebus egregie gestis e- *§. 5. Romuli finis.* latus animo Romulus insolentius se, praecipue adversus Senatum, gerere coepit d, eumque contemnere: ut fere, qui res maximas foris gesserunt, domi insolentiores esse incipiunt; cujus rei exempla domestica afferre o-

a *Plut. vita Rom. p. m.* 33. b *Liv.* 1, *c.* 15. c *Dion. Hal.* 11. *c.* 55. d *Plut. p. m.* 34. *Liv.* 1. *c.* 16. *Dion. Hal.* 11. *c.* 56.

tamen Sabinos in hoc foedus consensisse patet; quod sub *Tullo* Rege[a], & deinde saepius bella cum iis gesta sint. Ita aucta civitate Senatorum & legionum numerus duplicatus est[b]: & mulieribus, ut pacis auctoribus, magni honores concessi sunt. His peractis *Quirinalem* & *Coelium* colles Urbi addiderunt[c]: ita quidem, ut Tatius cum Sabinis Capitolium vicinumque Quirinalem obtineret: Coelium vero & Palatinum Romulus. Mox *Camerinos* latrocinia exercentes vicerunt; & in urbem eorum coloniam miserunt.

A.U.C.9. Quinto, aut sexto anno post pacem cum Sabinis factam evenit, ut propinqui quidam Tatii legatos Laurentum, vel, ut alii, *Laviniensium* Romam proficiscentes spoliaverint non tantum, sed & necaverint. Tatius vero injuriam hanc expostulantibus Laviniensibus satisfacere neglexit; unde ab ipsis inter sacrificia occisus fuit, caedem ejus probante ob facinoris injuriam Romulo. Qui ita solus Imperio potitus cum priscis Latinis ultro

a *Liv.* I. *c.* 30. b *Dion. Hal.* II. *c.* 47. c *Ib.* *c.* 50. d *Liv.* I. 14. *Dion. Hal.* II. *c.* 51. *seqq.*

tro amicitiam ejus expetentibus foedus junxit: Fidenates qui Romanorum naves diripuerant, subegit, & in Urbem eorum coloniam duci jussit. Mox Camerinos rebellantes fudit; & Urbe eorum capta cives Romam traduxit, bis totidem colonis in locum eorum missis a. Anno sequente bellum gessit cum *Vejentibus* b Etruriae populo, qui Fidenatium caussam ulcisci volebant: & primum quidem praelium anceps fuit; secundo vero victor Romulus c magna parte agri Vejentibus ademta pacem in centum annos cum iis pepigit: triumphoque de iis, ut antea de Camerinis fecerat, ducto multis captivorum, qui Romae manere magis, quam in patriam reverti volebant, civitatem dedit. *A. U. C. 16.*

§. V. Tot rebus egregie gestis elatus animo Romulus insolentius se, praecipue adversus Senatum, gerere coepit d, eumque contemnere: ut fere, qui res maximas foris gesserunt, domi insolentiores esse incipiunt; cujus rei exempla domestica afferre o- *§. 5. Romuli finis.*

a *Plut. vita Rom. p. m.* 33. b *Liv.* I, *c.* 15. c *Dion. Hal.* II. *c.* 55. d *Plut. p. m.* 34. *Liv.* I. *c.* 16. *Dion. Hal.* II. *c.* 56.

diosius sit. Itaque non diu post subito disparuit. Et constantior fama est, eum dum ad *Capreae* paludem concionem haberet, & ingens subito tempestas coörta esset, dilapsa reliqua multitudine a Senatoribus fuisse discerptum: qui deinde, ut caedis invidiam a se amolirentur, quendam ex suis *Julium Proculum* nomine nobilitate & sanctitate clarum subornarunt, qui se Romulum in coelum euntem vidisse sancte dejeraret: eumque jussisse, ut cives sui se *Quirinum* Deum factum colerent a; quod a vulgo avide arreptum est, illique aedes consecrata fuit. Uxor ejus Hersilia etiam in Deos relata est, & *Hora* dicta b. Regnavit Romulus annos triginta septem.

A. U. C. 38. *Per. Jul.* 3999. *Ante Chr.* 716.

CAPUT SECUNDUM.

De Regno Numae.

§. 1. *Numae initium.*

§. I. Ita sublato Romulo cum inter Romanos & Sabinos contentio orta fuisset ex utra gente Rex in Ro-

a *Ovid. Fast.* II. *v.* 475. *sqq.* b *Id. Metam.* XIV. *v. ult.*

Romuli locum sufficiendus esset, primum quidem placuit [a], ut Senatores in decurias dividerentur, utque decem viris, quibus primis sors obvenisset, summum in Republica Imperium traderetur: non quidem, ut decem simul imperarent; sed quisque quinque dies per vices, quibus diebus cum insignibus Imperii & lictoribus esset: iisque elapsis ea secundo traderet, donec ita quinquaginta dierum spatium transactum esset. Tum sequens decuria eodem modo praeerat, ita ut Imperium in orbem iret. Annuum hoc intervallum fuit: id ab re *Interregnum* appellatum. Sed quanquam modeste hi interreges praeessent [b] tamen Populus minus aeque hanc regiminis formam ferebat: Itaque convenit inter utramque factionem, ut altera Regem ex alterius corpore legeret. Cumque ea lectio veteribus Romanis esset permissa, maluerunt illi regnum Sabino deferre, quam Regem illorum suffragiis accipere Romanum. Ergo Populus jussus a patribus Regem creare, cujus

 fa-

a *Liv.* 1. *c.* 17. *Dion. Hal. II. c.* 57. b *Plut. Numa p. m.* 61.

facti patres auctores fierent: quod tam gratum plebi fuit, ut jusserint, *Senatus decerneret, qui Romae regnaret.* Vivebat ea tempestate Curibus Sabinorum oppido virtutis & sapientiae laude inclytus Numa *Pompilius Pomponii* filius eundem cum Urbe natalem habens a: eique honoris caussa T. Tatius unicam filiam nuptum dederat: At post uxoris mortem in lucis fere sacris, similibusque locis vitam degebat: unde postea rumor fuit ortus eum cum Nympha, sive Dea *Egeria* consuetudinem habuisse. Itaque cum totus studiis & religionibus deditus esset primo regnum oblatum recusavit: sed tandem, cum etiam pater ejus, & *Marcius* propinquus urgerent, accederentque laeta auspicia, re divina facta Romam profectus est, & omnium suffragiis Rex renunciatus. Inito regno statim trecentorum Celerum cohortem exauctoravit b in benevolentia civium fiduciam reponens: & omnimodo populum ferocem pacis artibus, & sacrorum plurium institutione a bellis avertere, & ad huma-

ma-

a *Ibid. p.* 62. b *Plut. p. m.* 64.

manitatem & justitiam mollire paravit. Hinc vulgo creditum est, eum *Pythagoram Crotone* in ultima Italiae ora docentem audivisse: Sed & ipsa Croton quatuor demum annis, postquam regnum accepit Numa, condita fuit: & Pythagoram *Servio Tullio* Romae regnante centum amplius post annos juvenum aemulantium studia coetus habuisse constat a. Nisi dicere velimus †, alium quendam *Pythagoram Spartanum* Numae in regno constituendo consiliorum adjutorem fuisse. Sed fama hinc orta videtur, quod Numae instituta cum *Pythagoraeorum* placitis multa haberent communia b: veluti, quod uterque hominis, aut alterius animalis forma Deum effingi vetuerit c: & inde Varro d dixit antiquos Romanos plus quam annos centum & septuaginta Deos sine simulacro coluisse.

† *Plut. p. m.* 60.

§. II. Ut ergo sacrorum curam supremam se suscepisse significaret, Pontificum e, qui sacris praeessent, collegio

§. 2. *Gesta Numae.*

a *Liv.* 1. *c.* 18. b *Ibid. p.* 69. c *Ib. p.* 65. d *in fragm. p.* 46. *ed. opt. Durdrecht.* e *Dion. Hal.* 11. *c.* 73.

legio instituto, generum *Numam Marcium* [a] eorum Principem fecit *Pontificis Maximi* nomine ornatum. Et sapientissime eosdem viros & sacris & civilibus rebus praefecit, ne praetextu res divinas tuendi homines vel ambitiosi, vel superstitiosi turbas excitarent; quod tot aliis civitatibus perniciosum fuit. Creavit ergo Flamines, *Dialem* Jovis Sacerdotem, *Martialem*, & *Quirinalem*. *Virgines Vestae* sex, vel, juxta alios, quatuor, Marti *Gradivo Salios* duodecim legit. *Augures* primum constituit, & *Feciales*, qui foederum curam gererent; & si qua gens Romanos laesisset, bellum ei rite jussu Populi indicerent. Licet tamen juri Feciali formam propriam Ancus demum Marcius dederit [b]. *Fidei*, & *Termino*, quae numina finxerat, templa statuit [b]; ut suos *fidem* colere, & *terminos* agrorum immotos servare doceret: & hos hos quidem sacros esse jussit, ita, ut si quis eos loco movisset, quolibet impune occidi posset [c]. Collegia varia artificum formavit, quae singu-

la

a *Liv.* I. *c.* 32. b *Plut. Numa p.* 70. c *Dion. Hal.* II. *c.* 74.

la suos coetus & sacra peculiaria haberent: ut ita civitatem quae ex variis gentibus, diversoque hominum genere convenerat, ad concordiam adigeret. Utque anni formam a Romulo inscite inductam meliorem redderet eum ad lunae cursum ordinavit mensibus intercalaribus interpositis, ita ut vigesimo quarto quoque anno ad cursum solis hic annus redigeretur. Idem nefastos dies fastosque fecit a: quia aliquando nihil cum populo agi posse utile futurum erat. His omnibus ita institutis finitimos in magnam verecundiam adduxit, qua civitatem unice in cultum Deorum versam violare nefas ducerent. Et hinc toto regni sui tempore *Janum clausum* habuit; quod ex ipsius instituto pacis signum erat b; ut contra bello exorto statim aperiebatur c. Verum interim, quod paci conveniebat, agriculturae studium maxime Romanis commendavit, agros Romanos finibus terminans d, & in pagos describens e: agri etiam parte, quam Romulus

a *Liv.* I. *c.* 19. b *Liv.* 16. c *Vid. Ovid. Fast.* I. *v.* 121. *Virg. VII. v.* 67. d *Dion. Hal.* II. *c.* 74. e *Ib. c.* 76. *Plut. Numa p.* 71.

mulus quaesiverat, egenis de plebe viritim divisa a gnavos praemiis & honoribus ad labores excitavit, cum inertes ignominia ac poenis castigaret. *Pomoerium*, sive Urbis ambitum *protulisse* a quibusdam dicitur b colle Quirinali illi adjecto: sed verius est, eum hunc collem munivisse tantum; cum *capite praec.* jam viderimus, eum post Sabinos in civitatem receptos Urbi fuisse additum: nec ulli postea pomoerium proferre licuit, nisi qui etiam fines Imperii protulisset, quod non fecerat Numa.

§. 3. *Leges quaedam Numae.*

§. III. Leges de rebus sacris plurimas tulit, praeter ea instituta quae jam retulimus: sed quas hic recensere operae pretium non fuerit. Addi potius possunt civiles: ut quod *de pactorum jure* constituit c, *ut contractus dubii & sine testibus facti fide ac jurejurando terminarentur.* De patria potestate, *Ut, si pater filio concesserit ducere uxorem futuram bonorum ac sacrorum juxta leges participem, patri postea nullum jus vendendi filium esset* d: qua lege acerbitatem legis Romuli correxit,

a *Dion. Hal. Ib. c.* 62. b *Ibid.* c *Dion. Hal.* II. *c.* 75. *Liv.* I. *c.* 21. d *Plut. l. prox. d.*

rexit, *qui omnem verberum vinculorumve vitae necisque arbitrium & potestatem, ter insuper venum dandi jus patri in suos filios concesserat* a. De paricidio: *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto* b. De perduellione: *si quis adversus Rempublicam faciundo Regis magistratusve, populive majestatem hostili animo laeserit* perduellis *esto*. Poena erat, ut damnati caput obnuberetur; infelici arbori reste suspenderetur; cum prius vel intra pomoerium, vel extra pomoerium verberatus esset c. Hanc autem legem Numae tribuo, quod videam eam sub Tullo Hostilio fuisse exercitam: nec verosimile sit, eam tum primum a Populo in caussa tam favorabili, ac erat *Horatii* caussa, fuisse latam. Ita optimis legibus aucta civitate Numa obiit octogenario major; postquam regnasset annos quadraginta tres.

a *Dion. Halic.* 2. *c.* 26. *sq.* b *Fest. v. Parici.* c *Liv.* 1. *c.* 26.

CA-

A. P. Jul. 4042. A. C. 673. A. U. C. 81.

CAPUT TERTIUM.

De Tullo Hostilio.

§. I. Tulli Regis initia.

§. I. Mortuo Numa ad veteres Romanos regnum rediit: nam Populi jussu Patrum auctoritate a ei suffectus est Tullus *Hostilius* nepos ex filia *Hosti Hostilii* viri insignis qui capta a Romulo patria sua *Medullia* Romam migraverat b, & fortiter olim contra Latinos in infima arce pugnaverat. Hic Tullus ipso Romulo ferocior fuit c: ubi obiter mirari libet divinam providentiam, quae, quod Imperium olim terrarum orbis caput futurum decrevisset, ita alterna vice constituit, ut Romulo bellatori successerit legifer Numa: huic iterum bellicosus Tullus: Tullo Ancus pacis amantior: post quem Tarquinius Priscus rursus armis validior fuit successorem relinquens maximum civilis ordinis fundatorem Servium Tullium, ut deinceps sui locis dicemus; & jam olim satis cum judicio ostendit *Florus*.

§. II.

a *Liv.* I. *c.* 22. b *Dion. Hal.* III. *c.* I. c *Liv.* *d. l.* *Virg. Aen. VI. v.* 812.

§. II. Tullus autem statim, ut plebem sibi devinciret agrum regium tenuioribus largitus est. Sed anno regni sexto senescere civitatem otio ratus Janum aperuit a undique bello materiam quaerens; quam facile praebuit Albanorum Dictator *Cluilius* b potentiae Romanorum invidens, eorumque agros latrociniis infestans; siquidem Romanis rerum scriptoribus credere licet: nec possumus hodie judicare utrum jure recesserint a foedere cum Romulo facto, cum ejus verba non exstent, quae doceant utrum etiam ad ejus successores pertinuerit: At cum ad arma ventum foret Cluilius mane in tabernaculo violentae coedis indicio mortuus est inventus c. Successit ei *Metius Fuffetius*, qui res Albanorum minus firmas esse sentiens, & praecipue metuens, ne si vires Romani & Albani inter se contrivissent, Fidenates & Vejentes victores, quicunque tandem fuissent, aggrederentur d (nam eos conjurasse senserat,) omni studio controversias sine bello dirimere conabatur e. Convenerunt ergo §. 2. *Tulli res gestae.*

a *Euseb. Chronic.* b *Dion. Hal.* III. *c.* 2. c *Ib. c.* 4. d *Ib. c.* 6. e *Liv.* I. *c.* 23.

ergo ad colloquium Tullus & Fuffetius: & hic quidem omnem injuriarum memoriam abolendam esse censuit: Tullus non hoc tantum, sed ex duabus civitatibus unam facere voluit a: Verum cum convenire non possent, utra civitas alteri imperaret, ex sententia Tulli placuit, ut ex paucorum quorundam certamine ea lis dirimeretur b. Ferunt autem (nam fides sit penes auctores) forte fortuna in utraque civitate trigeminos fuisse fratres genere, virtute, corporis robore praestantissimos; &, quod maxime mirandum esset, eodem die in lucem editos c. *Sequinius* enim fuerat Albanus, qui geminas filias, alteram *Horatio* Romano, alteram Albano *Curiatio* (alii *Curatio* legunt d) desponderat; quae eodem tempore gravidae factae primo partui prolem masculam ediderant, eamque trigeminam. Utrius vero Populi Horatii, utrius Curiatii fuerint non satis constat; nisi quod plures invenerit Livius e, qui Romanos *Horatios* vocent; quos etiam nos

a *Dion. Hal. L.* III. *c.* 9. *sqq.* b *Ib. c.* 12. c *Ib. c.* 14. d *Vid. Cl. Hudson. ad Dion. Halic.* e *L.* I. *c.* 24.

nos ſequemur. Hi Regum rogatu certamen in ſe recipiunt ea lege, ut ibi Imperium foret, unde victoria ſtetiſſet. Evenit autem, ut duo quidem ex Horatiis caderent, tertius illaeſus ſupereſſet; Curiatii vero omnes graviter eſſent ſaucii: Itaque fuga ſimulata eos diſtraxit Horatius; & mox curſu revertens ſingulos magnis intervallis ſequentes interfecit. Ita Tulli imperium agnovit Metius a. (Sed cum ſimilem omnibus fere circumſtantiis de *Pheneatibus* & *Tegeatibus* hiſtoriam narret *Plut. Parall. min. p. m.* 309. fit, ut utramque falſam putem.) Horatius vero Curiatiorum ſpolia prae ſe ferens Urbem eſt ingreſſus. Ibi inter primos ſororem obviam habuit, quae uni ex Curiatiis deſponſa fuerat; auditaque ſponſi morte, quaſi oeſtro percita ad portam ferebatur flebiliter nomine ſponſum mortuum appellans; fratremque conviciis inceſſens b. Non tulit in tanto gaudio publico intempeſtivum moerorem Horatius; ſed ſtricto gladio ſimul verbis increpans puellam transfigit: cumque propterea

a *Ibid. c.* 26.

b *Dion. Hal.* III. c. 21.

in jus raptus esset auctore Tullo ad
† *Liv. d.l.* Populum provocavit †, & admiratione magis virtutis quam jure caussae absolutus est. Metius vero non diu fidem servavit: Sed pacto transitionis Albanorum Vejentes & Fidenates incitavit ad bellum a: & ipse quidem cum magnis copiis Tullo adfuit; sed Romanis jam pugnantibus cum suis ad montes recessit b: ut ita utra pars victa foret, eam invaderet. Tullus id animadvertens clara voce, ita ut etiam hostes exaudire possent, jussu suo id factum edixit, ut ita hostes a tergo quoque circumvenirentur; atque illos eo metu perculsos feliciter profligare coepit: quo viso etiam Fuffetius pugnae se immiscens multos trucidavit c. Tullus vero noctu Romam profectus Senatui rem omnem aperit: & mox in castra reversus concionem advocat d, Albanis propius tribunal stare jussis, iisque Romanos arma sub vestibus habentes circumdedit. Ibi scelus Metii declaravit, eumque statim quadrigis illigatum illisque in diversa raptatis discerp-

a *Liv.* I. *c.* 27. b *Dion. Hal.* III. *c.* 24.
c *Ib. c.* 26. d *Ib. c.* 27. *sqq.*

discerpsit [a]. Interim jam M. Horatius Regis jussu, Alba exceptis templis diruta [b], cives Romam traduxit, quibus loca ad habitandum sunt adsignata, ac primores eorum in Senatum adsciti: quod ingens rursus Urbis incrementum fuit: & Coelius mons tunc Urbi est additus; eumque ipse Tullus, quo frequentius habitaretur, sedem regno cepit [c]. Deleta est Alba anno 487. postquam fuit condita. Anno sequente Fidenas, quae defecerant, Romani ceperunt; & punitis defectionis auctoribus restituit [d] in pristinum statum Tullus. Inde, victis Sabinis [e], (non enim omnes cum Tatio Romam translati fuerant) qui viros quosdam nobiles ad mercatum *Feroniam* proficiscentes pecuniis spoliaverant; Saliorum numerum ex voto duplicavit & tertium triumphum egit; licet mox adhuc rebellaverint [f], & adhuc victi sint. Interea etiam cum Latinis, qui post Albam eversam Romanorum imperio cedere nolebant, bellum per quinquennium maxi-

A. U. C. 90.

C 2

a *Virg. Aen. VIII. v.* 642. b *Liv.* 1. *c.* 29. c *Ib. c.* 30. d *Dion. H.* III. *c.* 31. e *Ib. c.* 32. f *Ib. c.* 33.

maximis populationibus gestum pace tandem facta sopitum est.

§. 3. *Tulli mors.* §. III. His rebus gestis tradunt Tullum, cum pestilentia laboraretur, sacra quaedam Jovi *Elicio* minus rite fecisse; (Plutarchus a dicit, eum religionem Numae ludibrio habuisse: & ex aliis exemplis constat, Deum etiam Ethnicorum erga Deos suos impietatem severe puniisse; cum non ex cultus melioris notitia, sed ex animo praefracte impio eos contemnerent) atque ita fulmine ictum cum ipsa domo conflagrasse b, cum triginta duorum annorum spatio Rempublicam fortiter gessisset. Sed tamen verius videtur, haec ad sedandos plebis animos conficta fuisse; eumque, cum aegrotaret, ab Anco Marcio, vel ministris ejus fuisse occisum; qui, ut caedem occultarent, regiam simul incenderint.

a *p. m.* 75. b *Liv.* 1. *c.* 31.

CAPUT QUARTUM.

A. P. Jul. 4074. A. C. 641. U. C. 113

De Anco Marcio.

§. I. Certe Ancus Marcius Numae Regis ex filia nepos a, interrege comitia habente, a Populo Rex creatus eſt, Patribus ejus rei auctoribus factis b. Hic Numae avo, quam Tullo ſimilior ſacra intermiſſa reſtauravit. Fecialibus a Numa inſtitutis formam juris, quo uterentur, conſtituit: quam Livii locus in margine citatus refert. Cum autem in ea formula ſenatus tantum & populi mentio fiat, regis nulla, patet penes illos, non penes regem, ipſam fuiſſe ſupremam poteſtatem. Sed, licet avi exemplo pacem colere ſtatuiſſet, tamen contra Latinos, qui eum ut imbellem contemnebant, bellum gerere coactus *Politorium* urbem ipſis ademit c, civesque Romam traduxit: &, cum Latini urbem vacuam rurſus occupaſſent, eam receptam delevit non tantum; ſed etiam *Tellenem* ipſis eri-

§. I. Anci initium.

a *Plut. Numa p. m.* 74. b *Liv.* I. *c.* 32.
c *Dion. Hal.* III. *c.* 37.

maximis populationibus gestum pace tandem facta sopitum est.

§. 3. *Tulli mors.* §. III. His rebus gestis tradunt Tullum, cum pestilentia laboraretur, sacra quaedam Jovi *Elicio* minus rite fecisse; (Plutarchus a dicit, eum religionem Numae ludibrio habuisse: & ex aliis exemplis constat, Deum etiam Ethnicorum erga Deos suos impietatem severe puniisse; cum non ex cultus melioris notitia, sed ex animo praefracte impio eos contemnerent) atque ita fulmine ictum cum ipsa domo conflagrasse b, cum triginta duorum annorum spatio Rempublicam fortiter gessisset. Sed tamen verius videtur, haec ad sedandos plebis animos conficta fuisse; eumque, cum aegrotaret, ab Anco Marcio, vel ministris ejus fuisse occisum; qui, ut caedem occultarent, regiam simul incenderint.

a *p. m.* 75. b *Liv.* I. *c.* 31.

CA-

CAPUT QUARTUM.

A. P. Jul. 4074. A. C. 641. U. C. 113

De Anco Marcio.

§. I. Certe Ancus Marcius Numae Regis ex filia nepos [a], interrege comitia habente, a Populo Rex creatus est, Patribus ejus rei auctoribus factis [b]. Hic Numae avo, quam Tullo similior sacra intermissa restauravit. Fecialibus a Numa institutis formam juris, quo uterentur, constituit: quam Livii locus in margine citatus refert. Cum autem in ea formula senatus tantum & populi mentio fiat, regis nulla, patet penes illos, non penes regem, ipsam fuisse supremam potestatem. Sed, licet avi exemplo pacem colere statuisset, tamen contra Latinos, qui eum ut imbellem contemnebant, bellum gerere coactus *Politorium* urbem ipsis ademit [c], civesque Romam traduxit: &, cum Latini urbem vacuam rursus occupassent, eam receptam delevit non tantum; sed etiam *Tellenem* ipsis

§. I. Anci initium.

a *Plut. Numa p. m.* 74. b *Liv.* I. *c.* 32.
c *Dion. Hal.* III. *c.* 37.

eripuit, Medulliamque, quam ceperant, recuperavit: earum urbium civibus ſedes in Aventino & valle *Murcia* conceſſae a. *Ficanae* etiam urbis b cives Romae habitare juſſit: &, cum Latini earum urbem inſediſſent, denuo contra eam ducere, & demoliri eam coactus eſt. Tum Fidenatium jam rurſus rebellium urbem cuniculis actis cepit c; & defectionis auctores ſupplicio affecit. Inde in Sabinos, qui etiam defecerant, exercitum duxit: iisque victis pacem dedit. Sylvam *Moeſiam* Vejentibus ademit: atque ita Imperium Romanum ad mare uſque propagavit, colonia ad oſtia Tiberis deducta, quae & ipſa *Oſtia* dicta eſt; quia tanquam *oſtio* Urbis Romae naves intrando & exeundo eo portu utebantur d. Et haec colonia poſtea velut emporium & horreum Urbis Romae fuit, fere ut hodie *Sivilia* Hiſpaniae illa nobiliſſima urbs *Gadibus* (*Cadix*) pro emporio utitur; & *Florentia* Italiae portu *Livorno*. *Volſcos* quoque victos in ami-

a *Liv.* I. *c.* 33. b *Dion. Hal.* III. *c.* 38. *Vid. Sigon. ad d. Liv. l.* c *Dion. Hal.* III. *c.* 40. d *Ib. c.* 44. *Flor.* I. 4.

micitiam recepit. *Janiculum* montem trans Tiberim in agro Etrusco, ne quando arx hostium esset a, muniit; & ponte sublicio urbi junxit b. Obiit Ancus Rex cum regnasset annos viginti quatuor.

CAPUT QUINTUM.

De Tarquinio Prisco Quinto Romanorum Rege. *A. P. Jul.* 4098. *A.* C. 617. *U.* C. 137.

§. I. Demaratus *Corinthius* ex nobili *Bacchiadarum* gente oriundus mercatura ingentes opes sibi quaesiverat: sed civilibus contentionibus *Cypselo* inferior *Tarquinios* in Etruria Urbem iverat habitatum. Ejus filius *Lucumo*, cum a *Tarquiniensibus* c, quod peregrinus esset, contemneretur, sub Marcio Rege Romam commigravit *Lucii Tarquinii* nomine pro Lucumone assumpto, ut moribus Romanis (quibus solemne erat praenomine uti) gaudere se primo statim adventu ostenderet. Romae degens fortitudine, prudentia, comitate ac liberalitate omnium animos sibi conciliavit, & in

§. 1. *Origo Tarquinii.*

a *Liv.* I. *c.* 33. b *Dion. Hal.* III. *c.* 45. c *Ib. c.* 47.

in amicitiam Anci Regis interiorem admiſſus eſt; ita ut a Rege etiam liberis ſuis tutor conſtitueretur a. Exemplo ſane ancipiti, ſi homini ambitioſo, & quidem ſoli, liberorum regiorum tutela committatur, ut rei eventus docuit. Nam plus apud Tarquinium regnandi cupido, quam acceptorum ab Anco beneficiorum memoria valuit. Ergo comitiis regi creando indictis ſub tempus b pueros venatum ablegat; & primus ambitioſe regnum petiit: atque eum ingenti conſenſu Populus Romanus regnare juſſit.

§. 2. Ordines a Tarquinio aucti.

§. II. Ut autem regnum ſibi firmaret centum ex honeſtioribus civibus in patres legit, factionem haud dubiam Regis, cujus beneficio in Curiam venerant: quae artes hodieque Principibus ignotae non ſunt. Unicum tantum exemplum in re ſatis nota allegabimus *Florentii*, *quinti* eo nomine Hollandiae Comitis, qui ſi credimus veteri noſtro *Chronico Hollandiae Divis.* XIX. *c.* 21. quadraginta ex honeſtioribus agricolis in nobilium ordinem legit, quibus adjutoribus horum poten-

a *Liv.* I. *c.* 34. b *Ib. c.* 35.

tentiam, quam aegre ferebat, minueret. Et nuper admodum in vicino regno similia, nec isti genti insueta, accidisse meminimus: quae hic memoranda non sunt, non magis quam quod haud ita pridem similis rei in patria nostra evenit. Nec Senatorium tantum ordinem auxit, sed etiam Equestrem numero pristino alterum tantum adjiciens a, cum orto adversus Sabinos bello equitem maxime suis viribus deesse caussaretur.

§. III. Ita victis Sabinis, & mox etiam Latinis, his *Collatiam* urbem ademit; eique *Aruntem*. Tarquinium fratris filium (fratrem facit Livius *L.* 1, *c.* 34.) praeposuit; qui inde *Collatinus* dictus b nomen illud ad posteros propagavit. Et saepius adhuc cum Latinis, Sabinisque pugnavit: sed maximum bellum, & per novem quidem annos continuatum cum Etruscis gessit; ita ut excusari nequeat Livius, qui ne quidem belli cum iis gesti mentionem facit. Dionysius vero Halicarnassensis c nos docet, eum modestissime victoria usum fuisse, ita — §. 3. *Bella ab eo gesta.*

a *Liv.* 1. *c.* 36. b *Dion. Hal.* III. *c.* 50.
c *Ib. c.* 60.

ut nec praesidia, nec tributa victis imposuerit: Verum suo jure uti, & pristinam civitatis formam retinere permiserit. Victi Etrusci Tarquinio etiam Imperii insignia, quibus ipsi suos Reges ornare solebant, tradiderunt a, coronam auream, sellam eburneam, sceptrum in summitate aquilam habens, togam pictam, tunicamque palmatam; tum duodecim lictores cum virgarum fascibus & securibus pro numero duodecim Etruriae oppidorum, quae singulos Regi suo mittere consueverant b. Addit *Sex. Aurelius Victor* libello *de Viris illustribus Urbis Romae*, Tarquinium filium suum tredecim annorum, quod in praelio hostem percussisset, praetexta & bulla aurea donasse c: unde haec ingenuorum puerorum insignia esse coeperint, quae hic auctor ex antiquioribus hausisse potuit. Et haec fere bello gessit.

§. 4. *Civiles Tarquinii res.* §. IV. Quod civilem vero statum attinet, praeter auctum ordinem Senatorium & Equestrem, de quo jam diximus, duas etiam Virgines Vestales

a *Ibid. c.* 61. b *Flor.* 1. 5. c *Facit Juven.* *V.* 164.

les quatuor a Numa captis adjecit, juxta Dionysium quidem [a]; qui numerus ad finem Imperii usque servatus fuit. Forum exstruxit, & muros ex ingentibus lapidibus. Infima Urbis loca *cloacis* in Tiberim ductis siccavit; quas operum maximum vocat Plinius *Hist. Nat.* XXXVI. 15. & quas Dionysius Halicarnassensis in tribus magnificentissimis operibus, unde maxime Imperii Romani amplitudo apparuerit, numerat, addens *Vias stratas*, & *aquae ductus*. Circum Maximum ad spectaculorum usum aedificavit [b], quod bello Sabino voverat, Jovi, *Junoni* & Minervae; quod sub Consulibus demum absolutum, vel certe dedicatum fuit.

§. V. Cum ita summo Reipublicae incremento annos triginta octo regnasset Tarquinus, vixisset octuaginta, insidiis filiorum Anci Marcii in regia sua interfectus fuit [c]. Nam hi, cum sperassent mortuo Tarquinio regnum ad se rediturum esse, quod filii ejus etiamnum essent impuberes postquam Servio Tullio (de quo mox plura erunt §. 5. *Tarquinii finis.*

a *Dion. Hal.* III. c. 68. b *Ib.* c. 69. *Liv.* I. c. 38. c *Dion. Hal.* III. c. 73.

runt dicenda) filiam Tarquinii nupsisse vident, eumque jam regno inhiare, abjecta omni spe, Regem obtruncare statuunt. Ergo ex pastoribus duos ferocissimos deligunt, qui cum ferramentis, quibus in opere faciundo uti consueverant, in Urbem profecti in ipso regiae vestibulo specie rixae apparitores in se convertunt: inde vocati ad Regem pergunt; (nam ipsi Reges ea aetate caussas audiebant, & judicabant, quod vel ex *Salomonis* exemplo constat) & dum in alterum eorum intentus Rex se totum averteret, alter elatam securim in caput ejus dejecit: atque ita Rege caeso faciente Regina Tullius regnum obtinuit, ut capite sequente narrabimus. Liberi Anci, cum frustra se fuisse animadverterent *Suessam Pometiam* exulatum iverunt. [a] Cur autem non potius Servium Tullium interfecerint haec caussa fuisse videtur, quod speraverint, se, Rege interfecto, facile illum peregrinum ejecturos esse; sed favens rebus Romanis Providentia aliter jussit. Hic autem Tarquinius ab Historicis *Priscus* est dictus; non quod

a *Liv.* I. *l.* 41.

quod ipsi viventi hoc nomen datum fuerit; sed, ut a Tarquinio nepote, cui *Superbo* cognomen fuit a posteris inditum, distingueretur; sicut aliis etiam exemplis additis, jam in *Compendio nostro Antiquitatum* diximus *Sect. II. cap.* 2. §. 1.

CAPUT SEXTUM.

A. Per. Jul. 4136. *A. C.* 579. *U. C.* 175.

De Servio Tullio Sexto Rom. Rege.

§. 1. Origo Servii Tullii.

§. I. Inter oppida a Tarquinio capta etiam fuit Corniculum Latii urbs; ubi inter captivas nobilem quandam matronam *Ocrisiam* nomine, quae uterum ferebat, nactus eam uxori suae dono dedit, cum maritus illius matronae in ipsa urbis expugnatione esset interfectus a. Haec puerum peperit, qui paterno quidem nomine *Tullius*; quod vero ex matre natus esset, *Servius* cognomine dictus fuisse fertur; nisi potius hoc nomen habuerit, quod ex patriae interitu *Servatus* esset: nam & Livius b putat, eam ob nobilitatem a Regina Romanorum servitio prohibitam in Prisci

a *Dion. Hal.* IV. c. 1. b *L.* 1. c. 39.

Prisci Tarquinii domo partum edidisse. Hic cum a pueritia usque & bello & pace egregius videretur [a], dignus habitus est, qui ducta Tarquinii filia Rempublicam minus jam per aetatem valente Tarquinio administraret.

§. 2. *Quomodo regnum obtinuerit.*

§. II. Caeso autem Tarquinio *Tanaquil* ejus uxor morte Regis dissimulata Servium, qui vicem Regis Rempublicam obiret, dum vulnus Regi inflictum curaretur, Populo commendat: & ille mox opibus suis firmatis mortem Regis patefecit; & primus injussu Populi, voluntate Senatus regnavit [b]. Nam, cum primo quidem minus legitimum Senatui visum esset, [c] quod ita regni administrationem sumpsisset Tullius, hic plebis favorem sibi captandum statuit: & oratione in eum finem ad Populum habita omnium favorem sibi conciliavit [d]: (licet tamen pupillorum rem se agere simularet.) Atque inde plebis aes alienum omne dissolvit mensis in foro positis. [e] Agrum publicum, quem

a *Dion. Hal.* IV. *c.* 3. b *Liv.* I. *c.* 41. *Dion. Hal.* IV. *c.* 40. c *Dion. Hal.* IV. *c.* 8. 10. d *Dion. Halic. Ib. c.* 12. e *Ib. c.* 10.

quem potentiores possidebant, egenis civibus distribuendum decrevit: quo consilio plures postea usos videbimus, qui nimiam plebis gratiam captarent. Leges Romuli & Numae vetustate jam neglectas in usum revocavit, iisque alias ipse addidit, quarum praecipuas hoc loco recensere non inutile fuerit: licet non putem, eas omnes statim initio regni ab eo fuisse latas.

§. II. Et de lege quidem, quam de *censu* tulit, mox dicemus. De patria potestate legem Servii ita refert Festus voce *plorare*, ut quidem a *Scaligero* emendatur: *Sei parentem puer verberit, ast oloe plorasint*, (ita lege, non *plorassint*; licet ita etiam habeat editio A. 1593. quae hactenus optima est: nam veteres consonas in medio vocis non geminabant) *puer diveis parentum sacer esto. Sei nurus, Sacra diveis parentum esto.* Alias ejus leges sermone non ita casco referemus. De ibertinorum civitate tulit a, „ut „servi a civibus manumissi in tribus „urbanas, & jus civitatis, si vellent, „adsciscerentur; libertinique ad omnia

§. 3. *Leges a Servio latae.*

a *Dion. Hal.* IV. *c.* 20.

„ nia plebejorum civium munia ad„ mitterentur. Nam & hic vir prudens noverat, nihil Reipublicae esse utilius [a], quam multitudinem civium. De foenore: „ ne quis propter foe„ nus debitum in vincula duceretur [b]: „ neve foeneratoribus jus esset in libe„ ra corpora, sed debitoris contenti „ essent facultatibus.„ De judiciis [c]: „ ut ipse quidem de criminibus ad „ Rempublicam pertinentibus cog„ nosceret: privatas causas privati ju„ dices juxta leges a se latas judica„ rent.„ Leges praeterea quinquaquaginta de contractibus & injuriis tulerat [d], quas hic recensere non possumus.

§. 4. Ulterior rerum Tullii narratio.

§. IV. Cum ita jam legibus Rempublicam constituisset rumores sparsit, quasi patricii sibi insidiarentur, & sordidatus cum suis in concionem adscendit, Reipublicae administrationem deponere se velle simulans [e]: at cum omnes eum precarentur [f], ut Reipublicae gubernacula retinere vellet, indictis statim comitiis Populi suffragiis,

a *Ibid. c.* 24. b *Ibid. c.* 9. c *Ibid. c.* 25. d *Dion. Hal.* IV. *c.* 13. e *Ib. c.* 11. f *Ib. c.* 12.

giis, nequicquam renitente Senatu regnum obtinuit, licet Livius a narret Servium, cum audiret, interdum jactari voces, quasi injussu Populi regnaret, conciliata prius voluntate plebis, agro capto ex hostibus viritim diviso; tum demum ad Populum ferre fuisse ausum, *Vellent, juberentne se regnare?* Atque ita tanto consensu, quanto haud quisquam alius ante Rex, esse declaratum: quae non multum a jam dictis discrepant. Tanaquil autem Tullium nepotibus suis praetulit, quod hi aetate nondum firma essent; & quod sibi ab Anci filiis etiam porro metueret. Nam *Aruntem* & *Lucium Tarquinios* Prisci nepotes, non filios, fuisse multis argumentis probat Dionysius *L. IV. c.6.* quae apud eum videri possunt.

Ut porro opes suas firmaret Tullius duas, quas habebat, filias juvenibus regiis Arunti & Lucio junxit b, miro quodam & prudenti consilio usus; quod tamen successu caruit. Cum nempe dissimillimae indolis puellae essent, juniorem improbam & ferocem Arunti, qui major erat, & vir pro-

a *Liv.* I. *c.* 46. b *Id. c.* 42.

bus, majorem vero modestam & probam Lucio atrocis ingenii viro collocavit. Sed cum nec modestus immodestam, nec impius piam amare posset, convenit inter Lucium & *Tulliam minorem*, ut ille uxorem, haec maritum necaret: quo facinore peracto sceleſtiſſimas nuptias superstites contraxerunt [a]: Verum haec evenerunt serius.

§. 3. *Res bellicae Servii* §. II. Bellum toto regni tempore unicum tantum gessit, nempe cum Etruscis: sed hoc vicennale: quod juxta Dionysium Halicarnassensem [b] trium triumphorum ipsi materiam praebuit; licet *Tabulae fastorum Capitolinae* quatuor indicare videantur. Initium belli fuit a Vejentibus, qui occiso Tarquinio foedus cessare interpretati, & obscuritatem Tullii spernentes initium defectionis fecerunt: iisque postea *Caeretani* ac Tarquinienses, ac mox tota Etruria accesserunt. Sed variis cladibus domita tandem Romanorum principatum, ut antea, agnovit: & non aliis, nec gravioribus legibus, quam quas ei praescripserat Tarquinius, veniam obtinuit: nisi

a *Ibid. c.* 46. b *L.* IV. *c.* 27.

nisi quod tres civitates, a quibus bellum coeptum fuerat, agro adempto mulctavit: quem divisit iis, qui novissime in civitatem Romanam recepti fuerant.

§. 4. At pacis opera a Servio edita omnium praecedentium Regum gloriam superant. Nam ut mittam, *Viminalem* & *Esquilinum* collem Urbi additos, quibus septem collium, quos Urbs amplectebatur, numerus expletus est [a], Urbe universa in quatuor partes divisa quatuor Tribus *urbanas* instituit. Agrum vero Romanum itidem in quindecim partes divisit, unde tribuum rusticarum appellatio orta est. Alii in numero tribuum variant, & multum dissentit Dionysius Halicarnassensis [b]. Sed verior videtur opinio, quam secutus sum; quae Sigonii [c] est & *Gruchii* [d], & aliorum. Singulis tribubus praefectos quosdam, & sacra peculiaria constituit [e]. Tum rationem iniit, qua omnium civium numerum, aetatem & censum brevi & perspicuo & certo cognoscere pos-


§. 4. *Pacis opera.*

 set,

a *Ibid. c.* 13. *sqq.* b *L.* IV. *c.* 15. c *De Ant. jur. civ. R. L.* I. *c.* 3. d *De comitiis Rom.* II. *c.* I. e *Dion. Hal. d. l.*

ſet, ut ita ſemper occurrentibus rebus ſcire liceret, cui & quantae rei vires Reipublicae ſuffecturae eſſent. Ergo juſſit, ut omnes cives, ſive intra, ſive extra Urbem habitarent, bona ſua jurati *cenſerent*, hoc eſt, *aeſtimarent*: quod qua ratione fieri deberet exemplo ex praedio ruſtico deſumpto oſtendit *Ulpianus l.* 4. *ff. de cenſibus*. Hunc cenſum, ac ſimul nomina & numerum uxorum, liberorum ſervorum ac libertorum, & ſuam liberorumque aetatem, item domicilii locum indicarent: qui ſecus feciſſent, eorum bona publicarentur, ipſique virgis caeſi venundarentur, tanquam qui ſe ipſos libertate indignos judicaſſent. Inde omnes cives pro ratione cenſus in ſex Claſſes diſtribuit; quae rurſus in Centurias erant diviſae, ut ex tabula hic juncta perſpici poteſt. Et licet jam in *noſtro Antiquitatum Rom. Compendio Sect. I. cap.* 7. §. 2. cauſſas hujus inſtituti narraverimus operae tamen pretium fuerit paulo latius hic ea repetere, cum egregium plane & ſolidum Reipublicae firmamentum hoc inſtitutum fuerit. Prima igitur cauſſa fuit, ut in

fe-


TATIONE CENSUS
Di
Se
Seniores ad Urbis
Custodiam præsto esse
Juniores foris bella
gerere debebant.

ferendis suffragiis omnis fere Reipublicae potestas penes ditiores esset: cum enim in comitiis centuriatis a Tullio hac occasione institutis Populus per classium centurias divisus suffragia ferret ita ut, quod plures centuriae jussissent, id ratum haberetur, & ditissimorum civium centuriae essent centum, reliquorum autem omnium tantum nonaginta tres, manifestum est adversus illorum consensum reliquas classes nihil potuisse a: cujus rei luculentum exemplum est apud *Dion. Halic. L. X. c.* 17. Altera caussa fuit, ut etiam simul tributorum onera maxime in ditissimos inclinarentur; cum non amplius per capita, ut antea, (cum tenuissimae res Romanae, & omnium fere divitiae aequales fuissent) sed pro ratione census tributum penderetur. Tertia caussa erat, ut etiam militiae gerendae onus in eosdem derivaretur b: quod tamen simul etiam potentiam eorum, cum assidue in armis essent, mirum in modum auxit. Nam cum decem, exempli gratia; vel viginti millibus militum

a *Vid. omn. Dion. Hal.* VII. c. 59. b *Id*, IV. 19.

opus esset, quamque centuriam jubebat militum numerum pro rata parte suppeditare: cum vero illi quorum maximus esset census, pauciores essent, iique in plures centurias divisi sine ulla fere intermissione militabant & pecuniae longe majorem summam', quam alii, conferebant: quos etiam strenue magis se gessisse, quam tenuiores probabile est, cum eorum plus interesset Remp. esse salvam. Illi vero, quorum minores erant facultates, raro tantum, & per vices militabant; & quinta classis non nisi extra ordinem, & inter velites. Sexta vero plane a militia immunis erat. Et hinc etiam, quanquam omnis Reipublicae potestas revera penes solos ditiores esset tamen, pauperiores id non aegre ferebant, quia illi etiam omnia fere onera ferebant: & praeterea cum & ipsi quoque viritim aliquando in suis centuriis rogarentur, non plane Reip. gerendae expertes esse videbantur: quemadmodum saepe talibus artibus plebs infima deludi solet & potest. Itaque quamdiu Respublica *salva*, hoc est, *libera* fuit, etiam haec instituta salva fuerunt.

Cum

Cum hunc Censum ita peregisset Tullius sacrificiis quibusdam peractis Populum *lustravit*, hoc est *expiavit*: nam *lustrum* primaria significatione *expiationem* notavit a verbo λύω, quod non tantum *solvo* notat, sed etiam *expio*: idque etymon verius videtur, quam Varronis, quod olim secutus eram a. Sed, quia hoc ordinario quinto quoque anno fiebat, *lustrum* etiam *tempus quinquennale* significare coepit. Et quater quidem ipse Tullius *lustrum condidit* b. Censa fuerunt primo lustro octoginta quatuor millia civium, & septingenti. Vid. Sigon. de Ant. jur. Civ. Rom. *L.* I. *c.* 14. Tum ad exemplum *Amphictyonum*, aliorumque Graecorum, omnium civitatum Latini nominis conventum c, sive *panegyrin* mavis, instituit ad templum *Dianae* sacrificiis, ludis & mercatu celebrandum: qua ratione tacitam Latinis confessionem exprimebat *Romam Latii caput esse* d; quod postea quoque simili quadam ratione fecit ejus successor.

§. 5. *Finis Servii Tullii.*

D 4 §. V.

a *Comp. Ant. S.* I. *c.* 7. §. 3. b *Val. Max. L.* III. *c.* 4. *ex.* 3. c *Dion. Hal.* IV. *c.* 26. d *Liv.* I. *c.* 45.

§. V. Cum ita per annos quadraginta quatuor summa prudentiae gloria regnasset Servius suorum denique scelere periit. Tullia enim, quam nefariis nuptiis Tarquinio junctam vidimus, maritum incitare non destitit, ut avitum sibi regnum recuperare vellet. Et primo quidem in Senatu gener adversus socerum caussam egit a, Tarquinio regnum, paternum quippe, sibi afferente, Tullio vero Populi eam dispensationem esse probante, ejusque restitutionem Populo offerente b, *penes quem, dictante natura, summum rerum arbitrium esse constat.* Mox in concionem progressus Tullius etiam Populo caussam suam probavit c; ita ut Tarquinius cum suis ocius se domum proriperet; & paulo post simulata poenitentia cum socero in gratiam rediret. Verum brevi admodum elapso temporis spatio captata occasione, quod pleraque plebs ad messem faciendam in agris esset, regio habitu inductus Patres convocat, quorum plerique minus aequi Tullio erant, quod olim invito Senatu regnum

a *Dion. Hal.* IV. *c.* 31. *sqq.* b *Ibid. c.* 36. c *Ib. c.* 37.

num obtinuisset: & ibi in Senatu contra socerum orationem habuit. Tullius hoc nuncio excitus in curiam properat: at Tarquinius multo & aetate, & viribus valentior medium Servium arripit: elatumque e Curia in inferiorem partem per gradus dejicit: Ita ut graviter afflictatus domum se reciperet. Inde narrant a, Tulliam carpento in forum vectam primam maritum Regem salutasse, & monuisse, ut percussoribus missis statim Tullium e medio tolleret: ipsamque furiis sororis ac viri agitatam mox, cum domum reverteretur per ipsum patris corpus, quod trucidatum in via publica jacebat, invito auriga carpentum egisse. Vico inde *Scelerato* nomen fuisse factum.

CAPUT SEPTIMUM.

A. Per. Jul. 4180. A. C. 555. U. C. 219.

De Tarquinio Superbo.

§. 1. Artes Tarquinii ad obtinendam, & firmandam tyrannidem.

§. I. Ita Tarquinius, cui posteri ex moribus *Superbi* cognomen indiderunt, regnavit injussu Populi, neque Patribus auctoribus b. Eum Prisci Nepotem fuisse, non Filium, Dio-

a *Ibid. c.* 39. *Liv.* 1. *c.* 48. b *Liv.* 1. 49.

Dionysium & alios, secuti capite praecedenti diximus. Verum quidem est ex fragmentis *Tabularum Capitolinarum* apparere, auctorem eorum statuisse, eum Prisci fuisse filium: Sed potius, eum in re antiquissima cespitasse crediderim, quam ut manus non dem argumentis invictis, quibus illud, quod dixit, firmat Dionysius. Hic statim regnum, quod invitis omnibus bonis arripuerat [a], in manifestam tyrannidem vertit satellitio audacissimorum hominum sibi adscito: Mox illustrissimos quosque falsorum criminum damnatos alios morte, alios exilio multavit; ex bonis eorum exiguam quandam portionem delatoribus tribuens, reliquis sibi assertis. Multi etiam sponte, antequam iniquis judiciis oppressi rei peragerentur, urbem tyranno reliquerunt. Senatus numerum praecipue imminuit, statuitque nullos in patres legere, quo paucitate ipsa ordo contemptior esset. Nam tam augusta procerum consilia tyrannis semper exosa sunt: unde etiam *Augustus* Imperator, specie quidem, ut molestiam ordinis Senatorii levaret, sed

a *Dion. Hal.* IV. *c.* 41.

ſed revera, quia non conducebat ei, qui vim patriae ſuae intulerat, frequenter adeo Senatum convenire ſtatuit, ut menſe *Septembri* & *Octobri* non alii in Senatum venire cogerentur, quam per quorum numerum Senatuſconſultum confici poſſet[a]. Quin qui nimiam potentiam quaerunt, Concilia illa fere abolere conantur; quod in *Anglia* haud ita pridem tentarunt *Carolus* uterque & *Jacobus*; in Francia perfecerunt Reges, initio a *Ludovico* XI. facto, qui ſemel tantum, nempe A. C. 1470. ordines regni ſui convocavit. Imo *Cominaeus L.* V. *c.* 18. teſtatur, majeſtatis crimen fuiſſe habitum, ſi de convocandis ordinibus Franciae quis loqueretur. Ita Tarquinius domeſticis potius conſiliis uſus eſt[b], quam ut more a majoribus tradito Senatum convocaret; plane quemadmodum etiam Auguſtus ſibi talia conſilia eſt ſortitus[c]. Inde leges a Tullio latas[d], & tributorum ordinem ab ipſo inſtitutum ſuſtulit; coetus civium abolevit; delatores, qui vere inter adverſa temporum

porum

a *Suet. Aug. c.* 35. b *Liv. l. d. Dion. Hal.* IV. 41. c *Suet. l. d.* d *Dion. Hal.* IV. *c.* 43.

porum censeri possunt [a], passim constituit; & plebem urbanam ingentium operum exstructione exhausit [b]. Bellum, pacem, foedera per se ipse, cum quibus voluit, injussu Populi, ac Senatus fecit, diremitque. Eos quos sibi fideles & ad bellicos usus idoneos putavit, ab operibus urbanis immunes esse jussit; & luculenta praedae ex hostibus captae parte auxit [c]. Utque externis quoque opibus tutior esset, cum Latinis hospitia & affinitates junxit, *Octavo Mamilio*, qui Latinorum ea aetate facile princeps erat, genero sibi adscito. Priscum quoque foedus cum iisdem a Tullo Rege factum renovat [d], conventu in lucum *Ferentinum* indicto [e]. Ad quem cum ipse Tarquinius die dicto non venisset interea *Turnus Herdonius Aricinorum* princeps Mamilii aemulus acerba oratione in eum, ejusque superbiam est invectus. Imo postridie Tarquinio jam praesente multis verbis suasit, ne Latini Romanorum imperio cederent. Tarquinius die secuturo ejus

a *Suet. Tito c.* 8. b *Dion. Hal.* IV. *c.* 44. c *Dion. Hal.* IV. 44. 50. d *Liv.* I. *c.* 52. e *Dion. Hal.* IV. *c.* 45.

ejus orationi responsurus a, interim curavit, ut per servos Turni corruptos noctu magna vis armorum in ejus diversorium inferretur: ipse vero luce orta in concione insidias a Turno Latinorum praecipuis structas fuisse dixit, simul hortatus, ut mitterent qui hospitium scrutarentur. Nec ipse Turnus insidiarum ignarus id abn[illegible]: Sed armis ibi inventis ille quidem necatus est, Tarquinius vero totius Latini nominis Princeps creatus fuit. Ad eandem mox societatem *Hernicos*, & quosdam ex Volscis pellexit: &, ut singulis annis indicente Romanorum Rege omnes Latii populi in monte Albano sacrificium commune & epulas celebrarent (quae Feriae *Latinae* sunt dictae) constituit: qua ratione Romam Latii caput esse declaravit; ut jam antea etiam Tullius fecerat.

§. II. Ita firmata potentia Suessam Pometiam Volscorum Urbem cum opima praeda cepit b: atque ex istis manubiis postea templum magnificentissimum, quod jam Priscus inchoaverat, Jovi, Junoni & Minervae struxit; quod *Capitolium* dictum est; non

§. 2. Bella ab hoc Rege gesta.

a *Ibid.* c. 47. b *Dion. Hal.* IV. c. 50.

non a *capite Toli* cujusdam ibi reperto, ut quidam nugati sunt[a]; sed mera productione vocis *caput*; quia arx veneranda, & Templum Romani Imperii Sanctissimum & *praecipuum* habebatur. Et falsam esse eam, quam argui, nominis originem etiam inde patet, quod & aliis urbibus *Capitolia sua* fuerunt, ut *Capuae*[b], *Beneventi*[c], *Tolosae*[d], & alibi. Inde Sabinorum duobus exercitibus intra brevissimum tempus deletis eos in fidem recepit[e]. Post gravius bellum cum Gabinis est ortum: quod cum ancipiti eventu gereretur, & de ejus successu anxius esset Tarquinius *Sexti* filii sui opera urbe potitus est[f]. Hic enim consilio cum patre communicato ad Gabinos transfugit, palam a patre virgis caesus & maximis contumeliis affectus; & multiis aliis, qui se Tarquinii saevitiam fugere simularent, secum adductis. Cum his de compacto ex agro Romano insignes praedas agebat. Propter quae a Gabinis summae rei publi-

cae

a *Arnob. adv. gent. L.* VI. b *Suet. Cal. c.* 57. c *Id. claris Gramm. c.* 9. d *Sid. Apoll. L.* IX. *Ep.* 16. e *Dion. Hal.* IV. 51. *sq.* f *Ib. c.* 55.

cae praefectus per nuncium a patre sciscitatus est a, quid porro agendum foret. Hic praesente nuncio summa papaverum, vel, ut alii, liliorum capita virgula decutiens nullum aliud iis responsum dedit. At facile intellexit Sextus Gabinorum proceres e medio esse tollendos. Quod cum falsis criminationibus objectis effecisset urbem tutoribus orbam patri tradidit b. Et ita quidem haec res vulgo narratur: Sed jam *cap. primo* §. 4. ostendimus hanc narrationem merito suspectam esse. Inde Tarquinius *Signiam*, *Circejosque* (fuit hic antiquus Latinorum terminus in ora maritima) colonos misit c; praesidia Urbi terra marique futura. Atque hae praecipae sunt res, quas Superbus gessit.

§. III. Sed jam Ultor Deus superbos a tergo sequebatur. Cum *Ardeam* Latii urbem obsideret Tarquinius, & obsidio in longum traheretur d, evenit, ut inter pocula regii juvenes de castitate uxorum suarum contenderent: ad quam explorandam citatis equis

§. 3. *Finis Tarquinii, & Imperii regii.*

a *Ibid. c.* 56. b *Dion. Hal.* IV. *c.* 57. *sqq.* c *Liv.* I, *c.* 56. d *Dion. Hal.* IV. *c.* 64. *Liv.* I. *c.* 57.

equis eadem nocte profecti regias quidem nurus luxu conviviisque tempus terentes invenerunt: *Lucretiam* vero *Tarquinii Collatini* (erat hic *Egerii* filius Aruntis nepos a, qui Tarquinii frater fuerat) uxorem inter ancillas lucubrantes lanae deditam b. Hinc Sextus Tarquinius odio ex invidia orto incensus inscio Collatino Collatiam (hic habitabat cum marito Lucretia) venit, & benigne hospitio exceptus noctu per vim eam violat. Illa primo mane patre & viro cum singulis amicis arcessito scelus patratum narrat: & mox cultro, quem sub veste abditum habebat, se interemit. Venerat cum Collatino, qui ejus aeque ac Superbi Regis sobrinus erat, quippe Prisci Regis ex filia nepos, *L. Junius Brutus*. Hujus patrem c tyrannus clandestina morte sustulerat, ut ejus opibus potiretur; & cum eo filium natu maximum, in quo generosus animus elucescebat. Hic vero *L. Brutus* periculo commotus stuporem simulaverat; (talia cogit tyrannis rabida) atque ea ratione insidias Regis ha-

a *Liv.* I. *c.* 34. 57. b *Ovid. Fast. v.* 741. c *Dion. Hal.* IV. *c.* 68.

hactenus vitaverat. Jam vero cultro quo se interfecerat Lucretia, arrepto praesentes (& stupentes, unde novum in Bruti pectore ingenium) jurejurando in sua verba adegit, quibus juraverat, se *Tarquinium Regem, cum omni sua stirpe, ferro, igni, quacumque dehinc vi possit, exsecuturum: nec illos, nec alium quenquam regnare Romae passurum.* Inde Romam properat; & concione advocata, quod suo jure facere poterat, cum Tribunus Celerum esset, expositisque Regum sceleribus Populum perpulit, ut regnum iis abrogaret. Ita Tarquinius Urbe exclusus [a] cum duobus filiis *Caere* in Etruscos exulatum ivit. Dies ille *Regifugium* est dictus: qui fuit VIII. Kalend. *Mart.* [b] Regnatum est Romae a septem Regibus annos 244. post hos creati Consules, de quibus libro sequente.

a *Liv.* I. *c.* 60. b *Ovid. Fast. II. v.* 685.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

A. Per. Jul. 4205. *A.C.* 510. *U. C.* 245.

De Prima Reipublicae mutatione.

§. 1. *Primi Consules.*

§. I. Ita ejectis simul cum violento suo Imperio Regibus prima Bruto cura fuit, ut eodem jurejurando Romanos alligaret, quo jam amicos suos adegerat, de regia nempe potestate in perpetuum ex Republica tollenda a. Quumque populus haec laetus acciperet comitia centuriata habuit; & ipse primus cum L. Tarquinio Collatino Consul factus est: quem quidem invito Bruto collegam datum esse tradit Plutarchus. b Placuit enim ut bini deinceps quotannis Consules crearentur, qui regia quidem potestate regiisque insignibus uterentur; sed quorum imperium annuum duntaxat esset, ne scilicet solitudine vel mora corrumperetur c. Hi statim leges & sacrificia a Tarquinio neglecta

a *Liv. II. c.* 1. b *Poplicola p. m.* 97. c *Flor. I. c.* 9.

glecta in usum revocarunt; Senatumque caedibus exhaustum supplerunt. Tarquinius interea Etruscos perpulit a, ut legatos Romam mitterent, qui reditum sibi suisque impetrarent; vel saltem bona regia repeterent literis ad Romanos populariter admodum scriptis. Sed obstitit Brutus; vel, ut alii, *P. Valerius* b, (qui Senatorum primus de libertate contra Tarquinios defendenda juraverat) quominus ad Populum producerentur. Placuit tamen Populo, invito quidem Bruto, ut bona Regibus redderentur; at dum ea consultatio in longius protrahitur tempus; moxque etiam tempore ad bona ea distrahenda, aliaque curanda opus esse simularent legati a Tarquinio missi plures ex nobilissimis juvenibus, & inter eos *Aquilios* & *Vitellios*, (hi filii erant sororis Collatini) ipsiusque Bruti (cujus uxor Vitelliorum soror erat) filios ad conjurationem de reducendis Tarquiniis, trucidandisque consulibus compellunt. Nempe prospiciebant jam juvenes licen-

a *Dion. Hal.* v. c. 3. b *Plut. Poplic.* p. 98.

tiae assueti sub justorum Magistratuum imperio non eam sibi fore licentiam, quae sub tyrannis fuerat; quippe cum legibus deinceps, non libidine vitam instituere cogerentur a. Forte autem in cubiculo, ubi scelus agitabatur, servus quidam, cui Vindicio nomen fuit imprudens delituerat. Hic statim rem ad Valerium, de quo modo dictum fuit, defert; inventisque literis, & sontibus deprehensis Brutus quidem statim admirabili animi constantia se coram filios suos virgis caesos securi percuti jussit. Collatinus autem cum sororis suae filios servatos vellet b, illi quidem Populi jussu damnati & necati sunt; ipse vero, suadente etiam ut obsequeretur socero *Lucretio*, Magistratu se abdicare coactus est; & magna pecuniae summa a populo donatus Lavinium habitatum abiit c: unde patet, non satis recte Livium *L.* II. *c.* 2. nudo nominis odio Collatinum pulsum dicere. In ejus locum suffectus est P. Valerius: &, ut omnis spes amicitiae regiae Populo

a *Liv. II. c.* 3. *sq.* b *Plut. Poplic. p.* 100.
c *Dion. Hal. L. V. c.* 12.

pulo adimeretur, bona tyrannorum civibus diripienda ſunt data: ager eorum publicatus, & Marti ſacer factus eſt: civibus vero, qui cum tyrannis abierant, ſi ſe intra viceſimum diem Romae ſtitiſſent, omnium delictorum venia eſt data. Inde Senatus caedibus a Tarquinio exhauſtus (ſemper enim tyranni, ut jam notatum eſt, auguſtos illos procerum conſeſſus timere, & proinde odiſſe ſolent) patriciorum praeſtantiſſimis allectis ad trecentorum uſque numerum expletus eſt; legeſque multae jam dudum neglectae in uſum revocatae ſunt. Et quia ſacra quaedam a Rege curari oporteret, ne etiam hic deſideraretur, *Rex Sacrorum* comitiis centuriatis factus eſt, qui tamen, ne tanto nomine ſuperbiret, Pontifici Maximo ſubjectus fuit a. Tarquinius interim injuriis Romanorum, ut ipſe interpretabatur, incenſus cum Etruſcis, & praecipue quidem cum Tarquinienſibus ſuis & Vejentibus bellum Romanis infert: & cum ad manus ventum eſſet b, *Aruns Tarquinius* alter Regis filius multis conviciis in Brutum

 in-

a *Liv. II. c. 2.* b *Dion. Hal. L. V. c. 15.*

invectus est; adeoque infensis animis & citatis equis ex adverso concurrerunt, ut alter alteri lethale vulnus infligeret. Ceterum aequo fere Marte pugnatum est a: & Brutus sumptuoso, ut erant ea tempora, funere elatus; & funebri concione (more deinceps Romanis solemni) celebratus est b, eumque matronae annum, ut parentem luxerunt, quod tam acer ultor violatae pudicitiae fuisset c. Sed Valerius, ut inconstans & suspiciosum est vulgus, cum collegam in Bruti locum sibi non adscivisset; quodque in loco elato & foro imminente aedificasset, in suspicionem regni affectati venit: verum statim rumore eo intellecto aedes suas una nocte diruit, & mox alias humiliores aedificavit: tum secures fascibus, qui Consulibus, ut olim Regibus, praeferebantur, exemit; eosque in concionem adscendens Populo submisit; his omnibus nomen *Poplicolae* a *Populo colendo* adeptus. Collegam etiam sibi adsumpsit *Sp.* Lucretium *Tricipitinum* Lucretiae patrem, eoque mox fato fun-

a *Liv. II. c.* 7. b *Dion. Hal. V. c.* 17. c *Liv. l. d.*

functo *M. Horatium Pulvillum*; ita ut primus ille annus libertatis quinque habuerit Consules: vel, ut justius etiam rem putemus, cum ex anno, quo pulsi fuerunt Tarquinii, quatuor etiam menses superfuisse videantur, quinque illi Consules sexdecim mensium spatium occuparunt. Horatius Consul Capitolium, quod a Tarquinio Prisco inchoatum, a Superbo fere absolutum fuerat, dedicavit: quod, cum ex invidia impedire conarentur necessarii Valerii, postem, ut solemne erat, tenenti Horatio, *funestam ejus esse familiam morte filii* nunciarunt: ad quod nihil aliud, quam ut *cadaver efferri* juberet, respondens solemnia dedicationis verba peregit a. Verum alii secundo demum Horatii Consulatu, sive anno Urbis ducentesimo quadragesimo sexto Capitolium eum dedicasse scribunt b. Quæstores hoc anno primum a Populo comitiis creatos fuisse auctor est Plutarchus c: qui antea a Regibus creabantur: & hæc sententia verior esse videtur, quam

a *Val. Max. L. V. c.* 10. *n.* 1. b *Dion. Hal. L. V. c.* 35. *Tac. Hist. L. III. c.* 72. c *Poplic. p. m.* 103.

Taciti a, qui anno demum trecentesimo septimo eum honorem a Populo mandatum dicit. Notius porro est, quam ut hic addi necessarium sit, curam aerarii publici praecipuam partem muneris eorum fuisse.

§. 2. *Bellum cum Porsena.*

§. II. Anno sequente nihil memorabile valde evenisse dicit Dionysius b. Livius c vero jam statim *Lartem Porsenam Clusinorum* in Etruria Regem a Tarquiniis exoratum (cum praeterea communem Regum caussam in caussa Tarquiniorum agi crederet) infesto exercitu Romam venisse scribit: eoque terrore motum Senatum, ut plebem sibi conciliaret, annonae praesertim & salis copia ut suppeteret, curasse d; tributorum quoque onere in solos divites declinato: iisque artibus concordiam in civitate egregie coaluisse. Nec sine caussa hic terror Senatum invaserat, cum praeter Etruscos etiam Octavus Mamilius Tarquinii gener Latini generis plurimos ad auxilium soceri sui jam contraxisset. Ita multorum auxiliis instructus Porsena Jani-

a *Ann. L. XI. c. 22. Vid. & l. un. ff. de off. Quaest.* b *L. V. c.* 20. c *L. II. c.* 9. d *Vid. Juven. S. X. v.* 80.

Janiculum montem prope Urbem trans Tiberim, munitum licet, occupat; unde opportune Urbem oppugnare poterat. Et ponte sublicio iter in Urbem habuisset, nisi *Horatius Cocles* cum duobus aliis, & his mox in tutum regressis, solus incredibili virtute impetum hostium, donec pons abruptus esset, sustinuisset: quo facto in Tiberim desiliens incolumis ad suos tranavit. Quod quidem ex nostri seculi moribus res aestimanti vix credendum esse videatur: at cogitandum est, nec tantos eo tempore in Italia fuisse exercitus, ac sunt illi, quibus hodie res geri solet; neque etiam arcuum usum eo tempore in Italia fuisse receptum; cum hastis missilibus tantum eminus, & gladiis cominus pugnarent, contra quae arma scuto se defendere erant docti: quanquam etiam Horatius grave vulnus in femore acceperit, a quo deinde claudus fuit [a]. Alterum etiam facinus hoc bello illustre celebratur *C. Mucii Cordi* adolescentis nobilis, qui in castra regia transgressus animo Regem interficiendi, errore ductus scri-

[a] *Dion. Hal. L. V. c.* 25.

bam pro Rege obtruncavit. Comprehensus, cum insidiarum ordinem & modum tormentis adhibitis expromere cogeretur, foculo ad Sacrificii usum accenso dextram, velut alienato ab sensu animo, imponit: attonitoque ad miraculum Regi, trecentos principes juventutis Romanae simili modo in eum grassaturos esse mentitur. Inde dimissus a clade dextrae manus *Scaevolae* cognomen retulit: a Senatu vero agro publico donatus est, cui *pratorum Muciorum* inde nomen fuit [a]. Sed τερατῶδες illud de cremata dextra non retulit Halicarnassensis, fide nempe indignum judicans. Hac Romanorum fortitudine impulsus Porsena ex consilio filii *Aruntis*, votoque suorum condiciones pacis Romanis tulit. „ Ut Tarquiniis bona ju„ ste parta, vel eorum pretia redde„ rentur; ager, quem Romani de „ Etruscis ceperant, sibi redderetur; „ nobilissimarum familiarnm liberi „ obsides sibi darentur [b]. " Haec omnia Senatus concessisset: sed Populus Tarquiniis nihil restituendum esse

a *Liv. L. II. c.* 13. *Dion. Hal. L. V. c.* 35.
b *Ibid. c.* 31.

esse scivit; verum ut ipse Porsena de eorum bonis judicaturus assumeretur. His legibus statim induciae sunt factae; obsidesque datae virgines nobilissimae: & ipse Consul Valerius in castra exivit: Sed, dum in concilio apud Regem disceptant, nunciatur, *aufugisse virgines*. Petierant ipsae a custodibus, ut, illis pudoris caussa remotis, lavare sibi in Tiberi liceret: eoque imperato, hortante una earum *Cloelia*, in Urbem tranarunt: cui postea honoris ergo statua equestris est posita. Et licet Tarquinii, *indignam hanc esse perfidiam*, clamitarent, permissum est Consuli, ut in Urbem regrederetur puellas reducturus. Revertentibus insidiae a Tarquiniis structae sunt; sed filio etiam Porsenae ad auxilium accurrente depulsae. Quamobrem gravissime indignatus Porsena eo ipso die facessere castris Tarquinios jubet. Et pace cum Romanis firmata castris quoque suis instructissimis eos donat a: quod beneficium anno sequente alio statim beneficio Romani remunerati sunt; dum Etruscos ab hostibus suis victos & fuga in agrum

grum

a *Dion. Hal. L. V. c.* 34.

grum Romanum delatos benigne excipiunt, vulneratos curant, multisque, qui apud Romanos remanere volebant, certum locum Urbis habitandum concedunt; qui inde *Vicus Tuscus* est dictus a. Et paulo post cum postremum, *ut in regnum reduceretur Tarquinius*, Porsena ursisset, Senatusque per legatos ipsum docuisset, *salva Urbe Roma id fieri non posse*, a petendo destitit, & amicitiam in perpetuum cum Romanis firmavit b; redditis obsidibus, & agro Vejente, qui fœdere nuper icto ademptus fuerat. Tarquinius spe omni reditus amissa exsulatum ad generum Mamilium Tusculum abiit.

§. 3. Bella cum Sabinis & aliis.

§. III. Anno Urbis 248. bellum cum Sabinis exortum est; iisque a Consulibus gravi ac difficili praelio victis Populus Romanus pristinos spiritus resumpsit c; Consulibusque ambobus triumphum decrevit. Sed tamen rursus anno sequente a Sex. Tarquinio persuasi simul cum Fidenatibus & Camerinis bellum Romanis faciunt; Sexto

a *Liv. L. II. c.* 14. *Plaut. Curc. IV.* I. 21. *Hor. Serm. II.* III. *v.* 228. b *Liv. II. c.* 15. c *Dion. Hal. L. V. c.* 39.

to Tarquinio Imperatore adſcito. Eodem tamen anno ex ipſis Sabinis aliquantum virium Romanis acceſſit a; quod Vir inter eos potentiſſimus *Atta Clauſus*, quia pacis auctor ſuis erat ſuſpectus, cum magna clientum manu ab *Regillo* urbe Romam transfugeret. Romae *Appio Claudio* ipſi nomen fuit: ac ſtatim inter patres lectus nobiliſſimae genti *Claudiae* a ſe originem dedit. Romani autem conſilio hoſtium caſtra Romana adoriendi ex transfuga cognito, ita eos exceperunt, ut maxima clade accepta recederent; & Fidenae poſt aliquot dierum oppugnationem reciperentur; ubi in paucos defectionis auctores more Romano animadverſum eſt b. Anno iterum 250. Sabini ſubita in agrum Romanum impreſſione ingentem ruſticorum non tantum, ſed etiam civium in Urbe degentium caedem ediderunt; cum Poſtumius Conſul imprudentius in eos erupiſſet. Sed cladem hanc & ſuperbiam Sabinorum inde ortam ulturi Conſules omnibus viribus collectis maxima eos ſtrage af-

a *Liv. L. II. c.* 15. b *Dion. Hal. Ib. c.* 43.

affecerunt. Et Minucius quidem triumphans Urbem introïit: Sed Postumius, quod ejus maxime culpa prius accepta fuisset clades, *ovationem* tantum obtinuit, sive *minorem triumphum*: quod triumphi genus tunc primum a Senatu inventum Licinius vetus Historicus; prodidit a; ejusdemque ovationis vestigiolum in fragmentis Tabularum Capitolinarum occurrit b. Eodemque anno mortuus est acerrimus ille libertatis vindex Poplicola in tanta egestate, cum scilicet ditescendi occasiones neglexisset, ut Senatusconsulto sumptus ex aerario ad ejus funus suppeditatus sit. Matronae, ut Brutum sic Poplicolam per annum luxerunt; & in Urbe prope forum crematus & sepultus est: qui honor paucissimis quidem, non soli tamen Poplicolae, ut vult Dionysius, contigit c.

A. U. 251. Anno sequente cum Sabinis magna victoria a *Sp. Cassio Viscellino* superatis debellatum est: licet saepius etiam postea rebellaverint. Alter vero Consul *Opiter Virginius* Camerinorum Urbem

a *Dion. Hal. Ib. c.* 47. b *Vid. & Plin. H. N. L. XV. c.* 29. c *Vid. Kirchm. de fun. R. L. II. c.* 26.

bem quae defecerat vi cepit; defectionis auctoribus securi percussis a. Etiam cum Auruncis grave, sed prosperum bellum hoc & praecedente anno gestum fuisse Livius tradit b. Inde, cum Latini bellum adversus Romanos molirentur, legatis Romam missis postularunt, ut Tarquinii ceterique exsules in Urbem reciperentur, omni injuriarum memoria abolita: utque a Fidenis, quam Urbem oppugnabant Romani, exercitus abduceretur; quod ideo factum, ut justam belli caussam habere viderentur; cum satis scirent utrunque Romanos esse negaturos. Venerant cum his Latinorum legatis etiam quidam a Tarquinio missi, qui rursus cum egenis & servis contra Rempublicam conspirarunt; ita ut principes quidem conjurationis nocte obscura observata munitiora Urbis loca invaderent; servi autem, cum hoc peractum esse sensissent dominos suos dormientes interficerent: sed duo fratres ex urbe Laurento, qui etiam *Tarquinii* dicebantur, & inter conjuratos fere erant praecipui, rem ad Consulem detulerunt

d *Ib. c.* 63. *sqq.* b *Ib. c.* 66. *sqq.*

runt horrendis somniis, si credere licet, moniti a. Consul jussit indicibus, ut cum conjuratis circa mediam noctem in forum convenirent b: atque ibi illos armatis circumdedit, & per lictores interfecit.

A. V. 255. Fidenae tandem post diuturnam obsidionem a T. Lartio Consule captae sunt; & in defectionis auctores animadversum fuit c. Sed cum hinc Latinorum metus augeretur cum Tarquiniis viginti quatuor Latini nominis gentes in Romanos conjurarunt: &, ni a solita arrogantia remisissent, bellum iis minati sunt. (Sed videtur haec eadem fuisse conjuratio ac ea, de qua ad A. 252. ex Livii *L.* II. *c.* 18. dictum est) Romani bellum suscipiendum decreverunt; quanquam etiam domi ob foeneratorum impotentiam ingenti discordia omnia flagrarent d; cum *L. Valerius* Poplicolae frater Populi inopiam debitorum remissione sublevandam esse censeret; Ap. vero Claudius prolixa oratione in Senatu contrarium suadere conaretur e: atque hac oc-

a *Dion. Hal. L.V. c.* 54. b *Ibid. c.* 57. c *Ib. c.* 60. d *Ib. c.* 63. *sqq.* e *Ib. c.* 66. *sqq.*

occasione primum creatum esse Dictatorem putat Dionysius. Sed vix est ut in ultima hac antiquitate certi aliquid de singulis annis statuere possimus: cum videamus ipsum Livium saepe fluctuasse. Itaque non nimis anxie in res chronologicas inquirentes summa praecipue rerum capita persequemur.

Dionysius Halicarnassensis *L.* VI. *c.* I. ad Consules anni 256. memorandum quid refert: Senatusconsultum nempe factum esse, ut mulieres Latinae Romanis nuptae, aut Romanae, quae Latinis nupserant, si eis videretur, intra certum diem, aut domum ad parentes redire, atque e liberis feminas innuptas secum ducere; vel, si mallent, apud conjuges manepossent. Tum vero Romanas fere omnes e Latio ad parentes fuisse reversas; Latinas in Urbe nuptas, duabus exceptis, omnes maritos patriae praetulisse: quod hominem Graeculum adulatorio erga Romanos animo de suo addidisse, satis verosimile mihi esse videtur. Hoc certum est, jam gravia hoc tempore inter Romanos & Latinos fuisse odia. Igitur A. U. 257.

bellum Latinum in nervum erupit; ita ut propter illius graviſſimi metum Dictator diceretur *A. Poſtumius Albus*, qui ad lacum *Regillenſem* Latinorum triginta tria millia interfecit, aut cepit. Cecidere etiam duces Latinorum inſigniores omnes, & inter eos Sextus & *Titus Tarquinii* Regis filii & Octavus Mamilius ejusdem gener. Pugnatum fuit Idibus Quinctilibus; eaque pugna cum Latinis debellatum fuit: cum enim legatos ſupplicum habitu Romam miſiſſent poſt longam in Senatu deliberationem pacem priſtinis legibus a Romanis impetrarunt [a]: & paulo poſt, ut ſe firmae pacis cupidos oſtenderent, Volſcorum, Hernicorumque conſilia adverſus Romanos aperuerunt; Latinorumque nomen Romano Imperio conjunctiſſimum fuit [b]. Poſtridie hujus praelii advenerat Volſcorum exercitus Latinis auxilio miſſus: Sed viſa Latinorum ſtrage exploratores nomine legatorum Romam miſerunt, qui ſe ipſis adverſus Latinos auxilio veniſſe ſimularent:

a *Ib. Dion. Halic. L. VI. c.* 10. *ſqq.* b *Ib. c.* 21. c *Liv. L.* II. *c.* 22.

larent: sed Postumius ex literis interceptis eos falsi arguit: & tamen, ne Volscis honestam belli caussam daret, illaesos eos dimisit; atque ita insignem de Latinis triumphum egit. In hujus celeberrimi praelii memoriam institutum fuit, ut quotannis iisdem Idibus Quinctilibus equites Romani solemniter ab aede Honoris extra Urbem ad Capitolium transveherentur. a Nihil opus est hic addere fabulam de *Castore* & *Polluce* hujus pugnae nunciis, licet etiam Dionysius eam referat; ut & *Valerius Maximus L. I. c.* VIII. *ex.* I. & *Florus L. I. c.* XI. at hi duo mirandarum narrationum captatores historicis fide dignis vix sunt accensendi. Tarquinius fractis Latinorum opibus ad *Aristodemum Cumarum* tyrannum se contulit: & ibi tandem A. U. 258. nonagenarius obiit b.

a *Dion. Hal. VI. c.* 13. b *Dion. Hal. L. VI. c.* 21.

*A.U.*258. *Per. Jul.* 4219. *A. C.* 494.

CAPUT SECUNDUM;

De institutione Tribunorum plebis, &c.

§. I. *Ortus tribuniciae potestatis.*

§. I. Sed ita remoto Regum metu seditionibus domesticis Romae laborari coeptum est; maxime propter nexos ob aes alienum a. Decreverat quidem Senatus bellum contra Volscos non aliam ob caussam, quam ut plebs a negotiis suis domesticis averteretur: cum vero plebs nomen militiae dare recusaret, ne inter ipsos quidem Consules conveniebat quemadmodum hac occasione plebe uterentur, cum *Servilius* mitiore via insistendum esse censeret; *Appius* severitatem adhibendam esse contenderet. Tandem Servilius multis precibus a plebe obtinuit, ut se ad bellum sequeretur; & edicto proposito, quo nexos & vinctos solvi jubebat, maximo undique concursu sacramento dictum est b: & statim quidem Volsci in deditionem venerunt: at subdole; quippe qui mox digresso Consule cum Her-

a *Liv. L. II. c.* 23. *Dion. Hal. L. VI. c.* 22.
b *Liv. II. c.* 24.

Hernicis & Sabinis ſocietate inita bellum inſtaurarunt a. Sed cum plebs, niſi ſibi ſatisfieret, Conſules ad bellum ſequi nollet, demum poſt varias altercationes Servilius nomine Senatus promiſit plebi, fore, ut ſalutaris Reipublicae forma conſtitueretur b, modo praeſens periculum fortiter propulſarent. Itaque magno exercitu coacto Volſcos nec opinantes ingenti ſtrage concidit maxima praeda militibus parta: inde Sueſſam Pometiam urbem nobiliſſimam, aliaque Volſcorum oppida brevi temporis ſpatio expugnavit, militibus ſemper praedam largitus; & adverſante collega injuſſu Patrum triumphavit. Idem paulo poſt Sabinos c feriarum tempore in agrum Romanum irruentes fundit & fugat; Auruncosque etiam ferocientes contundit. Hoc eodem anno mercatorum collegium Romae eſſe inſtitutum notatu ſatis dignum eſt. *Liv. II. c.* 27.

Verum anno ſequente cum Sabini bellum pararent, Volſci & *Aequi* illud minarentur, niſi ager ſibi ademptus reſtitueretur, plebs tamen nomen mi- *A. U.* 259.

 litiae

a *Dion. Hal. L. VI. c.* 25. b *Ibid. c.* 28.
c *Ibid. c.* 31.

litiae dare recusavit; &, si vis adhiberetur, vi eam populsare coepit: cum enim Consules a Senatu jussi essent delectum acerrime agere nemo citatus ad nomen respondebat [a]; lictor, si quem Consules mittebant, repellebatur. Ergo Senatu vocato post ingentes rixas tandem ex Appii sententia, Dictatorem dici placuit: dictusque est *M' Valerius* Poplicolae frater: qui Populo in concione promisit fore, ut omnia aequa a Senatu impetraret, modo nomen militiae daret; atque ita magnis copiis conscriptis Sabinos castris exuit; cum interea Consul quoque contra Aequos Volscosque bene rem gereret. Sed Dictator cum benigne agendo nihil in Senatu proficeret, & relatio ejus de solvendis nexis rejiceretur, Dictatura se abdicavit.

§. 2. De secessione prima in montem sacrum. *A. U.* 260. §. II. Demum cum per occasionem renovati ab Aequis belli Consules educere ex Urbe legiones juberentur, plebs indignata *Sicinnio* quodam auctore in montem Sacrum trans *Anienem* amnem tribus ab Urbe passuum millibus secessit [b]: Ita usurarum immodestia, ni-

a *Liv. L. II. c.* 29. b *Liv. L. II.* 32.

nimia Senatus potentia, & quod continuas bellorum occasiones quaererent patricii, ut finibus foris prolatis domi libertatem opprimere possent, originem dedit tumultui, qui parum abfuit quin Rempublicam everteret: licet tamen etiam verum videatur, plebejos fere sua culpa, & quod minus quam bonum patrem familias decet rei suae familiari attenderent, ad summam paupertatem fuisse redactos.

Ingens ex hac secessione pavor civitatem incessit, cum mutuo metu suspensa essent omnia: qui etiam auctus est, postquam legati de pace ad plebem missi nullo nisi minaci & superbo responso accepto redierunt. At cum novi Consules [a] A. U. 260. de plebis reditu ad Senatum retulissent, *Agrippa Menenius* vir eximius alteram legationem ad plebem mittendam censuit, quae aequis conditionibus pacem componeret: & postquam omnes, uno Appio excepto [b], ei assensissent, eo ipso die decem ex spectatissimis Senatoribus ad plebem missi sunt de pacis conditionibus acturi. At-

a *Dion. Halic. L. VI. c.* 49. *sq.* b *Ibid. c.* 68.

que ibi M' Valerius plebem, ut in Urbem rediret invitavit, promittens fore, ut Senatus omnia aequa ipsis concederet: sed *L. Junius* a, qui se *Brutum* cognominari volebat, tanquam ex illustri illa esset familia, vir acri ingenio praeditus prolixa oratione justas quaerendi caussas, quas plebs habebat, exposuit, ita ut etiam ipsis legatis lacrymas expresserit b. Et licet acerbius ei responderet T. Lartius, tamen Agrippa eleganti apologo, & civili oratione animos flexit: Et parum abfuit, quin statim in Urbem reverterentur c; nisi Brutus ille petiisset, ut plebeji quidam viri quotannis legerentur, qui nullam aliam auctoritatem haberent, quam ut plebi auxilium adversus Consules ferre possent; illique *sacrosancti* haberentur d; neve ulli patricio capere eum magistratum liceret. Igitur statim in ipso monte duo creati fuisse videntur e; quibus vel mox in Urbe, vel anno demum 283. lege *Publilia* tres fuerunt ad-

a *Dion. Halic. L. VI. c.* 70. *sq.* b *Ibid. c.* 81. c *Ib. c.* 87. d *Liv. L. II. c.* 33. e *Ibid.* & *c.* 58. *Cic. pro Corn. Orat. I. p.* 968. *ed. Graev.*

additi [a]: & iterum alii quinque A. 297. ita ut tum bini ex ſingulis claſſibus crearentur. Dionyſius Halicarnaſſenſis *L. VI. c.* 89. primum quinque creatos dicit; anno vero 297. quinque etiam fuiſſe adjectos. [b] Cicero loco modo in margine citato primum duos fuiſſe creatos vult: poſtero autem anno auſpicato comitiis curiatis decem: ad quem locum etiam videri poteſt *Aſconius.* Tribunis plebis duo viri fuerunt additi quaſi adminiſtri, qui, quod etiam *ſacrarum aedium* curam gererent, *Aediles* ſunt dicti [c]. Ita pace in Urbe parta *Poſtumus Cominius* Conſul *Longulam* & *Poluſcam* Volſcorum urbes cepit [d]: *Corioli* vero, caput gentis, poſt acres pugnas virtute maxime *C. Marcii* viri patricii expugnati ſunt, qui ſe ſtatim Poſtumo cum Antiatibus praelianti junxit; & fortitudine ſua praecipuus victoriae auctor fuit: ac *Coriolanus* deinceps cognomine eſt dictus, cum antea a Conſule pro concione laudatus decimam etiam partem de

a *Vid. Pighii Annal. ad hunc annum.* b *Vid. eund. Dion. L. X. c.* 30. c *Id. L. VI. c.* 90. d *Ib. c.* 91.

praeda recusasset. a. Quia autem plura de hoc viro dicenda sunt operae pretium fuerit, ut paulo propius eum noscamus.

Marcia gens Romae nobilissima originem referebat ad Ancum Marcium quartum regem Romanorum, cujus avus maternus fuerat Numa Pompilius b. Ex hac gente ortus noster C. Marcius patrem cito amisit: sed mater *Veturia* antiquae omnino virtutis matrona omnibus modis austerissimae virtutis amorem filio inculcavit, Nec ipse sibi defuit. Erat enim frugalis, continens, fortis & justitiae rigidus cultor; praeterea liberalis, & legum vindex acerrimus. Praecipua autem animi illius dos erat fortitudo militaris, quae sola fere Romae in pretio habebatur: unde etiam *virtus* a *viribus* fuit denominata c. Sed has virtutes inutiles, imo perniciosas reddebat animus arrogans, tristis & imperiosus; qui prohibebat, ut unquam, etiam in caussis justissimis, plebi gratificaretur.

§. 3. Coriolani in patriam molitiones.

§. III. Cum ergo per secessionem in mon-

a *Plut. Coriolano. p. m.* 218. b *Plut. Ib. p.* 213. c *Ib. p.* 214.

montem ſacrum nulla ſementis facta eſſet, ingenti caritate annonae Respublica laborabat [a]. Igitur legati in Etruriam, *Campaniam*, & praecipue Siciliam miſſi ſunt qui frumentum conquirerent: & ex Sicilia praeſertim, commodante *Gelone* benigniſſimo *Syracuſarum* tyranno, ingentem vim frumenti advexerunt. Sed hic ipſe commeatus maximarum turbarum occaſio fuit. Nam ſuperbiſſimus ſimul & iniquiſſimus plebi Marcius ille Coriolanus, (qui etiam aegre admodum tulerat, quod conſulatus repulſam paſſus foret, cum nimio faſtu a Senatu in campum Martium, ubi comitia habebantur, deductus Populum offendiſſet [b]) Coriolanus, inquam, ut plebem fame vexatam ad pleniſſimum obſequium cogeret, Senatui auctor fuit, ne frumentum nuper advectum plebi inopia laboranti divideretur, niſi haec antea in tribuniciae poteſtatis abolitionem conſenſiſſet. Quod cum revera injuſtiſſimum eſſet merito tribuni graviter eum in concione Populi

a *Liv. L. II. c.* 34. *Dion. Hal. L. VII. c.* 1.
b *Plut. Coriol. p. m.* 220.

puli accusarunt a. At cum plebs modesta oratione & pollicitationibus *Minucii* Consulis flecti videretur b, C. Sicinnius tribunus plebis Consules quidem laudavit, & patriciis gratias egit, quod tandem aliquando de inopum salute essent solliciti: ad Marcium vero conversus data opera eum hortatus est, ut iram civium deprecaretur; quod sciret animum ejus elatum nunquam eo venturum; quemadmodum etiam revera superbissime, & sine ulla moderatione respondit. Cumque propterea eum comprehendi jussissent tribuni aegre a Consulibus servatus est. Quanquam vero etiam annonam viliorem fecisset Senatus tamen Sicinnius Marcio diem dixit; sed collegis ejus permittentibus Senatusconsultnm factum est c, ut, postquam tribuni dixissent, tum demum patres caussa cognita, quod justum ipsis visum fuisset, pronunciarent. Postridie Brutus prolixa oratione Marcium in Senatu accusavit, cui rursus acerbe Appius respondit d, nullum esse jus plebi de quoquam patricii ordinis ju-

a *Dion. Halic. L. VII. c.* 27. b *Ib. c.* 33. c *Ibid. c.* 39. d *Ib. c.* 47.

judicandi contendens. M' vero Valerius humaniter cum plebe agendum esse censuit: cumque videret Senatum efficacia orationis suae permoveri, addidit [a], plebem etiam ad judicia majestatis praecipue, vel perduellionis esse admittendam, quod nihil magis ad potentiam Reipublicae conciliandam faciat, quam diversorum in ea ordinum concordia. Postquam autem sensit Marcius, Patres in hanc sententiam esse proniores, rogavit ut tribuni juberentur dicere, *Cujus criminis eum essent accusaturi* [b]. Cupiebat enim scire an accusatio praecipue in eo volveretur, quod in Senatu plebem fame domandam esse censuerat: Verum, cum *affectatae tyrannidis* crimen se ipsi objecturos esse dixissent, *nullam se moram facere Senatusconsulto, quo Populo judicium de hac caussa permittebatur*, respondit. Ergo ad comitia, ubi hoc judicium erat excercendum, ingens hominum multitudo confluxit: Sed quia in centuriatis comitiis, quibus hactenus de talibus rebus deliberatum fuerat, potentiorum suffragia ita prae aliis valebant, ut de ab-

a *Ibid. c.* 55. b *Ib. c.* 58.

absolutione sua satis certus esse posset Coriolanus, tribuni voluerunt, ut Populus *tributim* suffragia ferret, quo casu aeque valebant pauperiorum ac ditiorum suffragia. Atque haec *origo comitiorum tributorum* fuit. Ante quam autem ipsa comitia haberentur alter Consul Minucius civili oratione Plebem monuit, *ut absolvendo Marcium Senatui gratificari vellet*: cui respondit Sicinnius, *se nihil aliud facturum, nisi ut tribus in suffragia mitteret* a. Et sane, licet a Tribunis acriter accusaretur, tamen egregia sua facinora commemorando plebem ad absolutionem sui flexisset, nisi *M. Decius* tribunus plebis ei etiam praedae Antiaticae anno superiore interversae, atque amicis suis donatae crimen impegisset. Fecerat hoc quidem, ut credi potest, bono consilio, ut clientes suos aliosque cives tenuiores ad hostiles excursiones propulsandas permoveret, quando plebs militiae nomen dare nollet; sed tamen parvo suffragiorum discrimine b damnatus, & in exsilium ejectus fuit. Ita ab hoc dein-

a *Ibid. c. 61.* b *Vid. Manut. de comit. Rom. c. 2.*

deinceps exemplo judicium plebi in patricios conceſſum eſt: quod, niſi acceſſiſſet abuſus, utiliſſimum Reipublicae futurum erat, ut etiam Dionyſius noſter cenſet a.

Ergo ita, ut dictum eſt, Urbe expulſus Marcius ad *Attium Tullum* Volſcorum Antiatium Principem ſupplex profectus eſt b: & benigne receptus conſilia cum eo de bello patriae inferendo contulit. Quia autem induciae jam inter Volſcos & Romanos erant; & illi praecipue cladibus feſſi a bello magis abhorrerent, arte opus erat, ut Volſcos in Romanos accenderent. Commodum autem iis diebus apud Romanos certa ex religione ludi inſtaurabantur. Ergo Tullo auctore magna Volſcorum multitudo Romam ad ludos ſpectandos profecta eſt: ſed ſimul index, ſive a Marcio, ſive a Tullo miſſus Conſules monuit c, *caverent ſibi a Volſcis; timere ſe, ne, dum intenta ſpectaculis civitas eſſet, inimicum aliquid contra eam molirentur.* Itaque facto Senatusconſulto Volſci per praeconem ante noctem excedere ſunt juſſi.

a *L. VII. c.* 65. b *Plut. Coriol. p. m.* 224.
c *Liv. L. II. c.* 37.

jussi. Ita irritata Volscorum gente ex sententia Marcii legati Romam sunt missi, qui agros & oppida a Romanis sibi erepta repeterent; quae nunquam eos sponte reddituros esse probe noverat Marcius. Negantibus ergo Romanis bellum a Volscis decretum est: eique cum Tullo Coriolanus praeficitur. Hic statim Romanorum agros invadens, dum plebejorum quae essent ageret & ferret, optimatum agris abstinuit [a]; unde magna dissensio cum invidia in Urbe est exorta. Inde omnibus Volscorum viribus coactis [b], multisque Latinorum oppidis expugnatis ad quintum ab Urbe lapidem castra posuit. Ergo, ut in re trepida, legati ad Marcium ex ejus necessariis mittuntur: & Minucius legationis caput oratione civilitatis & humanitatis plenissima eum, ut in patriam omni injuriarum memoria abjecta reverteretur, hortatus est [c]. Verum Coriolanus longo sermone injurias sibi factas prosecutus tandem conditiones pacis tulit, *ut omnia Volscis adempta ipsis redderentur; utque ipsi eadem foederis*

a *Dion. Halic. L. VIII. c.* 12. b *Plut. Coriol.* c *p. m.* 227. *Dion. Hal. L. VIII. c.* 23. *sqq.*

deris forma cum Romanis, qua Latini gauderent; & triginta diebus ad deliberandum datis interim in reliquas Latinorum urbes exercitum duxit; & ſeptem oppidis in poteſtatem redactis rurſus ad Urbem acceſſit; nec altera legatione conſularium virorum; nec tertia ſacerdotum, ut patriae ignoſceret, compelli potuit. Tandem, cum mulieres per omnia templa ſupplices ſe abjicerent, *Valeria* Poplicolae (qui jam defunctus erat) ſoror quaſi divino quodam inſtinctu mulieres excitavit [a]; cumque iis ad matrem Marcii Veturiam perrexit; eamque, licet aegre [b], permovit, ut cum nuru ſua *Volumnia* (Plutarchus matrem Marcii *Volumniam*, uxorem *Veturiam* vocat; ſed contra alios omnes auctores [c]) & parvulis Marcii liberis in caſtra ad filium pro patria deprecatura proficiſceretur. Comitatae eam ſunt aliae matronae ingenti numero. Cum autem Coriolanus matri obviae complexum ferret [d] repulit eum mulier primum ſcire volens, *an ad hoſtem, an ad filium veniſ-*

G *ſet?*

a *Plut. p. m.* 229. b *Dion. Hal. L. VIII. c.* 41. *ſqq.* c *Florus, Valerius Max. Livius, Dionyſ. Hal., Eutropius, Aur. Victor.* d *Liv. L. II. c.* 40.

set? Atque ita oratione sua eum delinivit, ut matrem amplexus testaretur *eam potitam fuisse victoria patriae laeta, sibi funesta* statimque postridie exercitum ab Urbe abduxit. Mulieribus Romam regressis ingens honos habitus est; decretumque, ut in rei memoriam templum *Fortunae Muliebri*; & sacra anniversaria ei peragenda constituerentur a. Marcium ad Volscos reversum Tullus die dicta proditionis accusavit; & defendere se parantem audacissimorum juvenum ope confo-
*A.U.*265. dit. Fabius vero antiquissimus auctor usque ad senectutem vixisse testatur: & saepe exacta aetate hanc vocem usurpasse, *Multo miserius seni exilium esse.* Hunc finem habuit vir omnibus suae aetatis bellica laude superior b: sed idem implacabilis ingenii, immoderatae iracundiae, & severitatis nulla lenitate temperatae: majoris denique arrogantiae quam quae in civitate libera ferri posset. Volsci A. U. 266. in genti praelio a *Sicinio* Consule sunt victi; quo etiam cecidit Tullus ille Coriolani hospes & percussor a:

a *Dion. Hal. L. VIII. c.* 55. b *Dion. Hal. L. VIII. c.* 60. *sq.*

sor a: ita ut anno sequente & Volsci & Hernici in deditionem venerint.

§. IV. Verum eodem anno Sp. Cassius tribus jam consulatibus, duobusque triumphis clarus tyrannidem Romae affectare coepit plebejorum gratiam omnibus modis ambiens: *legemque agrariam* tulit nunquam deinde sine maximis motibus rerum agitatam b: nec mirum, cum ita optimates agris publicis, quibus in fraudem plebis, ut suis utebantur, privarentur. Nam vel curabant proceres, ut, si hi agri publice venderentur minimo pretio addicerentur sibi. Vel etiam suo, aut alieno nomine agros plebi sub annuae pensiunculae solutione concessos acquirebant: vel denique usuris exhaustos plebejos patrimoniis suis exuebant. Imo sensim terminos suos proferendo optimates agros publicos in privatos usus convertebant. Ergo Cassius Senatum rogavit c, ut ager bello partus, sed absque ulla verecundia a patriciis occupatus plebi divideretur: &, ut frumenti a Gelone missi pretium emptoribus ex aerario re-

§. 4. *Lex agraria Sp. Cassi. A. U. 267.*

a *Ibid. c.* 67. b *Liv. L. II. c.* 41. c *Dion. Hal. L. VII. c.* 70.

restitueretur. Hinc ingentes rixae sunt ortae, cum tenuioris fortunae homines Cassii latus quotidie stiparent, meliores ejus collegae *Virginio* adhaererent: imo ipsi tribuni, vel quod plebem largitionibus corruptam lascivire prae otio e Republica non putarent; vel quod tantum beneficium ab alio, quam a tribuno plebis, plebi tribui nollent, se adjunxerunt Senatui. Cassius vero, cum se inferiorem videret, infirmitatem simulans socios interea quam posset plurimos ad suffragia ferenda arcessebat. Nam jam in secundo suo consulatu Latinos Hernicosque civitatis jure donari fecerat: sed ita, ut suffragii lationem non nisi ad arbitrium magistratuum Romanorum haberent a. Interea in Senatu diversae de hac re fuerunt sententiae, Appio quidem censente, ut, si qua pars agri publici a privatis possidere deprehenderetur, ea rursus in publicum redacta ad usum publicum locaretur, *A.* vero *Sempronio Atratino* b, ut magistratus ad eum finem creati discernerent, qui agri Reipublicae, qui

a *Vid. eund. Ibid. c. 69. f. & sq.* b *Ibid. c.* 74.

qui privatorum essent. Ita gliscenti Sp. Cassii seditioni obviam itum fuit. Anno autem sequenti a Quaestoribus apud populum affectatae tyrannidis accusatus; &, cum crimen populo probatum fuisset, damnatus a, & de saxo Tarpejo dejectus est. Alii dicunt, ipsum Cassii patrem eum in Senatu accusasse; & mox a Senatu damnatum *pro patria potestate* interfecisse: quod Dionysio verisimile non sit, quia domus ejus diruta, & bona publicata sunt; quorum neutrum vivo patre contigisset. Hoc etiam anno si Valerio Maximo *L. VI. c. 3. ex. 2.* & Graeculo *Zonarae* credimus, *Mucius* tribunus plebis novem collegas suos, qui duce, Sp. Cassio id egissent, ut magistratus non subrogarentur, vivos cremavit. At levis est, ut jam diximus, Valerii fides, & levior multo etiam Zonarae. Antequam autem ad ulteriora pergamus observandum hic est, merito quidem plebem has leges agrarias expetivisse, cum, ut jam diximus §. 4. capitis praecedentis, optimates nulla juris aut aequi reverentia maximam agri publi-

a *Dion. Hal. L. VII. c.* 78.

ci partem in ſuos & ſuorum privatos uſus convertiſſent: ſed tamen, eas nunquam niſi ſumma cum perturbatione Reipublicae fuiſſe promulgatas cum earum latores, plerumque certe, non tam plebis commodum quam vel ſuam ambitionem & gloriolam, vel inimicorum ultionem ſpectarent. Certe non cum morte Caſſii ſimul exſtincta eſt legis hujus mentio; verum etiam ſequentibus annis relata tantarum contentionum cauſſa fuit, ut A. U. 272. fuſos ab equitibus Vejentes odio *Fabii* Conſulis inſequi pedes noluerit [a]. Tamen hic annus jam antea patres docuerat, quo modo optime tribuniciae poteſtati reſiſteretur: ſi nempe optimates unum modo ex toto tribunorum collegio permovere poſſent, ut collegarum actionibus intercederet: quod haud difficulter obtinebatur, cum omnes fere tribuni, propria unusquiſque ratione, patribus obſtricti eſſent. Atque ita jam, ipſo quidem Appio monente [b], comiter Tribunos appellando, partim gratia, partim auctorita-

te

a *Liv. L. II. c.* 43. b *Dion. Hal. L. IX. c.* 1.

te obtinuerunt, ut quatuor tribuni se uni dilectum moranti opponerent. (Nam quinque duntaxat tribunos hoc tempore fuisse creatos supra dictum est.)

§. V. Igitur Consules adversus Etruscos Romanorum discordiam suam, occasionem esse ratos profecti sunt. Sed pertinaciae plebejorum pristinae memores militem eo usque a pugna cohibuerunt, donec insultantem insolentius hostem ferre jam amplius non possent [a]: tum demum jurejurando adactos milites, *nisi victores ex acie non reversuros* [b] in hostem duxerunt; eosque difficillimo praelio, quo alter Consulum *Manlius* cecidit, vicerunt: constitit autem exercitus Romanorum quadraginta quidem millibus peditum; equitum vero duobus millibus & quadringentis; quantus nunquam antea fuerat [c]. Sed cum continua plane haec bella cum Aequis & Vejentibus essent (at non nisi minimo anni tempore gerebantur; nam nec messis tempore expeditiones suscipiebant, nec hyeme) *Fabia* gens, quae

§. 5. Bella cum Vejentibus & Aequis. 300. Fabii caesi. A. U. 273.

a *Liv. L. II. c.* 45. b *Dion. Hal. L. IX. c.* 10. c *Ibid. c.* 13.

hoc tempore omnium Romae gentium erat florentissima, hoc bellum sibi & clientibus suis atque amicis peculiare a Senatu poposcerunt a. Dico, *sibi & clientibus suis atque amicis*: nam popularis est error credentium, trecentos illos & sex, qui ad Cremeram caesi dicuntur, omnes patriciae illius gentis Fabios fuisse. Quomodo enim in numerosa adeo gente unus tantum puer, & is quidem prope pubertatem, fuisset? & quomodo brevi adeo spatio, postquam Senatus a Tarquinio caedibus fuisset exhaustus, tot viri militaris aetatis in una gente inveniri potuissent? Sed pluribus argumentis vulgarem illam opinionem refellit magnus harum rerum magister Jacobus Perizonius b. Ergo ad bellum profecti Fabii primo quidem feliciter rem gesserunt: & praesidio ad Cremeram fluvium collocato longe lateque hostilem agrum depopulati sunt: verum nimio rerum successu in contemptum hostium inducti tandem ex insidiis ad unum omnes caesi sunt; praesidiumque eorum ad Cremeram est

a *Liv. L. II. c.* 48. b *Animadv. Hist. c.* 5.

est expugnatum. Dies, quo clades haec accepta fuit, *Idus* nempe *Februariae*, inter *atros* relatus est a, & porta, qua egressi fuerunt, *Scelerata* est dicta b. Hujus etiam belli occasione extraordinarii exercitus & provinciae cum *imperio Proconsulari* privatis consularibus a Senatu commissae sunt; quae Origo *Proconsulatus* & *Propraeturae* fuit c. Victoria hac elati Tusci Janiculum occuparunt. Sed A. U. 277. felici alterius Consulis temeritate occidione occisi sunt d. Ita parto otio tribuni rursus lege agraria Populum agitare coeperunt: *Menenio* etiam anni praecedentis Consuli diem dixerunt, quod Cremerensi præsidio non subvenisset, cum haud procul inde castra habuisset; eique damnato mulctam duo millia aeris edixerunt; unde morbo ex aegritudine contracto absumptus est: quod *Servilius* Consul A. U. 278. cum similis criminis a Tribunis accusaretur plebi objecit, quod nem-

a *Dion. Hal. IX. c.* 23. *Ovid. Fast.* 195. *sqq.* b *Fest. hac V.* c *Vid. Dion. Halic. L. IX. c.* 16. *& Pighii Ann. ad hunc annum.* d *Liv. L. II. c.* 51.

nempe illi viro caussa mortis fuisset, cujus patris munere tribunos haberet; & per eam libertatem absolutus est. Eodem anno Latini per se ipsi, sine Romanorum aut duce aut auxilio Volscos castris exuerunt. Missus est tamen statim a Roma Consul *Nautius*; cum nequaquam placeret socios suis viribus consiliisque bella gerere a.

§. 6. Origo comitiorum tributorum. A. U. 280.

§. VI. Inde iterum contentionibus tribuniciis certatum est: & A. U. 280. *Cn. Genucius* Tribunus plebis, qui Consulibus praecedentis anni diem dixerat, quod agraria legi resistentes tribuniciam potestatem laesissent, & Decemviros, qui ex SCto agros plebi dividerent, non creassent, ipso judicii die domi suae mortuus est inventus b. Ergo consternata plebs duce *Volerone Publilio*, qui se militem fieri debere negabat, quod ordines duxisset, quemque propterea virgis caedi jusserant Consules, tanquam ad praelium sese expediit, Consulesque fractis fascibus foro expellit: & proximis comitiis A. U. 281. creatus Tribunus pl. Volero rogationem ad Populum

a *Liv. L. II. c.* 53. b *Liv. L. II. c.* 54. *Dion. Hal. L. IX. c.* 38.

pulum tulit, ut plebeji magiſtratus tributis comitiis fierent. Dira autem peſtilentia prohibuit, quo minus eo anno haec lex praeferretur: verum cum anno ſequente Tribunus iterum creatus eſſet, adjutoremque fortiſſimum haberet collegam *Laetorium*, ſilentibus tandem ex conſilio Valerii Poplicolae patribus a, poſt maximas turbas perfertur: & exinde tam Tribuni, quam Aediles plebis tributis comitii creari coeperunt. Quidam ſcripſerunt, nunc primum quinque tribunos pro duobus creatos eſſe, ut jam ſupra notavimus. Cum autem pro gentili in plebem odio pertinaciſſime ſe *Appius* Conſul huic legi oppoſuiſſet indignatus miles non tantum vincere noluit, quod ante decennium Fabio Conſule factum vidimus; ſed etiam voluit vinci b: & in aciem eductus turpi fuga caſtra repetiit. Conſul vero caſtris in pacato poſitis ſevere in proditorem militaris diſciplinae exercitum animadvertit: Alter Conſul *Quinctius* lenitate ſua militibus gratus contra Aequos bene rem geſſit. Rever-

a *Dion. Hal. L. IX. c.* 49. b *Liv. L. II. c.* 59.

versum in Urbem Appium Tribuni plebis arripuerunt, quod sacrosanctam eorum potestatem sprevisset; quodque legibus agrariae & Publiliae obstitisset: sed cum constantia sua tribunos & plebem obstupefecisset, dies ei prodicta est; ipseque interea morbo est mortuus [a]. Dionysius *L. IX. c.* 54. eum manus violentas sibi intulisse dicit. Hinc cum Aequis, Sabinis, Volscis vario eventu pugnatum est:
A.U. 285. hisque A. U. 285. Antium maritimum oppidum est ademptum: eoque anno sequente colonia deducta est b, Triumviris in eum finem creatis; cum interea tamen domi a continuis con-
A.U. 289. tentionibus non cessaretur. A. U. 289. Consule *Furio* ab Aequis obsesso in tantum discrimen ventum est; ut ad ultimum illud in summo periculo Senatusconsultum recursum sit, *Videret* A. Postumius *Consul, ne quid Respublica detrimenti caperet.* Sed T. Quinctius Proconsul Latinorum Hernicorumque auxilio periculum discus-
A.U. 290. sit. A. U. 290. dum pestis saevissima Urbem vastaret, Volsci ex agro Romano magnas praedas egerunt: verum

a *Ibid. c.* 61. b *Liv. L. III. c.* 1.

rum anno ſequente, validiore jam civitate, Volſcorum nomen pene deletum eſt [a].

§. VII. At eodem anno novae turbae Rempublicam vexare coeperunt: cum *C. Terentius*, vel *Terentillus Arſa* Tribunus plebis legem promulgaſſet [b], ut Quinqueviri crearentur *legibus de imperio Conſulari ſcribendis; utque quod Populus in ſe jus dediſſet, eo Conſules uterentur; neve libidinem ac licentiam ſuam pro lege haberent.* Sed tum quidem interceſſione collegarum res ſublata eſt: Cum autem optimates omni omnino conatu ſe promulgationi hujus legis oppoſuerint, ſatis conſtare poteſt, (cum nihil iniqui in ſe lex haberet) *eos monſtri aliquid inter ſe aluiſſe* [c]: quin etiam prodigia ementiti ſunt, ut eorum procurandorum cura ab aliis rebus homines averteret. Ergo, cum A. U. 292. bellum a Volſcis & Aequis nunciaretur [d], Tribuni dilectum impediunt; compoſitam hanc a patribus fabulam jactantes: unde ingentes iterum rixae ſunt ortae, duce a parte patriciorum prae-

§. 7. Origo legum Decemviralium. A.U. 291.

A.U. 292.

a *Ibid. c.* 8. b *Liv. L. III. c.* 9. c *Dion. Hal. L. X. c.* 2. d *Liv. L. III. c.* 10.

tuit. Romanis postridie a Tusculo auxilia venerunt: eorumque & civium ope (nequicquam reclamantibus tribunis) arx recepta est; at *P. Valerius* Consul inter primores pugnam ciens interfectus; suffectusque ei est *Quinctius* Caesonis interfecti pater. Servorum plerisque caesis de reliquis, qui pauci erant [a], supplicium sumptum est [b]. Annus sequens solemni-
A. U. 294. bus jam inter patres & plebem contentionibus exactus est; minus tamen quam alias per egregiam Consulum prudentiam infestis [c]: & Consul *Fabius* Tusculum, quod Aequi ex improviso ceperant, recepit [d]: Aequis pax a Senatu est data. Alter Consul *Cornelius* Antio, quod defecerat, vi capto in defectores severe animadvertit. Utrumque Consulem triumphasse Tabulae Capitolinae docent:
A. U. 295. Verum Aequi statim anno sequente defecerunt; Consulemque *L. Minucium* obsederunt in castris suis [e]: ergo in summa trepidatione L. Quinctius Cincinnatus Dictator dicitur; quem

a *Dion. Hal. L. X. c.* 16. b *Ibid. c.* 18. c *Liv. L. III. c.* 24. d *Dion. Hal. L. X. c.* 21. e *Liv. L. III. c.* 26.

quem legati Senatus agellum manibus suis colentem invenerunt: unde *Dictator ab aratro* vulgo dicitur. Hic exercitu maxima celeritate conscripto ad obsessum Consulem contendit; Aequosque victos *sub jugum misit*, hoc est, *duabus hastis humi fixis, superque eas transversa una deligata hostes eo transire coëgit, & quidem discinctos* a, ut ita plenam victoriae confessionem iis exprimeret; nam etiam juga, quae armentis imponebatur, primis temporibus figuram habuerunt literae Π; posterioribus literae Λ; unde etiam *fastigia montium* in eam formam adscendentia *juga* dixerunt. Ita domitis hostibus, postquam triumphasset Dictator, die decimo sexto se magistratu abdicavit; cum prius etiam M' Volscium falsi testimonii de quo jam dictum est, reum a Populo in exilium ejici curasset: Minucium etiam Consulem, quod timidius rem gessisset, magistratu se abdicare & pro legato, legionibus praeesse jussisset A. U. 296. *A. U. 296.* actio *legis Terentiae* (cujus initio hujus §. meminimus) revocari coepit: sed, licet jam quintum iidem Tribu-

 ni

a *Ibid. c. 28. Fest. V. Jugum.*

ni a plebe refecti essent, nondum eam perferre potuerunt: interim tamen prohibuerunt, ne dilectus ageretur, antequam de juris aequabilitate statuenda plebi a patribus concessum esset. Verum tandem concedente Senatu *Virginius* legem promulgavit a de decem Tribunis plebis in posterum creandis; quod anno sequente factum est. Tum quoque Tribuni potestatem Senatum convocandi sibi primum arrogare coeperunt: & post longam disceptationem obtinuerunt, ut Aventinus plebi ad aedificandum con-
*A.U.*298. cederetur b. Anno 298. Tribuni plebis legem agrariam jam per triginta annos extractam rursus proposuerunt c: eaque a *L. Siccio*, vel, ut alii, *Sicinio Dentato* viro fortissimo militari facundia laudata est: dissuasoresque legis in crastinum a Tribunis adesse jussi sunt d. Ergo ante lucem patricii cum clientibus suis varias fori partes occuparunt: & post multas altercationes prohibuerunt, ne eo die lex perferretur. Sed mox patricii juvenes, per quos id steterat, absentes damnati sunt;

a *Liv. L. III. c.* 30. b *Dion. Hal. L. X. c.* 32. c *Ib. c.* 35. d *Ib. c.* 40.

ſunt; & Patrum in reliquis moderatione mala Reipublicae imminentia diſcuſſa: & ſtatim, cum ab Aequis & Volſcis commode bellum nunciaretur, exercitus in aciem eductus eſt. Profectus eſt ſimul cum Conſulibus *T. Romilio* & *C. Veturio* ille Sicinius cohortem extraordinariam ducens octingentorum civium voluntariorum [a], ſive veteranorum militum, qui jam emeritis ſtipendiis ad militiam cogi non poterant. Cum vero ad hoſtes perventum eſſet Conſules juſſerunt, ut Sicinius cum cohorte ſua caſtra hoſtium, quae in monte erant, adoriretur: ſimili conſilio ac quondam illud fuit; quo *David Uriam* perire fecit: & licet oſtenderet Sicinius periculum non ambiguum, ſed certiſſimum in eo verſari, tamen alterius Conſulis conviciis adactus [b] tanquam ad certam mortem cum octingentis ſuis militibus profectus eſt. At ruſtico quodam duce longe alia, quam Conſules putaverant, via in montem caſtris hoſtium imminentem evaſit; eaque caſtra capta cum omni praeda in-

a *Ibid* c. 43. 45.

b *Dion. Hal. L. X.*

incendit [a], ut Consulibus victoriae gloriam & triumphi splendorem imminueret. Haec autem res, cum vulgo innotuisset, magnam Consulibus invidiam apud omnes conflavit; ita ut Sicinius (Livius *L. III. c.* 31. hic *C. Claudium Ciceronem* nominat) in
A.U. 299. annum sequentem Tribunus plebis creatus Romilium violatae tribuniciae potestatis, & male acti imperii militaris damnaverit [b], mulcta decem millium aeris [c] irrogata: quemadmodum post paucos dies collegae ejus C. Veturio quindecim millium aeris [d] mulcta est dicta. Verum Consules metuentes, ne & ipsis, statim ac magistratum ejurassent, similis lis intentaretur, aperte plebi favere coeperunt [e]: & constituerunt lege lata, „ ut omnibus magistratibus liceret „ eos mulctare, qui aliquid vel insolens, vel a moribus, aut legibus „ dissonum in sese admisissent; quod „ antea solis Consulibus licuerat": deinde curarunt, ut ex Senatusconsulto decem legati in Graeciam mitterent.

a *Dion. Halic. L. X. c.* 47. b *Ibid. c.* 48. *sq.* c 100. *Philippaei.* d 150. *Philippaei.* e *Ib. c.* 50.

rentur, qui leges Atheniensium a *Solone*, Lacedaemoniorum a *Lycurgo* latas describerent; easque etiam, quae in *Magnae Graeciae* Urbibus ex Pythagorae potissimum institutis obtinebant; quarum imitatione Romani sibi ipsis *corpus legum* constituere possent. Hujus rei auctor potissimum fuit Romilius ille, de quomodo dictum est, ut se plebi iniquum non esse probaret: Interea, dum horum legatorum reditus exspectaretur, a solitis contentionibus in Urbe cessatum est; praesertim cum etiam atrocissima pestilentia Urbem vastaret.

CAPUT TERTIUM.

De Decemviris legibus scribendis Consulari potestate. *A.U.302. Per. Jul. 4263. A. C. 450.*

§. *1.* Legatis, qui, ut diximus, legum conquirendarum caussa missi erant, A. 301. Romam reversis ex sententia Appii Claudii, qui jam pessimo consilio pro truci saevoque insectatore plebis plebicola repente, & popularis aurae captator eva- *§. 1. De institutione LL. 12. Tabb.*

ferat a, pro Consulibus Decemviri legibus scribendis, & quidem sine provocatione, creati sunt; interque eos in primis ipse Appius. Hi decimo die jus Populo singuli reddebant unica inter ipsos concordia; summa tamen adversus alios aequitate. Decem etiam legum Tabulas proposuerunt monito populo, ut singulas res iis tabulis comprehensas animo versaret, sermonibusque agitaret, ut non alias leges haberet Populus Rom. quam in quas ipse consensisset b. Imo, ut manifestior harum legum aequitas esset ad rumores hominum unum quodque eorum caput correxerunt: easque tandem Comitiis centuriatis pertulerunt; & tamen etiam plebiscito easdem confirmare voluerunt c; ita ut nec Consulum nomen, quod exosum erat, nec tribunicium auxilium plebes requireret; praesertim cum etiam invicem appellatione cederent Decemviri. Verum sub finem annui sui magistratus rumores spargi curarunt, auctore praecipuo, ut videtur, Appio, quasi deessent etiamnum duae legum Ta-

a *Liv. L. III. c.* 33. b *Ibid. c.* 34. c *Dion. Halic. L. X. c.* 57.

Tabulae, quibus adjectis absolvi posse velut corpus omne Romani juris. Comitia igitur Decemviris creandis rursus sunt indicta, eorumque habendorum munus a Patribus Appio injunctum fuit, ne scilicet semet ipse creare posset: sed ille eo ipso impedimento pro occasione usus seipsum imprimis creat, collegasque sibi adsciscit, quos in suos mores formare se posse crederet a splendore vitae haud quaquam prioribus pares.

§. II. Hi statim insolentissime agere coeperunt cum duodenis singuli fascibus in forum prodeuntes, & in humiliores libidinose crudeliterque consulentes. Provocationem quoque re ipsa sustulerant: nam, si quis collegam appellasset ab eo ad quem venerat, ita decedebat, ut poeniteret, non prioris decreto stetisse; ita ut crederentur foedere inter se facto Decemviratum perpetuum reddere voluisse. Duas tamen adhuc legum tabulas prioribus addiderunt. Sed cum exspectaretur quam mox Consulibus creatis Decemviratu se abdicarent, nullis magistratibus creatis privati pro

§. 2. De tyrannide Decemvirorum.

A. U. 303.

a *Liv. L. III. c.* 36.

Decemviris in tertium etiam annum
A.U. 304. in forum prodierunt: ita ut jam in perpetuum libertas deploraretur, non sine maximo Decemvirorum odio; & finitimarum gentium contemptu. Huc accedebat, quod falsorum criminum accusatos adversarios suos exilio, vel morte afficerent: quodque audacissimis juvenum res eorum, qui sibi adversabantur, agere & ferre permitterent [a]. Ergo hac occasione usi Aequi & Sabini agrum Romanum invadunt; ita ut Decemviri Senatum convocare cogerentur; quod ipsis jam fere insolitum quemadmodum omnibus tyrannis talia concilia exosa esse plus semel jam est observatum. Verum cum jam Senatus convenisset acres sententiae adversus Decemviros sunt dictae [b] a *L. Valerio Potito* praesertim *Horatioque Barbato*: his vero ab Appio repressis *Claudius* Appii patruus dicere jussus censuit [c], ut, ante quam de alia aliqua re decerneretur, pristina Reipublicae redderetur forma: & Valerius per Interregem Dictatorem creandum esse monebat [d], cum Decemvirorum legitimum

a *Dion. Hal. L. XI. c.* 2. b *Liv. L. III. c.* 39. c *Dion. Hal. L. XI. c.* 11. d *Ibid. c.* 19. *sq.*

mum tempus magiſtratus jam praeteriiſſet. *L.* vero *Cornelius*, cujus frater in Decemviris erat, prius hoſtes reprimi; deinde de forma Reipublicae conſultari volebat [a]: eamque ſententiam, tanquam quae vinceret, Appius pronunciavit. Interim tamen plurimi ex honeſtiſſimis civibus, quod ſe factionibus Decemvirorum victos viderent, Urbem deſeruerunt, Decemviris nequaquam prohibentibus, praeſertim cum eorum, ut militiae deſertorum, bona publicarent [b]. Tandem poſt multas turbas delectum habuerunt Decemviri: verum non melius foris, quam domi Rempublicam geſſerunt: cum & minus proſpere ſaepe adverſus hoſtes pugnarent; & plurimi cives Decemvirorum adverſarii clam e medio tollerentur [c]. Praeter alia autem duo facinora invidiae pleniſſima emicuerunt; quorum alterum in Urbe, alterum in expeditione patratum eſt. Nam Sicinium illum fortiſſimum proſpeculatum ad locum caſtris capiendum miſſum a comitibus ſuis interfici curarunt, ſparſo rumore tanquam ab hoſtibus per inſidias

H 5

a *Ibid. c.* 18. b *Ib. c.* 22. c *Ib. c.* 24.

ſidias caeſus eſſet [a]. In Urbe Appium, cui Urbis tutela decreta erat, libido cepit *Virginiam* plebejam, ſed ingenuam virginem ſtuprandi: itaque *Claudio* cuidam clienti ſuo negotium dat, ut eam, tanquam ſerva ſua natam, in ſervitutem coram tribunali ſuo aſſereret. Nec mora, addictam Claudio puellam abducere jubet b. At quum fortiſſime ſe ei opponerent *P. Numitorius* puellae avunculus, & ſponſus *Icilius*, in poſterum diem res differtur. Interea *Virginius* virginis pater citatis equis e caſtris accitur; licet collegis in caſtra ſcripſiſſet Appius, *ne Virginio commeatum darent* c. Sed jam prima luce profectus Virginius cum ingenti matronarum aliorumque advocatione filiam in forum deducit. At amens libidine Appius obſtinato animo *vindicias ſecundum ſervitutem* decernit. Ibi indignatus Virginius, ubi nihil uſquam auxilii vidit, venia Appii puellam, tanquam coram nutrice percontaturus, *quid hoc rei eſſet*, ſeducit; arreptoque a lanio cultro confodit, *hoc uno*

mo-

a *Ibid. c.* 25. *Liv. L. III. c.* 43. b *Ib. c.* 45. c *Ib. c.* 47.

modo, quo posset, se filiam in libertatem vindicare adjiciens: atque protinus, frustra comprehendi eum jubente Decemviro, in castra contendit cruore conspersus, & strictum telum gerens. Ibi in concione commilitonum calamitate sua exposita eorum auxilium exposcit. Sed cum multi reverentia sacramenti militaris, quod sanctissimum Romanis habebatur, duces suos deserere non auderent, Virginius docuit, eos nullo sacramento Decemviris obstringi, cum potestas eorum nullis plane legibus niteretur, quando annuum Imperii Decemviralis tempus jamdudum praeteriisset a. His rationibus persuasi milites sublatis signis in Urbem profecti sunt; & in Aventino castra posuerunt: ac postridie decem Tribunos militum, qui summae rei praeessent, crearunt. His postea alter exercitus, qui in Sabinis erat, auctore Icilio Numitorioque accessit b: & etiam sibi decem Tribunis creatis, se alteri exercitui junxit; ita ut penes hos viginti Tribunos jam rerum summa esset. Cumque

a *Dion. Hal. L. XI. c.* 43. b *Liv. L. III. c.* 51.

que tamen in Senatu contentionibus assiduis nihil transigeretur, plebs in sacrum montem trans Anienem fluvium transiit. Tum demum, cum Horatius & Valerius assidue Senatum hortarentur, Decemviros increparent, hi, *quando ita videretur, in potestate Patrum se futuros*, affirmant: simul tamen rogantes, *ut caveretur, ne suo sanguine ad supplicia patrum plebs assuefieret.* Tum Valerius Horatiusque ad plebem missi sunt: hisque a plebe, *facerent ut vellent*, permissum est [a]. Ergo Senatusconsultum est factum, *Ut Decemviri se primo quoque tempore abdicarent; Tribunique plebis crearentur: & , ne cui secessio militum plebisque fraudi esset.*

§. 3. Restitutio Reip. post Decemviros.

§. III. Creati inter alios sunt Tribuni pater, sponsus & avunculus Virginiae; & mox Consules facti sunt, illi libertatis vindices Valerius Horatiusque. Hi statim leges centuriatis comitiis tulerunt; *ut quod tributim plebes jussisset, Populum teneret*; cum antea Patres plebiscitis non tenerentur. Legem etiam alteram *de magistratu sine provocatione non creando* sanxerunt. Tum

a *Ibid. c.* 54.

Tum quoque Tribunorum sacrosanctam potestatem nova sanctione firmarunt: additumque plebiscitum, *ut qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* Inde Virginius Appio diem dixit; qui nequicquam Tribunos appellans a viatore arripitur. Atque ita ille ipse libertatis Populi oppressor (miras consideret quis humanarum rerum vices) ad Populum provocare coactus est [a]. Sed nihilominus in carcerem est conjectus; ibique, frustra pro eo deprecante patruo Claudio, sibi mortem conscivit: eundemque vitae finem habuit *Sp. Oppius* Decemvir, qui collegam injuria grassantem non prohibuerat. Reliqui Decemviri exilii caussa solum verterunt; bonaque eorum publicata sunt [b]. Ita compositis rebus urbanis exercitus Consules eduxerunt: & Valerius quidem Aequos & Volscos egregio, sed difficili praelio vicit: Horatius vero Sabinos etiam fudit, castrisque exuit. Cumque ipsis Senatus maligne triumphum

a *Ibid. c.* 56. b *Ib. c.* 58. *Dion. Hal. L. XI. c.* 46.

phum negaret a, quod plebi faventes Senatus potentiam imminuissent, (ea praesertim lege, qua plebiscitis universum Populum teneri sanxerant) & Decemviros absque caussae dictione Tribunis prodidissent, hi primi, invito Senatu, jussu populi triumpharunt.

§. 4. *Novae turbae: nova bella.* §. IV. A. U. 305. Ipsi novem Tribuni plebis contra libertatem conspirarunt, eosdem Tribunos reficere in animo habentes, cum etiam Consulibus magistrarum continuare permitterent, quo sua cupiditas minus emineret b. Sed cum sors comitiorum *M. Duillio* viro prudenti evenisset, Consulesque ejus rogatu respondissent, *se novos Consules creaturos*, quinque hic novos Tribunos creavit; cum alii candidati justum suffragiorum numerum explere non possent, quod novem collegae Duillii aperte peterent. Novi Tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem foverunt; duobus etiam consularibus viris assumptis. Verum hac occasione *L. Trebonius* Tribunus plebis legem tulit, *ut qui plebem Romanam Tribu-*

nos

a *Dion. Ib. c.* 49. d *Liv. L. III. c.* 64.

nos plebei rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos plebei faceret. Ipse Trebonius ab insectandis patribus *Asperi* cognomen tulit a. A. U. 307. *A.U.* 307.
discordiis patrum & plebis illecti Aequi & Volsci ad ipsa Urbis moenia populabundi accesserunt: sed cum ne sic quidem plebeji ad nomina militiae danda permoverentur gravissima oratione a Quinctio Consule castigati ita flexi sunt, ut promptissime delectus haberetur: quo facto Consules educto exercitu hostes gravissimo praelio vicerunt.

§. V. Victoriam honeste de hostibus relatam b turpe domi de finibus sociorum judicium Populi deformavit. *§. 5. Turpis Rom. rapacitas.* Judices capti Romani de agro, de quo Aricini & Ardeates saepe bello certaverant, eum *P. Scaptio* quodam sene decrepito auctore, qui eum agrum Coriolorum fuisse, captisque Coriolis jure belli Romanorum factum fuisse dicebat, sibi adjudicarunt.

Hoc etiam anno, si *Tacito* c credimus, Quaestores primum comitiis a Po-

a *Liv. L. III. c. 65.* b *Ibid. c. 71.* c *Ann. XI. c. 22.*

Populo creari coeperunt; cum antea ab ipsis Consulibus crearentur.

CAPUT QUARTUM.

*A.U.*308. *Per. Jur.* 4269. *A. C.* 444.

De institutione Tribunorum militarium Consulari potestate.

§.1. *Initia contentionum de communicando cum plebe consulatu.*

Anno Urbis 308. semina novorum motuum, &, qui diutissime Rempublicam afflixerunt, provenire coeperunt; & quidem duplicia. Primo *C. Canulejus* Tribunus plebis legem promulgavit [a], *ut Populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet*, Consules faciendi. Tum item alteram, *ut connubiorum communio plebi ac patribus esset*; quam communionem sustulerant Decemviri. Et de connubiis quidem vicit Canulejus [b]. Sed cum Consulatus communicationi vehementer Senatus adversaretur, atque ita frustra protraheretur [c] tempus nunciatum est bellum ab Aequis, Volscis, Vejentibus & Ardeatibus parari: Tribuni vero, nisi Senatusconsultum de communicando cum plebe Con-

a *Liv. L. IV. c.* 1. b *Ibid. c.* 6. c *Dion. Hal. L. XI. c.* 54.

Consulatu fieret, dilectum se impedituros esse minabantur. Itaque, cum optimates concilium suorum convocassent, ex C. Claudii sententia placuit, ut sex vel octo Tribuni militum Consulari potestate (de eo numero videbimus postea) crearentur; isque honor aeque plebejis ac patriciis pateret. Ergo A. U. 309. status civitatis iterum est mutatus: & pro Consulibus tres duntaxat Tribuni militum creati sunt; iique omnes patricii; cum Populus esset contentus, quod plebejorum ratio in comitiis habita fuisset. Atque ita hic Magistratus unicum per multos annos remedium fuit tuendae contra plebem Consularis dignitatis: iisque annis, prout vel plebs, vel Patres contentionibus praevaluissent, vel Consules, vel Tribuni militum creati sunt. Iis hoc nomen inditum est, quia inter plebejos maxime eminebant, qui Tribuni militum in castris fuissent. Nomen hujus magistratus per aliquot annos in Republica auditum fuit, donec A. U. 387. primus Consul e plebe crearetur; ut suo loco dicemus. Verum hoc A. 309. qui creati erant Tribuni militum tertio A. U. 309.

 men-

mense postquam honorem inierant augurum decreto magistratu abierunt a, tanquam vitio creati essent, quod *C. Curtius*, qui comitiis eorum praefuerat, parum recte *tabernaculum cepisse* diceretur. Sed hae patriciorum erant artes, qui soli auspicia habebant; aut potius pro lubitu ea ementiebantur. Ergo in horum locum Consules suf-
A. U. 310. fecti sunt. Anno 310. & etiam saepius postea Consules iterum sunt facti, cum & plebs patriciis, seu hunc, seu illum delatura honorem frustra certare supersederet; & principes tamen plebis ea comitia haberi mallent, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni praeterirentur. Eodem anno nova *Censorum* & ingens dignitas in Republica emersit. Cum enim per septemdecim annos Census in Republica actus non fuisset; neque Consulibus per frequentia bella otium esset id negotium agere, proprii huic rei magistratus creati sunt: & a *censendo Censores* dicti. Interea legati ab optimatibus Ardeatium Romam venerunt auxilia adversus plebem suam, quae urbem obsederat, oran-

a *Liv. IV. c.* 7.

orantes a. Seditio exorta ibi fuerat caussa virginis plebejae: quam cum duo juvenes peterent, alter nobilis, alter plebejus, ille matris, hic tutorum judicio superior erat. Magistratus quidem secundum parentem pronunciavit: sed plebs virginem e domo parentis rapuit; ita ut praelium atrox fieret: quo pulsa ex Urbe plebes agros optimatium vastabat; evocabatque Volscos ad obsidendam Ardeam. At ipsi Volsci a *Geganio* Consule unius noctis opere firmiore munimento circumvallantur, quam quo ipsi Ardeam cinxerant: Ita ut b postridie dedito Imperatore suo, & traditis armis sub jugum missi abire cogerentur. Ita a Consule seditio Ardeatium est composita, principibus ejus motus securi percussis.

§. II. Anno Urbis 313. cum dira fame Romani premerentur petente plebe *L. Minucius Augurinus* c creatur Praefectus annonae. At nulla ratione annonam ita laxare potuit, quin multi ex plebe omni spe amissa capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverint. Itaque *Sp. Maelius* Eques *§. 2. Seditio Sp. Maelii.*

 Ro-

a *Ibid. c. 9.* b *Ib. c. 10.* c *Ib. c. 12.*

Romanus praedives ea occasione usus de regno consilia agitare coepit: Verum Minucius, cum eandem curationem publice ageret, rem facile comperit, compertamque ad Senatum

A.U.314. defert. Ergo Dictator *regni opprimendi & seditionis sedandae caussa* dicitur senex L. Quintius Cincinnatus, idem qui in priore Dictatura Aequos sub jugum miserat. Hic *C. Servilium Ahalam* Magistrum Equitum dixit. Cum autem Maelius fidem plebis Romanae imploraret, *opprimi se consensu Patrum, quod plebi benigne fecisset*, dictitans, Servilius eum assecutus obtruncat, laudante facinus Dictatore. Maelii bona publicata sunt: domus jussu Dictatoris diruta [a], ut monumentum esset oppressae nefariae spei: id *Aequimelium* appellatum est. Anno quidem Urbis 317. alter *Spurius Maelius* Tribunus plebei Minucio ob hanc rem diem dixit; & rogationem de publicandis bonis Servilii Ahalae tulit: sed quae vana ad Populum fuere.

§. 3. *Rursus bella cum Vejentibus, Fidenatibus, &c.*

§ 3. Anno Urbis 315. Fidenates a Romanis ad *Lartem Tolumnium* Vejentium Regem defecerunt, legatis etiam Romanorum instinctu Tolum-

a *Liv. L. IV. c. 16.*

nii

nii interfectis, (quorum statuae in rostris positae sunt. Cic. *Phil. IX. c.2.*) ut ita spe veniae praecisa firmiori foedere Tolumnio jungerentur. Et satis quidem bene res gessit *L. Sergius* Consul, ita ut *Fidenatis* etiam cognomen ex eo bello reportaret a. Verumtamen tantum bellum fuit ut Senatus *Mam. Aemilium* Dictatorem dici juberet; praesertim cum etiam Falisci auxilio Vejentibus venissent. Praelio commisso *A. Cornelius Cossus* b Tribunus militum Regem Tolumnium singulari praelio vicit; *spolia*que *opima* altera a Romulo Jovi Feretrio tulit: unde patet, *spolia opima* etiam fuisse dicta, quae aliquis ex minoribus ducibus duci hostium in acie detraxisset; ut docet etiam non sine laudis praefatione in his literis nominandus Jacobus Perizonius ὁ νῦν ἐν ἁγίοις c. *A. U. 316.*

A. U. 318. Fidenates cum Vejentibus in agrum Romanum populabundi descendunt, dum pestilentia affligerentur Romani. Contra eos Dictator dicitur *Q. Servilius Priscus*; qui primum Etruscas legiones collatis signis *A. U. 318.*

a *Liv. Ib. c.* 17. b *Ibid. c.* 19. c *Vid. Periz. anim. Hist. c.* 7. *p.* 252.

nis fudit a; mox urbem Fidenas cuniculis actis cepit, unde, ut vidimus, *Fidenas* etiam ipse est dictus. Hac urbe capta in Etruria trepidatum est: cumque inde magnus tumultus imminere videretur Dictator iterum dictus est
A.U. 319. Mam. Aemilius. Verum cum reliquae civitates Vejentibus auxilia negassent Dictator b, ut tamen insigne aliquod Dicturae suae exstaret monumentum, legem tulit, „ut Censura pro „ quinquennali annua tantum & se„ mestris esset. “ Quod aegre passi Censores Mamercum tribu motum octuplicato censu aerarium fecerunt. Magni momenti non est, sed tamen
A.U. 321. notatu dignum, quod A. U. 321. Tribuni plebis legem promulgaverint, *ne cui album in vestimentum addere liceret* c; indignati, quod, cum per tot annos Tribuni militum consulari potestate crearentur, nulli unquam plebejo ad eum honorem aditus fuisset.
A.U. 322. Anno tamen sequente cum tumultus rursus ab Aequis & Volscis nunciaretur, Senatui Dictatorem dici placuit. Sed cum Consules, quorum potestas per Dicturam cessabat, hoc facere recu-

a *Liv. IV. c.* 22. b *Ibid. c.* 24. c *Ib. c.* 25.

cessarent, Q. Servilius Priscus nomine Senatus Tribunos appellavit, ut pro potestate sua Consules Dictatorem dicere cogerent: nec Tribuni hanc occasionem augendae potestatis neglexerunt. Ergo *T. Quinctius* Consul Dictatorem dixit socerum suum *A. Postumium Tubertum*, severissimi imperii virum; qui difficillimo praelio, quo ipse & duo legati graviter vulnerati sunt, Consulique Quinctio brachium abscissum est, hostes vicit. *Diodorus Siculus L. XII.* & Valerius Maximus *L. V. c. 4. ex. 2.* item *Gellius noctium Att. L. XVII. c. ult.* huic historiae addunt, Postumium Dictatorem filium suum, quod injussu suo praesidio decedens cum hoste pugnasset, licet victorem, securi percussisse. Id Livius negat [a], quia non sit verisimile *T. Manlio*, qui postea filium tali de caussa securi percussit, *Imperiosi* cognomen inditum fuisse, & *Manliana Imperia* pro *severissimis* fuisse dicta, Postumium nulla tristi nota fuisse insignitum. Verum Cl. Perizonius *animadv. Hist. c. VIII. p. 350.* probat T. Manlii patri *Lucio* id cognomen jam fuisse inditum ob saevitiam in agendo dilectu

a *Liv. L. IV. c. 29.*

adhibitam ex Livii *L. VII. c. 3. &* 4. Hinc per aliquod tempus Romanis otium ubique *fere* fuit. At A.U. 325. cum Vejentes & Fidenates in agrum Romanum excursiones fecissent, Fidenatibus quidem, ut in fide retinerentur, colonorum numerus est additus; in Vejentes vero, quo minus exercitus duceretur, aquarum prae siccitate summa penuria, & ortis inde morbis est prohibitum: qua etiam occasione proni ad superstitionem Romanorum animi variam eam & peregrinam in Urbem induxerunt; ita ut aedilibus negotium daretur, *animadverterent, ne qui, nisi Romani, Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur* a: tamen *Pighius in Annalibus* ad hunc annum spolia opima a Cosso relata refert; quod in consulatu Cossi ea relata esse putet. A. U. 327. ex quatuor Tribunis Consulari potestate tres Vejos profecti sunt: verum cum quisque ad sua Consilia tenderet aliquid cladis acceperunt: ita ut Tribunorum pertaesa civitas Dictatorem posceret: nec obfuit Mam. Aemilio censoria nota, quin tertium Dictator diceretur. Transtulerant Vejentes bellum

A.U. 327.

a *Ibid. c.* 30.

lum Fidenas, cum Fidenates novorum colonorum caede arma ſua imbuiſſent; ita ut ingens terror Romae eſſet exortus. At Dictator intrepide aggreſſus eſt hoſtes; nihilque moratus, quod facibus accenſis multitudo Fidenatium in hoſtem rueret [a], eorum urbem caſtraque vi capit ac diripit; cumque triumphaſſet die decimoſexto ſe magiſtratu abdicat. Anno ſequente Vejentibus annorum viginti induciae ſunt datae.

§. IV. A. U. 330. imprudentia & nimia fiducia *Sempronii* Conſulis male adverſus Volſcos pugnatum eſt [b]: ſed fortitudine *Sex. Tempanii* equitum decurionis exercitus ſervatus fuit; idemque, cum Tribuni hac occaſione uſi in Sempronium inveherentur, & Tempanium ad teſtimonium dicendum evocarent, prudenti oratione cum ingenti laude, non virtutis magis, quam moderationis, hanc culpam a Conſule amolitus eſt, moderationisque pretium in annum ſequentem Tribunatum plebis tulit [c], eumque modeſtiſſime geſſit. Eodem anno cum

§. 4. *Bella cum Volſcis & Aequis A. U.* 330.

I 5 etiam

a *Liv. L. IV. c.* 33. b *Ibid. c.* 37. c *Ib. c.* 42.

etiam *Hortensius* Tribunus plebis Sempronio diem dixisset, quatuorque collegae Hortensii pro Sempronio intercederent, vestemque se cum reo mutaturos esse dixissent, ab accusatione destitit.

A. U. 332. A. U. 332. Cum duobus adhuc Quaestoribus, qui Consulibus ad munia belli praesto essent, opus esse videretur, petierunt quidem eam dignitatem aliquot plebeji; sed obtinere non potuerunt, quin, quorum patres avosque Consules viderat Populus, illi reliquis praeferrentur [a], indignantibus maxime Tribunis plebis, & iram suam in Sempronium effundentibus, qui acerrime actionibus Tribunorum de agris dividundis restiterat; & jam quindecim millibus aeris damnatus fuit. A. U. 334. Servorum [b] de Urbe incendenda, atque occupanda arce conspiratio detecta est: *Lavicani*que (*Labicum*, vel *Lavicum* Latii veteris urbs fuit) novi hostes facti per discordiam Tribunorum militum aliquid cladis Romanis Romanis intulerunt: sed creatus iterum Dictator Q. Servilius Priscus Aequos Lavicanosque vicit: ho-

a *Ibid. c.* 44. b *Ib. c.* 45.

horumque oppidum cepit ac diripuit [a]. Senatus autem, ut Tribunis plebis gratiam populi praeriperet agrum Lavicanum plebi dividendum censuit: mille & quingenti coloni eo sunt missi. His tamen non contenti Tribuni plebis aliis & iniquis legibus agrariis civitatem agitarunt [b]: donec Patres sex ex eorum collegio ad intercessionem comparassent, consilio utili & jam antea notato. Eadem ratione discussa est rogatio *L. Sextii* tribuni plebis, ut *Volas* quoque, quam urbem ab Aequis modo ceperant Romani, coloni mitterentur. Sed anno sequente Volae ab Aequis receptae sunt: bellumque adversus Aequos *M. Postumio Regillensi* Tribuno militum consulari potestate permissum est. Hic cum inter Volarum oppugnationem, praedam militis fore edixisset, oppido capto fidem mutavit. Nec contentus ea levitate, cum idem Tribunus Sextius, se agrum etiam Volanum iis, qui eum ceperant, divisurum esse dixisset, *malum militibus suis nisi quiescerent*, minitari ausus est. Hinc seditione orta Quaestor Postumii vulneratus est. Postu-

A.U. 335.

A.U. 338.

a c. 47. b *Ib. c.* 48.

Postumius vero seditionem cohibiturus acerbis quaestionibus, crudelibusque suppliciis asperiora omnia fecit: ita ut tandem eo indignatio eruperit, ut Tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur: quod facinus anno sequente, sed, moderatione Consulum, paucorum supplicio vindicatum est a. Verum omnino plebis animos delinire potuisse videntur Consules si Volani agri divisionem plebi objecissent; qui mox paucis, ut cetera, praedae erat futurus. Fuissetque seditio annis sequentibus concitata, nisi pestilentia & inde orta fames eam prohibuissent; quo tamen malo plurimorum morbis, perpaucis funeribus defuncta est civitas: & tanta etiam-
A.U. 343. num A. U. 343. penuria fuit, ut *Trebio* Aedili plebis, qui assibus Populo frumentum praestiterat statuae in Capitolio & Palatio ponerentur; ipseque demum mortuus Populi humeris portatus in rogum est b. A. U. 344. cum arce *Carventana* ab hostibus capta nihilominus *Maenius* Tribunus plebis legis agrariae lator delectum impediret *C. Valerius* Consul novem

a *Ibid. c.* 51. b *Plin. H. N. XVIII. c.* 3.

vem Tribunorum plebis decreto armatus, poſtquam paucis Tribunum appellantibus *collum torſiſſet* [a], hoc eſt, *vi eos collo apprehenſos ad parendum coëgiſſet*, metu ceteros, ut ſacramento dicerent, ſubegit. Idem arce Carventana recepta praedae quod erat in aerarium redegit; quod exercitus militiam abnuiſſet. Cumque vererentur Patres, ne hinc offenſus Populus Maenio locum inter Tribunos militares daret, conſularia comitia ſunt habita: *A. U.* 344. cujus rei dolorem quaeſtoriis comitiis ulta eſt plebes tres plebejos clariſſimarum familiarium juvenibus praeferendo, auctoribus potiſſimum *Iciliis*; ex qua infenſiſſima patriciis gente tres eo anno Tribuni plebis erant: Ingentem hanc victoriam plebs habuit, ita ad Conſulatum ac triumphos locum ſibi patefactum reputans. Nec eo contenti Tribuni plebis, cum mira opportunitate Volſci Aequique bellum moviſſent [b], delectum impediendo rem eo deduxerunt, ut Senatusconſultum fieret de Tribunis militaribus anno ſequente creandis, in quorum comitiis ratio plebis haberetur. Sed

a *Liv. L. IV. c.* 55. b *Liv. L. IV. c.* 53.

A.U. 345. Sed & tunc tres patricii creati sunt; solerti patriciorum consilio, quod turbam indignorum candidatorum dignis intermisceri curassent; quorum taedio Populus a plebejis fuerat aversus [a]. Cum autem tumultu majore, quam res erat, bellum nunciaretur Senatusque Dictatorem dici jussisset, duobus Tribunis militum nequicquam contra tendentibus, tertius *Ahala Servilius P. Cornelium Cossum* Dictatorem dixit, ipse ab eo Magister equitum creatus. Hostes facili praelio sunt victi. Is annus insigne specimen moderationis Romanae praebuit [b]. Cum enim Vejentes legatione missa a Senatu postulassent, ne res ab iis repeterentur, quia discordia intestina laborarent, concessum hoc ipsis fuit. At in Volscis, quod tardius Senatus praesidio *Verrugine* obsesso succurrisset, accepta clades fuit. A. U. 347.
A.U. 347. *Anxur* Volscorum oppidum expugnatum, & militibus diripiendum datum est; quae res primum plebem patribus conciliavit. Ei mox accessit beneficium a Senatu [c] decernente,

a *Ibid. c.* 56. b *Ib. c.* 58. *omnino.* c *Ibid. c.* 60.

te, *ut stipendium miles de publico acciperet*, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Gratissimum hoc plebi fuit, nequicquam liberalitatem patrum in pejorem partem detorquentibus Tribunis Eodem anno Veiens bellum motum est ob superbum responsum legatis res repetentibus datum: Sed anno demum sequente obsideri coepti sunt Veji; eaque obsidio in decimum annum traxit. *Artena* etiam Volscorum oppidum hoc anno servi proditione captum est a. Servo praeter libertatem, duarum familiarum bona in praemium data: quod ceterae Romanorum magnanimitati non nimis congruum fuisse videtur.

§. 5. Anno Urbis 350. octo Tribunos militum consulari potestate creatos fuisse dicit Livius, Censorum, qui eo anno fuerunt, (ut ex Fastis Capitolinis patet,) nomina per incuriam iis adnumerans. Vid. Cl. Perizon. anim. Hist. c. 2. Quicquid ejus rei sit, ut obsidio Vejorum acrius continuaretur, Tribuni exercitum sub pellibus hyemare coëgerunt, novo Romano militi more b. Nec occasioni defuerunt Tribuni

§. 5. Bellum cum Vejentibus. A. U. 350.

a *Ibid. c. 61.* b *Liv. L. V. c. 2,*

buni plebis criminando, quasi ad vexandam plebem unice hoc facerent. Sed *Appius Claudius* Tribunus militum a collegis ad opprimendas seditiones tribunicias in Urbe relictus gravi & prolixa oratione Tribunis plebis respondit, plebemque in suas partes pertraxit [a]. Cumque eodem tempore clades ad Vejos nocturna hostium eruptione accepta nunciaretur, & ingens inde omnibus moestitia esset injecta, repente quibus census equester erat, equi publici non erant adsignati, Senatui, *equis se suis stipendia facturos* promiserunt [b]. Eo exemplo permota quoque plebs *operam Reipublicae extra ordinem* pollicetur: &, *si Vejos ducatur, priusquam capta urbe inde redituram esse*, negat. Ita summo patrum gaudio grates plebi actae: stipendia voluntariis etiam peditum decreta. *Equites* quidem tum *primum equis merere* coeperunt: atque ita alacriter quae ad Vejos amissa fuerant restituta sunt. Anno sequente
A.U. 351. praesidium Anxure negligentius agens a Volscis oppressum est, nec me-

a *Ibid. c.* 3-7. b *Vid. Graev. praef. ad T.* 1. *Ant. Rom. & Schelium not. in Polyb. c.* 4.

melius ad Vejos discordia ducum res gestae sunt: nam cum *Capenates* & Falisci novi hostes accessissent, *Maniique Sergii* Tribuni militum castra aggrederentur, *Virginius*, qui alteris castris praeerat, auxilium, nisi rogatus, collegae ferre noluit: hujusque tanta fuit pertinacia, ut vinci ab hoste, quam vincere per civem mallet. Ita magna clade accepta coacti sunt Tribuni etiam ante justum comitiorum tempus abdicare: creatique *A. U.* 352. alii Tribuni militum multiplex bellum eodem tempore cum Vejentibus, cum Faliscis, cum Volscis gesserunt: cum interea Tribuni plebis ob collationem stipendii, quae tributorum pensionem necessariam reddebat, turbulentis concionibus civitatem agitarent [a]. Atque ita tandem effecerunt, ut A. U. 353. usurpandi *A. U.* 353. juris caussa unus ex plebe *P. Licinius Calvus* Tribunus militum consulari potestate crearetur: ita demum de tributo impediendo Senatui remissum est. Cumque placuisset Licinius in magistratus gestione, anno sequente de sex Tribunis militum quinque ple-

a *Liv. L. V. c. 11.*

beji facti sunt; ita ut jam Senatui prope major comitiorum, quam belli cura esset, cum non tantum communicatum cum plebe, sed prope amissum summum honorem cerneret. Itaque religionem etiam plebi incutere conati sunt, quod priore anno intoleranda hyems fuisset; proximo etiam pestilentia agris Urbique illata. Ergo
A.U.355. A. U. 355. omnes patricii creati sunt. Tum vero inter multa alia prodigia, quae quotidie nunciabantur, maxime animos tenuit, quod lacus in nemore Albano sine ulla caussa perspicua in altitudinem insolitam crevisset [a]. Quidnam eo portenderetur sciscitatum *Delphos* oratores missi sunt: sed interim senior qnidam Vejens vaticinatus est, *nunquam Vejis potiturum Romanum, priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret.* Quod statim Romanis innotuit: (jam enim per longinquitatem belli sermonum commercium factum erat) ergo juvenis praevalidus ex statione Romanorum colloquii specie senem elicuit; inque omnium conspectu raptum ad Imperatorem perduxit. Ergo anno sequente, cum legati

a *Liv. Ibid. c.* 15.

legati sortem oraculi responso vatis congruentem attulissent, senex ad procurationem prodigii Albani, Deosque rite placandos est adhibitus. Cumque praeterea ex ambagibus oraculi Tribunos militum vitio creatos esse colligerent, illi quidem abdicarunt; sed in annum sequentem Tribuni militum creati sunt omnes ex plebe a. Verum dum duo ex illis majore animo, quam consilio, rem gerunt in insidias praecipitaverunt; unde ingenti terrore Romae orto Dictator dictus est fatalis Dux ad excidium Vejorum servandaeque patriae *M. Furius Camillus*: cum quo repente omnia mutata sunt. Nam restituta disciplina, novoque exercitu conscripto, summa ratione consilioque omnia egit; fortuna etiam, ut fit, secuta. Inde exercitu ad Vejos ducto cuniculum in arcem hostium agere coepit b. Cum autem jam victoriae certus esset, Senatum consuluit quid de praeda fieri vellet. Placuit edici, *ad praedam Vejentem, quibus videretur, in castra ad Dictatorem proficiscerentur.* Ergo per cuniculum in urbem

A.U. 357.

K 2 erum-

a *Ib.* c. 18. b *Liv. L. V.* c. 20.

erumpunt Romani: atque ita oppidum Etrusci nominis opulentissimum, cum decem aestates hyemesque continuas circumsessum fuisset, expugnant. Maximum inde Romae gaudium fuit; ita ut in quatriduum supplicationes, quot dierum nullo ante bello, Senatus decreverit. Triumphavit Camillus curru equis albis juncto a, quod parum humanum fuit visum; cum Jovis & *Solis* currus albis equis trahi dicerentur. Invidiae ergo ingenti haec res ipsi fuit: cui accessit, quod decimam partem praedae Vejentanae in publicum conferre omnes juberentur; ut ex ea donum Apollini, cui decimam de praedae voverat Camillus, fieret. Cumque etiam urbs & ager Vejentium voto contineri sacerdotibus fuisset visum b, placuit, ut in aestimationem ea venirent: atque cum ita pecunia ad eam rem aerario deesset, matronae aurum & omnia ornamenta sua eo contulerunt. Agitatum etiam fuit a Tribunis, latore ejus legis *T. Sicinio Dentato*, „ ut quoniam Veji „ urbs, agerque Vejentanus, urbe

„ agro-

a *Ib. c.* 23. *Plut. Camillo p. m.* 132.
b *Ibid. c.* 25.

„ agroque Románo ampliores, ube-
„ rioresque essent, plebis Senatusque
„ parti habitanda darentur." Quae res constantia & fortitudine principum Senatus, qui se identidem plebi occidendos offerebant, fuit discussa.

§. 6. A. U. 359. Faliscos M. Furius Camillus obsedit: & diuturnus labor fore videbatur [a], cum istis temporibus omnibus bellicis machinis nondum inventis, commeatum intercludendo maxime obsessas urbes expugnare cogerentur. Sed commodum evenit, ut, pro more docentium apud veteres, magister liberos principum erudiens eos ad ambulandum saepius educeret; atque sensim longius progediendo eos tandem perduceret in ipsa Romanorum castra; ut ita eo pignore Romanis tradito puerorum parentes etiam urbem suam tradere cogerentur: sed scelesti hominis perfidiam detestatus Camillus denudatum eum, manibus post tergum religatis, reducendum & virgis verberandum pueris tradidit. Hac Camilli probitate moti Falisci se Romanis dedunt. *§. 6. Camilli probitas, &c. A. U. 359.*

 In

a *Liv. L. IV. c. 26.*

In Aequis eodem anno
latum est. Et de lege,
de transferenda Vejos
promulgaverat, content
tum ; ut etiam anno se
post quintum decimum
sus Consules creati fuera
A. U. 360. cet tertium refectus est
plebis Sicinius, lex eju
bus summopere Camillo
tribus, perlata non est:
niendae plebe agri Vejen
A. U. 362. jugera ipsi divisa sunt.
cum pestilentia in Rom
siccitate nimiisque calori
ta, ut copia magistratuum
cae esset, si cui eorum
fuisset valetudo, sex Trib
consulari potestate creati s
via cum finitimis bella ges
majoris momenti est, qu
Camillus divisae inique pra
tanae accusatus in exiliu
Deos precatus, *si innoxio s*
fieret, primo quoque tempore de
civitati ingratae facerent: al
decim millibus gravis aeris

a *Ibid. c.* 29. b *Ib. c.* 32.

CAPUT SEXTUM.

A.U. 363. *Per. Jul.* 4324. *A.C.* 389.

De bello Gallico, & capta a Gallis Urbe.

§. I. Regnante Romae Tarquinio Prisco *Ambigatus Biturigum*, & totius *Celticae* Rex [a] exonerare praegravante hominum turba regnum cupiens *Bellovesum* ac *Sigovesum* sororis filios, hunc in saltus *Hercinios*; illum in multo laetiorem Italiam misit. Qui *Taurino* saltu Alpes transgressus in *Insubria* consedit, urbemque ibi *Mediolanum* condidit. Hunc alii atque alii subinde secuti omnem agrum inter Padum & Alpes non tantum occuparunt; sed etiam Pado trajecto Etruscos Umbrosque agro pepulerunt. Adversus eos Clusini, quorum urbs ad *Clanim* fluvium Porsenae quondam regia fuit, auxilium a Senatu petierunt. De auxilio negatum est: sed legati sunt missi tres *M. Fabii Ambusti* filii, qui cum Gallis agerent, *ne socios Pop. Rom. oppugnare vellent.* Iis satis benigne a Gallis responsum est,

§. 1. *De adventu Gallorum in Italiam.*

a *Liv. L. V. c.* 34. *sq.*

se, agrorum egentes petere partem agrorum, quam latius, quam colere possent, possidebant Clusini. Sed cum ferociter utrimque ageretur, accensis animis ad arma discurritur. Ibi *contra jus gentium* legati Romanorum in prima acie adversus Gallos, & fortiter quidem, pugnarunt. Hinc merito irati Galli, omissa pugna, legatos Romam mittunt, postulatum, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Verum & apud Senatum & apud populum tantum ambitio, gratia & opes Fabiorum valuerunt, ut quorum de poena agebatur, Tribuni militum Consulari potestate in annum insequentem crearentur. Ea injuria accensi Galli confestim signis convulsis citato agmine Romam contendunt [a], Tribunis interim, quorum temeritate bellum contractum erat, summa negligentia rem militarem curantibus. Aegre tandem, velut tumultuario excercitu raptim ducto, ad undecimum lapidem, qua *Allia* fluvius Tiberino amni miscetur, Gallis occursum est. Sed eadem temeritate, eodem divinarum humanarumque rerum

a *Ibid. c.* 37.

rum contemptu omnia sunt gesta a. Pugnatum est xv. Kal. Septembres: diesque ille a loco pugnae *Alliensis* est dictus; & infaustissimus deinceps est habitus; maxime cum olim trecenti Fabii ad Cremeram eodem die caesi fuissent. Maxima tamen pars Romanorum incolumis Vejos perfugit; reliqui Romam petiere tanto pavore, ut ne clausis quidem portis Urbis in arcem confugerent.

§. II. Galli miraculo victoriae suae obstupefacti, velut ignari quid accidisset, insidiasque metuentes sub occasum demum solis ad Urbem perveniunt: sed etiam ibi, cum Equites praegressi nunciassent, nullas portas esse clausas, nullam stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris noctem veriti, ante Urbem consederunt. Sequenti luce signa portis illata sunt. Sed interim placuerat Romanis, ut juventus militaris cum conjugibus ac liberis, senatusque robore in arcem Capitoliumque conscenderent, armis & frumento eo collatis. Sacra cum flamine sacerdotibusque Vestalibus Caere in Etruriam sunt missa,

§. 2. Urbs a Gallis capta. A. U. 363.

K 5

a *Ibid.* c. 38.

missa. Seniorum consularium, triumphaliumque turba, ne oneri obsessis esset, domos regressa, insignibus virtutis, aut honoris, quae cuique propria, induti, sellisque curulibus medio aedium suarum sedentes, obstinato ad mortem animo adventum hostium exspectabant [a]. Postridie Galli patente porta *Collina* Urbem ingressi primo quidem illos in vestibulo aedium suarum sedenteis viros tanquam Diis simillimos (tantam majestatem vultus gravitasque oris prae se ferebat) venerabundi intuebantur. At mox unus ex his senibus *M. Papirius* dicitur Gallo barbam suam suam honoris ergo demulcenti scipione eburneo in caput incusso iram movisse, atque inde initio caedis orto ceteros in sedibus suis fuisse trucidatos. Hinc nulli mortalium parcitum est: Urbs direpta: tectis ignis injectus. Nequaquam tamen Romanis, qui arcem tenebant, hac rerum suarum clade animus fractus est. Ita ut Galli [b], cum viderent, eos ad deditionem animos flexuros non esse, nisi vis adhiberetur, arcem summo conatu oppugnaverint;

a *Liv. L. V. c.* 41. b *Ibid. c.* 43.

rint; sed tanta strage & ruina repulsi sunt, ut nunquam postea, nec pars nec universi tale pugnae genus tentaverint. Igitur diviso exercitu, partim, ut frumentum suppeteret, per finitimos populos praedari placuit, partim obsidere arcem. Praedantes Gallos fortuna ipsa Ardeam duxit; ubi ab exule Camillo magna strage affecti sunt: nec minore fortuna Tuscos etiam Romanum agrum incurrentes, & Vejorum oppugnationem animo agitantes *Caedicius* centurio iterata pugna superat [a]. Et indies Vejis & animi & vires crescebant; non Romanis tantum, sed etiam ex Latio voluntariis eo confluentibus. Placuit itaque ab Ardea Camillum acciri; consulto tamen ante Senatu, qui Romae erat, ne quid minus conveniens legibus ac jure actum videretur. Factum est hoc per juvenem *Pontium Cominium*, qui magno suo periculo in Capitolium evasit: acceptoque inde Senatus decreto de Camillo curiatis comitiis ab exilio revocando, jussuque populi Dictatorem eum dicendo, incolumis Vejos rediit. Interim Galli nocte quadam

a *Liv. L. V. c.* 45.

dam sublustri b arcem; non animadvertentibus custodibus, cepissent, nisi *anseres* * Junoni sacri clangore alarumque crepitu *M. Manlium* excitassent: unde postea semper anseres publice in Capitolio nutriti sunt. Plin. H. N. *L. X. c.* 22. Cic. *pro Rosc. Amer. c.* 20. Mulieres etiam ex capillis suis tormenta fecerunt; unde aedes Veneri *Calvae* est consecrata. *Lactant. L. I. c.* 20. ejusque Manlii potissimum fortitudine repulsi sunt Galli. Sed jam ultra fames ferri non poterat, (septimus enim jam mensis erat, quo Capitolinus exercitus obsidebatur) & Galli etiam fame ac pestilentia urgebantur. Ergo induciis factis colloquia permissu Imperatorum haberi coeperunt, jactantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant: ita mille pondo auri recessus eorum redimitur.

§. 3. *Urbs a Camillo liberata.*

§. III. Sed Galli insolentia elati non tantum iniqua attulerunt pondera: verum etiam, recusante, qui aderat Tribuno,

a *Ibid. c.* 42.

* *Lucret. IV. v.* 687. *Virg. Aen. VIII. v.* 655. *Ovid. Fast. I. v.* 453. *Propert. III.* 2. *v.* 12.

buno, insolens *Brennus* (Gallorum regulo hoc nomen erat) gladium ponderi addidit, vocemque Romanis intolerandam, *Vae victis esse* a. Dum autem per hanc altercationem nondum omne aurum esset appensum intervenit Dictator, *auferrique aurum de medio, & Gallos submoveri* jubet; *injussu suo inferioris juris magistratum pactionem, quae rata foret facere potuisse* negans. Inde facili negotio Gallos Roma expellit; moxque ad octavum lapidem ita caedit, ut ne nuncius quidem cladis relinqueretur. Atque ita triumphans in Urbem revectus *Romulus ac parens patriae, conditorque alter Urbis* b a militibus appellatur. Et ita quidem rem narrat Livius, & post eum Plutarchus c & *Polyaenus* d: sed Polybius L. II. c. 22. *Justinus*, sive *Trogus Pompejus L. XXVII. c. 2. & XXXVIII. c. 4.* Suetonius *Tiberio c. 3.* quin ipse Livius *L. X. c. 16.* Gallos aurum absportasse satis diserte memorant; ut observat Palmerius a Grentesmenil *exercitationibus in Auctores Graecos p. 188.* Verum

a *Ibid. c. 49.* b *Ibid. c. 50.* c *Camillo p. m. 143. sq.* d *L. VIII. c. 7. §. 2.*

erumpunt Romani: atque ita oppidum Etrusci nominis opulentissimum, cum decem aestates hyemesque continuas circumsessum fuisset, expugnant. Maximum inde Romae gaudium fuit; ita ut in quatriduum supplicationes, quot dierum nullo ante bello, Senatus decreverit. Triumphavit Camillus curru equis albis juncto [a], quod parum humanum fuit visum; cum Jovis & *Solis* currus albis equis trahi dicerentur. Invidiae ergo ingenti haec res ipsi fuit: cui accessit, quod decimam partem praedae Vejentanae in publicum conferre omnes juberentur; ut ex ea donum Apollini, cui decimam depraedae voverat Camillus, fieret. Cumque etiam urbs & ager Vejentium voto contineri sacerdotibus fuisset visum [b], placuit, ut in aestimationem ea venirent: atque cum ita pecunia ad eam rem aerario deesset, matronae aurum & omnia ornamenta sua eo contulerunt. Agitatum etiam fuit a Tribunis, latore ejus legis *T. Sicinio Dentato*, ,, ut quoniam Veji ,, urbs, agerque Vejentanus, urbe ,, agro-

a *Ib. c.* 23. *Plut. Camillo p. m.* 132.
b *Ibid. c.* 25.

„ agroque Románo ampliores, ube-
„ rioresque essent, plebis Senatusque
„ parti habitanda darentur." Quae res constantia & fortitudine principum Senatus, qui se identidem plebi occidendos offerebant, fuit discussa.

§. 6. A. U. 359. Faliscos M. Furius Camillus obsedit: & diuturnus labor fore videbatur [a], cum istis temporibus omnibus bellicis machinis nondum inventis, commeatum intercludendo maxime obsessas urbes expugnare cogerentur. Sed commodum evenit, ut, pro more docentium apud veteres, magister liberos principum erudiens eos ad ambulandum saepius educeret; atque sensim longius progediendo eos tandem perduceret in ipsa Romanorum castra; ut ita eo pignore Romanis tradito puerorum parentes etiam urbem suam tradere cogerentur: sed scelesti hominis perfidiam detestatus Camillus denudatum eum, manibus post tergum religatis, reducendum & virgis verberandum pueris tradidit. Hac Camilli probitate moti Falisci se Romanis dedunt.

§. 6. Camilli probitas, &c. A. U. 359.

a *Liv. L. IV. c. 26.*

In Aequis eodem anno ambigue bellatum est. Et de lege, quam Sicinius de transferenda Vejos populi parte promulgaverat, contentionibus certatum; ut etiam anno sequente, quo post quintum decimum annum rursus Consules creati fuerant [a]: sed licet tertium refectus esset Tribunus
A. U. 360. plebis Sicinius, lex ejus, annitentibus summopere Camillo auctore, patribus, perlata non est: verum deliniendae plebe agri Vejentani septena
A. U. 362. jugera ipsi divisa sunt. A. U. 362. cum pestilentia in Romano agro ex siccitate nimiisque caloribus esset orta, ut copia magistratuum Reipublicae esset, si cui eorum incommoda fuisset valetudo, sex Tribuni militum consulari potestate creati sunt, qui levia cum finitimis bella gesserunt. Sed majoris momenti est, quod eo anno Camillus divisae inique praedae Vejentanae accusatus in exilium abiit [b], Deos precatus, *si innoxio sibi ea injuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui civitati ingratae facerent*: absens quindecim millibus gravis aeris damnatur.

a *Ibid. c.* 29. b *Ib. c.* 32.

C A-

CAPUT SEXTUM.

A.U. 363. *Per. Jul.* 4324. *A.C.* 389.

De bello Gallico, & capta a Gallis Urbe.

§. 1. De adventu Gallorum in Italiam.

§. I. Regnante Romae Tarquinio Prisco *Ambigatus Biturigum*, & totius *Celticae* Rex [a] exonerare praegravante hominum turba regnum cupiens *Bellovesum* ac *Sigovesum* sororis filios, hunc in saltus *Hercinios*; illum in multo laetiorem Italiam misit. Qui *Taurino* saltu Alpes transgressus in *Insubria* consedit, urbemque ibi *Mediolanum* condidit. Hunc alii atque alii subinde secuti omnem agrum inter Padum & Alpes non tantum occuparunt; sed etiam Pado trajecto Etruscos Umbrosque agro pepulerunt. Adversus eos Clusini, quorum urbs ad *Clanim* fluvium Porsenae quondam regia fuit, auxilium a Senatu petierunt. De auxilio negatum est: sed legati sunt missi tres *M. Fabii Ambusti* filii, qui cum Gallis agerent, *ne socios Pop. Rom. oppugnare vellent.* Iis satis benigne a Gallis responsum est,

a *Liv. L. V. c.* 34. *sq.*

ſe, agrorum egentes petere partem agrorum, quam latius, quam colere poſſent, poſſidebant Cluſini. Sed cum ferociter utrimque ageretur, accenſis animis ad arma diſcurritur. Ibi *contra jus gentium* legati Romanorum in prima acie adverſus Gallos, & fortiter quidem, pugnarunt. Hinc merito irati Galli, omiſſa pugna, legatos Romam mittunt, poſtulatum, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Verum & apud Senatum & apud populum tantum ambitio, gratia & opes Fabiorum valuerunt, ut quorum de poena agebatur, Tribuni militum Conſulari poteſtate in annum inſequentem crearentur. Ea injuria accenſi Galli confeſtim ſignis convulſis citato agmine Romam contendunt [a], Tribunis interim, quorum temeritate bellum contractum erat, ſumma negligentia rem militarem curantibus. Aegre tandem, velut tumultuario excercitu raptim ducto, ad undecimum lapidem, qua *Allia* fluvius Tiberino amni miſcetur, Gallis occurſum eſt. Sed eadem temeritate, eodem divinarum humanarumque rerum

a *Ibid. c.* 37.

rum contemptu omnia sunt gesta a. Pugnatum est xv. Kal. Septembres: diesque ille a loco pugnae *Alliensis* est dictus; & infaustissimus deinceps est habitus; maxime cum olim trecenti Fabii ad Cremeram eodem die caesi fuissent. Maxima tamen pars Romanorum incolumis Vejos perfugit; reliqui Romam petiere tanto pavore, ut ne clausis quidem portis Urbis in arcem confugerent.

§. II. Galli miraculo victoriae suae obstupefacti, velut ignari quid accidisset, insidiasque metuentes sub occasum demum solis ad Urbem perveniunt: sed etiam ibi, cum Equites praegressi nunciassent, nullas portas esse clausas, nullam stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris noctem veriti, ante Urbem consederunt. Sequenti luce signa portis illata sunt. Sed interim placuerat Romanis, ut juventus militaris cum conjugibus ac liberis, senatusque robore in arcem Capitoliumque conscenderent, armis & frumento eo collatis. Sacra cum flamine sacerdotibusque Vestalibus Caere in Etruriam sunt missa.

§. 2. Urbs a Gallis capta. A. U. 363.

K 5

a *Ibid. c.* 38.

missa. Seniorum consularium, triumphaliumque turba, ne oneri obsessis esset, domos regressa, insignibus virtutis, aut honoris, quae cuique propria, induti, sellisque curulibus medio aedium suarum sedentes, obstinato ad mortem animo adventum hostium exspectabant [a]. Postridie Galli patente porta *Collina* Urbem ingressi primo quidem illos in vestibulo aedium suarum sedenteis viros tanquam Diis simillimos (tantam majestatem vultus gravitasque oris prae se ferebat) venerabundi intuebantur. At mox unus ex his senibus *M. Papirius* dicitur Gallo barbam suam suam honoris ergo demulcenti scipione eburneo in caput incusso iram movisse, atque inde initio caedis orto ceteros in sedibus suis fuisse trucidatos. Hinc nulli mortalium parcitum est: Urbs direpta: tectis ignis injectus. Nequaquam tamen Romanis, qui arcem tenebant, hac rerum suarum clade animus fractus est. Ita ut Galli [b], cum viderent, eos ad deditionem animos flexuros non esse, nisi vis adhiberetur, arcem summo conatu oppugnaverint;

a *Liv. L. V. c.* 41. b *Ibid. c.* 43.

rint; sed tanta strage & ruina repulsi sunt, ut nunquam postea, nec pars nec universi tale pugnae genus tentaverint. Igitur diviso exercitu, partim, ut frumentum suppeteret, per finitimos populos praedari placuit, partim obsidere arcem. Praedantes Gallos fortuna ipsa Ardeam duxit; ubi ab exule Camillo magna strage affecti sunt: nec minore fortuna Tuscos etiam Romanum agrum incurrentes, & Vejorum oppugnationem animo agitantes *Caedicius* centurio iterata pugna superat [a]. Et indies Vejis & animi & vires crescebant; non Romanis tantum, sed etiam ex Latio voluntariis eo confluentibus. Placuit itaque ab Ardea Camillum acciri; consulto tamen ante Senatu, qui Romae erat, ne quid minus conveniens legibus ac jure actum videretur. Factum est hoc per juvenem *Pontium Cominium*, qui magno suo periculo in Capitolium evasit: acceptoque inde Senatus decreto de Camillo curiatis comitiis ab exilio revocando, jussuque populi Dictatorem eum dicendo, incolumis Vejos rediit. Interim Galli nocte quadam

a *Liv. L. V. c. 45.*

dam sublustri b arcem; non animadvertentibus custodibus, cepissent, nisi *anseres* * Junoni sacri clangore alarumque crepitu *M. Manlium* excitassent: unde postea semper anseres publice in Capitolio nutriti sunt. Plin. H. N. *L. X. c.* 22. Cic. *pro Rosc. Amer. c.* 20. Mulieres etiam ex capillis suis tormenta fecerunt; unde aedes Veneri *Calvae* est consecrata. *Lactant. L. I. c.* 20. ejusque Manlii potissimum fortitudine repulsi sunt Galli. Sed jam ultra fames ferri non poterat, (septimus enim jam mensis erat, quo Capitolinus exercitus obsidebatur) & Galli etiam fame ac pestilentia urgebantur. Ergo induciis factis colloquia permissu Imperatorum haberi coeperunt, jactantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant: ita mille pondo auri recessus eorum redimitur.

§. 3. *Urbs a Camillo liberata.*

§. III. Sed Galli insolentia elati non tantum iniqua attulerunt pondera: verum etiam, recusante, qui aderat Tribuno,

a *Ibid. c.* 42.

* *Lucret. IV. v.* 687. *Virg. Aen. VIII. v.* 655. *Ovid. Fast. I. v.* 453. *Propert. III.* 2. *v.* 12.

buno, insolens *Brennus* (Gallorum regulo hoc nomen erat) gladium ponderi addidit, vocemque Romanis intolerandam, *Vae victis esse* a. Dum autem per hanc altercationem nondum omne aurum esset appensum intervenit Dictator, *auferrique aurum de medio, & Gallos submoveri* jubet; *injussu suo inferioris juris magistratum pactionem, quae rata foret facere potuisse* negans. Inde facili negotio Gallos Roma expellit; moxque ad octavum lapidem ita caedit, ut ne nuncius quidem cladis relinqueretur. Atque ita triumphans in Urbem revectus *Romulus ac parens patriae, conditorque alter Urbis* b a militibus appellatur. Et ita quidem rem narrat Livius, & post eum Plutarchus c & *Polyaenus* d: sed Polybius L. II. c. 22. *Justinus*, sive *Trogus Pompejus L. XXVII. c. 2. & XXXVIII. c. 4.* Suetonius *Tiberio c. 3.* quin ipse Livius *L. X. c. 16.* Gallos aurum absportasse satis diserte memorant; ut observat Palmerius a Grentesmenil *exercitationibus in Auctores Graecos p.* 188. Verum

a *Ibid. c.* 49. b *Ibid. c.* 50. c *Camillo p. m.* 143. *sq.* d *L. VIII. c.* 7. §. 2.

rum responderi potest, Polybium, Livium, Justinum locis citatis hostes Romanorum pro sua caussa loquentes inducere. Suetonium autem quod attinet, ille de incerta satis fama loquitur. Hoc tamen certum est, nullum postea bellum tantopere timuisse Romanos quam Gallicum: ita ut *tumultus* proprie, non *bellum* diceretur: ac omnis excusatio militandi tunc cessaret [a]. Cum autem Tribuni plebis legem de transmigrando Vejos renovarent, assiduis concionibus monentes plebem, ut Urbem in ruinis jacentem relinqueret, Camillus summa vi se ipsis opposuit: & maxime quidem populum permovit, quod nec sacra, nec Deos suo loco moveri posse absque religione ostenderet [b]. Ita antiquata lege statim aedificari coeptum est: sed festinatio curam vicos dirigendi exemit; eoque factum est, ut forma Urbis occupatae magis, quam divisae, similis esset. Camillum, nisi anno circumacto Dictatura se abdicare populus est passus [c]. Ita demum
A.U. 365. A. U. 365. creati Tribuni militum consu-

a *Cic. pro Fontejo c.* 16. *ibique Hotom.*
b *Liv L. V. c.* 55. c *Ibid. VI.* 1.

consulari potestate foedera primum & leges, quae comparerent, conquiri jusserunt: diemque a. d. xv. Kalendas *Sextiles*, (est *Julii* mensis decimus octavus) quo ad Alliam cum exitio Urbis foede pugnatum erat, *Alliensem* appellarunt; & inter atros retulerunt a.

§. IV. Eodem anno illi, qui Vejentium Capenatiumque ac Faliscorum per ea bella ad Romanos transfugerant, in civitatem accepti sunt b: revocatique in Urbem Senatusconsulto a Vejis, qui aedificandi Romae pigritia eo se contulerant, capitali poena in eum, qui non remigrasset, constituta: tantoque ardore aedificatum est, ut intra annum nova urbs steterit. Sed eodem tempore Volsci veteres hostes c, & Etrusci arma ceperant. Latini quoque ac Hernici post centum prope annorum nunquam ambiguam fidem a Romanis defecerant: nam quod antea *Tiburtes*, *Praenestini* *Tusculani* aliquando defecerant, privato eorum nomine, privatis opibus factum fuerat. Ad tantos undique terrores

§. 4. Alia rursus bella.

a *Cic. Attic. L. IX. n. 5. Fest. V, Alliensis.*
b *Liv. L. VI. c. 4.* c *Ibid. c. 2.*

rores Dictator tertium dicitur Camillus; qui primum in Volscos profectus septuagesimo demum anno eos ad deditionem subegit. Inde Aequorum castra, urbemque cepit. Hinc adverversus Etruscos a *Sutrium* oppugnantes exercitum duxit: urbemque jam captam invenit; sed incautos cum offendisset Etruscos ante noctem *Sutri-*
A.U. 366. *nis* inviolatum oppidum reddidit. Anno sequente *Cortuosa* & *Contenebra* E-
A.U. 368. truscorum oppida capta sunt. At A. U. 368. jam senio gravis Camillus factus Tribunus militum IV b. Volscos, Latinos, Hernicosque juvenili ardore vicit; cum ingens pavor & tristia Romanum exercitum invasisset, quando cum centenis hostibus singulos pugnaturos esse jactarent. Sed cum vidissent ipsum Camillum senecta invalidum in hostes vadentem c, & signiferum proximum manu arreptum secum rapientem mutuo hortatu pariter procurrerunt; hostemque ceciderunt, donec nox praelium dirimeret. Verum mox revocatus est Camillus, ut Etruscis opponeretur, quos iterum Sutrio ejecit:

a *Ibid. c.* 3. b *Ibid. c.* 6. c *Ibid. c.* 8.

cit: & *Nepesinorum* urbem a; quae ad hostes defecerat, recepit.

§. V. Anno Urbis 369. grave etiam bellum a Volscis fuit, adjuncta Latinorum, Hernicorumque defectione b. Sed gravior seditio domi exorta est a M. illo Manlio, qui Gallos e saxo Tarpejo deturbarat. Is ingenii vehemens & nimius animi, quum alios principes, ut inferiores sperneret, uni M. Furio Camillo invidebat: ac postquam animadvertit inter patres non quantum aequum censebat, opes suas excellere, repente popularis factus novas tabulas, aerisque alieni abolitionem agitare coepit. Imo centurionem, nobilem militaribus factis, quum judicatum pecuniae duci vidisset, manum ei injecit c: palamque populo rem creditori solvit. Alia etiam ad commovendam plebem addidit; ut quod fundum, caput patrimonii, praeconi subjecit, *se hoc facere* adjiciens, *ne quem Quiritium judicatum addictumve duci videret*. Adhaec domi secretis concionibus criminabatur Patres, ac si aurum, quod ad redimendam a Gallis civitatem collatum fuerat,

§. 5. Manlius regnum affectat.

a *Liv. lib. 6. c.* 10. b *Ibid. c.* 11. c *Ib. c.* 14.

rat, in eorum praedam cessisset. Ergo haec Manlii consilia magis quam metus belli Volsci, licet ille praetexeretur, compulit Senatum ut Dictatorem crearet *A. Cornelium Cossum.* Hic primo Volscos sociosque eorum praelio vicit: (merito hic Livius [a] satietatem metuit lectoris; metuimusque & nos; quod frequens adeo mentio belli istius cum Volscis & finitimis gesti occurrat; dubitatque, unde toties ipsis victis suffecerint milites: sed etiam nobis eam tamen seriem rerum sequi melius videtur) at mox suspensis per molitiones Manlii rebus in Urbem accitus [b], postquam in Senatu voluntates hominum periclitatus fuisset discedere Senatum a se vetuit. Atque ita sella in comitio posita Manlium per viatorem vocat; jubetque missis ambagibus, aut probare crimen Senatui objectum; aut fateri, se vani furti injuriam obtulisse. Negantem arbitrio inimicorum se locuturum in vincula duci jussit; cum nequicquam Deos Capitolium, quod defenderat, incolentes in auxilium sui vocaret. Mox Dictator de Volscis triumphavit: sed summa

a *Ibid. c. 12.* b *Liv. L. VI. c. 15.*

summa plebis invidia *de Manlio potius, quam de hoste triumphum actum* dicentes. Senatus vero a, ut seditionem leniret, *Satricum* coloniam duo millia civium Romanorum, deduci jussit; iisque bina jugera & semisses agri assignavit. Sed magis eo remedio irritata fuit seditio, cum & parum, & paucis datum esset; mercedemque prodendi Manlii interpretarentur. Igitur Manlius Senatusconsulto liberatur vinculis; atque ita dux seditioni datus est. Senatus vero magistratibus mandavit b, quod non nisi in suprema Reip. necessitate fiebat, *viderent, ne quid ex perniciosis consiliis* M. Manlii *Respublica detrimenti caperet*; ipsis Tribunis (cum cernerent, eundem suae potestatis, quam libertatis omnium, finem fore) patrum auctoritati se dedentibus. Imo ipsi Tribuni Manlio diem dixerunt; qui tanto suis odio erat, ut ne fratres quidem ejus caussae faverent. Ipse tamen, tum alia sua pace belloque bene gesta memorando; tum identidem ad Capitolium a se servatum manus tendendo (campo Martio enim, ubi judicium

 agebas-

a *Ibid.* c. 16. b *Ibid.* c. 19.

agebatur, Capitolium imminebat) populum ad misericordiam permoturus videbatur. Itaque prodicta die in locum extra Urbem ad portam *Numentanam*, (sic pro *Flumentana* apud Livium legit *Fam. Nardinus Roma Vet. L. IV. c.* 4. & adoptavit eam emendationem tacito Nardini nomine *Ol. Borrichius ant. U. R. facie c.* 7.) unde conspectus in Capitolium non esset, Concilium populi indictum est. Ibi damnatus, & mox a saxo Tarpejo dejectus est; ut idem locus in uno homine & eximiae gloriae & poenae ultimae monumentum esset. Decretum etiam est a Senatu, ne quis patricius in arce, aut Capitolio, ubi aedes Manlii fuerant, habitaret. Gentisque Manliae (non Senatus, ut plurimi minus recte narrant) decreto cautum est, ne quis deinde *Marcus* Manlius vocaretur [a]: quemadmodum postea in *Marco Antonio* quoque factum esse testatur *Dio L. LI. p.* 309. *edit. regiae* 1548.

§.6. *Bella rursus externa.* §. VI. Anno sequente 371. bello Volsco *Veliternorum* & *Circejensium* defectio accessit. Praenestini etiam & *Lanu-*

a *Liv. L. VI. c.* 21.

Lanuvini, qui fidelissimi fuerant, subito hostes exorti Satricum coloniam pertinaciter a colonis defensam vi expugnarunt. Bellum Volscum Camillo sextum Tribuno militum Consulari potestate extra ordinem decretum est, & ab eo, ratione vires juvante, (numero enim praestabant hostes) prudenter gestum: sed collega ejus *L. Furius* aetate & ingenio ferox Camillo invito praelium committit; ingentique clade caesus fuisset, ni Camillus auxilio advolans victoriam hostibus extorsisset [a]. Sed tanta tamen in hoc viro animi moderatio fuit; ut cum mox Tusculanos bello persequendos esse Senatus censuisset (ex captivis enim quibusdam intellectum fuerat Volscis auxilia misisse Tusculanos) hunc eundem L. Furium adjutorem sibi permittente Senatu adsciverit. Sed Tusculani nullum plane bellum, nec defensionem quidem ullam parantes eo ipso pacem in praesentia nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt [a]. A. U. 374. cum ad Praenestini belli famam novae legiones scribendae essent delectum impedive- *A. U.* 374.

 runt

a *Ibid. c.* 24. b *Ibid. c.* 26.

runt Tribuni plebis postulantes, ut primum aes alienum inspiceretur, ut sciret unusquisque, *quid sui, quid alieni esset*. Hujus discordiae fiducia Praenestini ad ipsam portam Collinam signa intulere a. Romani vero a seditione ad bellum versi Dictatorem fecerunt *T. Quinctium Cincinnatum*; cujus terrore statim hostes a moenibus recesserunt; castris ad Alliam fluvium positis, tanquam locus ille Urbi Romae fatalis esset. Sed ne primum quidem impetum Romanorum sustinuerunt, oppido Praeneste sese includentes. Id cum antea octo etiam oppida, quae sub ditione Praenestinorum erant, fuissent capta, Velitraeque etiam essent expugnatae, Romanis deditum est. T. Quinctius die vigesima quam crea-
A. U. 375. tus erat, Dictatura se abdicavit. Anno tamen sequente rebellarunt Praenestini concitatis etiam Latinorum
A. U. 377. populis: qui Tusculum se contulerunt incensi rabie ob iram, quod, deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed etiam in civitatem se dedissent Tusculani b. Primo impetu oppidum, praeter ar-
cem

a *Ibid. c.* 28. b *Ibid. c.* 33.

cem captum est: at mox a Romanis receptnm fuit. Latini ad unum omnes in medio oppido caesi.

CAPUT SEPTIMUM.

A.U. 377. *Per. Jul.* 4328. *A.C.* 375.

De communicato cum plebe Consulatu ad bellum usque Samniticum.

§. I. Eodem anno Tribuni plebis *L. Sextius Sextinus Lateranus, C. Licinius Calvus Stolo* leges promulgaverunt [a] adversus opes patriciorum & pro commodis plebis: unam de aere alieno, *ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis pensionibus persolveretur.* Altera fuit de modo agrorum, *ne quis plus quingenta jugera agri possideret.* Sed ipse Licinius primus hac lege damnatus est, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset. *Liv. VI. c.* 16. Tertia, *ut Consulum utique alter ex plebe crearetur.* Harum autem legum occasio haec fuit. Erat *M. Fabius Ambustus*, vir po-

§. 1. Leges a Sextio & Licinio Trib. pl. latae.

a) *Liv. Ibid. c.* 34. *sq.*

potens; cujus filiae duae nuptae, *Ser. Sulpicio* major, minor C. Licinio Stoloni. Forte ita incidit, ut in Ser. Sulpicii Tribuni militum domo sorores *Fabiae* sermonibus, ut fit, inter se tempus tererent quando lictor Sulpicii, quum is de foro se domum reciperet, forem (ut mos erat) virga percuteret. Quum ad id moris ejus insueta expavisset *Minor Fabia* risui sorori fuit, miranti ignorare id sororem. Confusam eam cum pater forte vidisset caussam doloris elicuit, eamque consolatus promisit, „ ut propediem „ eosdem domi honores videret, quos „ apud sororem viderat ". Ergo cum genero, adhibito etiam L. Sextio, consilia inire coepit: creatique sunt uterque, quod vidimus, Tribuni plebis; Legesque jam dictas promulgarunt. Cumque patres remedio multis jam ante certaminibus experto uterentur, collegarum nempe intercessione, tandem Sextius *ea ipsa intercessione tutaturum se esse plebem* professus est. Atque ita prohibuit, ne comitia praeter aedilium tribunorumque plebis haberentur. Ipsi autem per totum quinquennium Tribuni plebis

refecti

refecti nullos magistratus curules creari sunt passi. Alii tamen [a], praeter Livium, omnes quadriennio tantum sine magistratibus curulibus fuisse Urbem uno ore asserunt; quod rationibus fragmentorum Capitolinorum convenientius esse ostendit Pighius [b]. Verum cum A. U. 382. quo sextum jam Tribuni erant Sextius & Stolo Veliterni Tusculanos oppugnassent, remittentibus Tribunis plebei Tribuni militum creati sunt; Velitraeque obsideri sunt coeptae: sed nec eo, nec sequente anno memorabile aliquid ad Velitras factum est [c]. Domi vero iidem Tribuni septimum facti prioribus rogationibus adjiciunt, *ut pro Duumviris sacris faciundis Decemviri crearentur; ita ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret:* eaque lex anno sequente perlata est [d]. Anno 385. ad ultimam dimicationem de legibus ventum est: ita ut patres M. Furium Camillum jam quartum Dictatorem dicerent; sed re neutro adhuc inclinata Dictatura se abdicavit: seu quia

 vitio

a *Vopiscus in Tacito c.* 1. *Eutrop. L. II. c.* 3. *Cassiodorus.* b *ad A. U.* 378. & 384. c *Liv. L. VI. c.* 36. d *Ibid. c.* 42.

vitio creatus erat: seu quia Tribuni ad plebem tulissent, & plebs scivisset, mulcta quingentum millium aeris ei esset, si quid pro Dictatore egisset. At prior caussa similis magis vero videtur. Certe paulo post *P. Manlius* Dictator ei suffectus C. Licinium primum de plebe Magistrum equitum dixit. Cum autem tempus comitiorum tribuniciorum venisset, Licinius Sextiusque acerrima oratione plebem incenderunt; negantes, *se jam sibi honorem continuari velle: nonum se jam annum* a, *velut in acie, adversus optimates maximo privatim periculo, nullo publice emolumento stare. Proinde ipsi primum statuerent quid vellent: deinde, si conjunctas ferre ab se promulgatas rogationes vellent, perlaturos quod promulgarint: sin quod cuique privatim opus sit id modo velint accipi, nihil opus esse invidiosa contentione honoris.* Oratione tamen *Ap. Claudii Crassi* tempus rogationum juben-
*A.U.*386. darum prolatum est b. Cumque fama belli Gallici afferretur, Camillus Dictator quintum dictus est: ab eoque Galli in agro Albano sunt victi. Sed domi

a *Liv. L. VI. c. 39.* b *Ibid. c. 42.*

domi tandem etiam & Dictatore & Senatu victo Consul primus de plebe factus est L. Sextius Sextinus Lateranus. *A. U. 387.* Nobilitati agente Dictatore concessum de Praetore uno ex patribus creando, qui jus in Urbe diceret, cum Consules plerumque bellis avocarentur. Cumque Senatui placuisset, ut dies unus ludis maximis adjiceretur, recusantibus ob sumptus illud munus Aedilibus plebis conclamatum a patriciis est juvenibus, *se id honoris Deum immortalium caussa libenter acturos, ut Aediles fierent.* Verum etiam hoc artificium patrum fuit, qui facile satis conjicere poterant, Aediles plebis id oneris recusaturos, ut ita auctoritatem etiam suam hoc modo eveherent; cum plebs prae nimia laetitia calliditatem eorum non esset observatura; quod jam olim notavit *Christoph. Adamus Rupertus animadversionibus in Pomponium de Origine juris L. II. c.* 12. Duo ergo ex patriciis aediles sunt facti, qui, quod honore *sellae curulis* uterentur, *Curules* sunt dicti; sed etiam hic magistratus statim anno sequente cum plebe est communicatus.

§. II. Ita

§. 2. *Pax Reip. reddita.*

§. II. Ita pace restituta gravis pestilentia Urbem vexavit; &, praeter multos alios viros insignes, etiam Camillum alterum Urbis conditorem senem jam decrepitum sustulit: eaque occasione a A. U. 389. primum ludi scenici sunt instituti: ludis enim Deorum iras placari posse veteres credebant. Verum ipsos illos ludos superfusus circo Tiberis impediit b. Ergo ex prisca Etruscorum religione, quae volebat, *ut qui praetor Maximus esset Idibus Septembribus clavum pangeret* c, Dictator creatus fuit *L. Manlius Imperiosus.* (nam olim *quivis summus magistratus Praetor* dicebatur.) Sed cum bellum Hernicum affectans Dictator delectu acerbo juventutem agitaret, seu vi Tribunorum plebis, seu verecundia victus Dictatura abiit. (Ex quo delectu an *Imperiosi* cognomen habuerit d dubitatur) Dies tamen ipsi anno sequente a *M. Pomponio* tribuno plebis dictus est, *quod non damnatione modo civium, sed etiam laceratione delectum illum egisset: filiumque praeterea juvenem nullius probri compertum,* *sed*

a *Liv. L. VII. c. 2.* b *Ibid. c. 3.* c *Vid. Perizon. anim. Hist. c. 5.* d *Id. Ibid. c. 8.*

sed quod infacundior esset, in opus servile rus tanquam relegasset. At hic ipse filius [a] audita tribuni accusatione inscientibus cunctis cultro succinctus mane in Urbem domumque tribuni pergit. Cumque facile impetrasset, ut remotis arbitris cum eo agere posset, (non enim dubitabat Tribunus, quin juvenis aut criminis aliquid novi, aut consilii adversus patrem deferret) stricto cultro jurejurando adegit, ut accusatione desisteret. Adeo id plebi placuit, ut non modo patri caussae dictio remitteretur; sed ipse etiam adolescens Tribunus militum ad legiones suffragio populi fieret: nam illi tum a populo creari coeperunt; cum antea Imperatores ipsi facerent.

§. III. Ad hunc etiam annum referenda est historia, vel fabula potius de *M. Curtio* [b]. Narrant nempe in medio foro subito exstitisse voraginem, quae nullo conjectu terrae expleri potuerit. Tandem vates cecinisse, *id illi loco dicandum, quo plurimum populus Rom. posset.* Tum M. Curtium juvenem bello egregium, *nullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque*

§. 3. *Facinus M. Curtii.*

a *Liv. L. VII. c. 5.* b *Ibid. c. 6.*

que esset, interpretatus se equo quam poterat maxime exornato insidentem armatum in specum immisisse; atque ita prodigium istud fuisse procuratum. Sed, ut dixi, haec fabulae propiora videntur. Fuit quidem Romae *lacus Curtius*, sed qui ita dictus est a *Mettio Curtio* Sabino, qui quondam in ea palude haeserat a. Varro *L. L. IV. c.* 32. dicit, *lacum Curtium esse fulguratum*, *& ex Senatusconsulto septum*; idque factum esse a *Curtio* Consule, cui *M. Genucius* collega fuit A. U. 308. Procurato, ut fertur, hoc prodigio *Genucius* Consul in Hernicos profectus cum magna parte exercitus caesus est, quod interpretati sunt Patres, *factum esse*, *quod suis auspiciis bellum gerere voluerit*; *cum plebejis nulla auspicia essent*. Dictator inde dictus Ap. Claudius hostes, sed difficillimo praelio, vicit; cum jam fortiter a C. *Sulpicio* legato a valli oppugnatione fuissent repulsi.

§. 4. *De bello Gallico & Manlio Torquato.*

§. IV. Anno Urbis 392. revertentibus ex Hernicis Consulibus Tiburtes portas clausere b. Ergo bellum iis

a *Id. L. I. c.* 12. *sq. Dion. Hal. L. II. c.* 42.
b *Liv. L. VII. c.* 7. *sq.*

iis indictum est. Sed Gallis adventantibus, & ad Anienem ad tertium lapidem castra locantibus a Tiburtibus bellum aversum. Ibi dum de ponte, qui in medio castrorum utriusque populi erat, crebra essent praelia, eximia corporis magnitudine Gallus processit, Romanorumque fortissimum ad singulare certamen provocavit. Hic ille T. Manlius [a], qui patrem a vexatione tribunicia vindicaverat, venia a Dictatore petita Gallum aggreditur, vincit, & *torque* (Gallorum hic gestamen erat) spoliat. Ac *Torquatus* inde militari joco dictus cognomen hoc ad posteros propagavit. Galli proxima nocte relictis castris Tibur abeunt; & societate cum Tiburtibus facta anno sequente Latium foede depopulantur. Sed a Romanis haud procul porta Collina in conspectu parentum conjugumque ac liberorum memorabili pugna vincuntur. Tiburtibus tamen adeo animus non fractus est, ut proximo anno 394. [b] nocturnum terrorem ad ipsas portas Urbis Romae excitarent: sed vix primum impetum Romanorum sustinentes repulsi

a *Ibid.* c. 10. b *Ibid.* c. 12.

A.U. 395. pulsi sunt. Anno Urbis 395. cum bellum ab Etruria, ab Hernicis, a Gallis immineret, Latinis petentibus pax data est. Et Hernici quidem a *C. Plautio* Consule devicti subactique sunt: collega vero ejus *Fabius* incaute adversus Tarquinienses pugnavit [a]; quae clades eo insignior fuit, quod trecentos & septem ex Romanis captos milites Tarquinienses immolarint. Adversus Gallos Dictator creatus C. Sulpicius militem a pugna prohibuit, mora posse vinci Gallos confisus. Verum exercitus ejus, verba militum jussu faciente veteri ordinum ductore *Sex. Tullio*, pugnam acriter poposcit. Cumque dilationem res recipere non videretur [b], praelium in posterum diem edicitur. Addidit robori consilium Sulpicius mille circiter agasonibus mulis impositis, sylvisque se occultare jussis. Et pugna primo anceps fuit; donec etiam hi proruperunt. Tum demum in fugam acti Galli; & plena clade affecti sunt. Anno Urbis 396. cum *Privernatibus* ejusdem potissimum Sex. Tullii opera bene pugnatum est [c]: domi vero Tribuni

a *Ib. c.* 15 b *Liv. L. VII. c.* 14. c *Ib. c.* 16.

Tribuni plebis legem *de unciario foenere* pertulerunt caventes, *ne majores usurae, quam unciae persolverentur*, hoc est, *ut duodecima pars nummi per mensem*, sive *unus nummus per annum pro centum nummorum foenere persolveretur* a. Alter Consul, cum nihil memorabile gereret, legem tamen in ipsis castris ad Sutrium tulit *de vigesima eorum, qui manumitterentur*. Sed statim Tribuni merito veriti, ne, si id liceret, nihil non quamvis perniciosum populo per milites juratos in Consulis verba ferri posset capite sanxerunt, *ne quis postea populum sevocaret*. Anno Urbis 397. alter Consul Fabius a Faliscis & Tarquiniensibus praelio fusus est b, cum exercitus ejus turbaretur insueta specie sacerdotum, qui facibus ardentibus anguibusque praelatis incessu furiali in Romanos progrederentur. Sed discusso pavore eodem die hostium castris potiti sunt. Verum cum ita totum nomen Hetrus-

M cum

a *Vid. Celeb. Noodt de foenore & us. L. II. c. 2. Gron. de pec. vet. III.* 13. & *antexegesi de cent. us. & foen. unc. Et A. U.* 406. *semunciarium foenus est factum. Liv. VII.* 27. b *Liv. L. VII. c.* 17.

cum concitaretur Dictator dictus est primus de plebe *C. Marcius Rutilus.* Ei populus, frustra obnitente Senatu, omnia ad bellum necessaria promptissime decrevit; ejusdemque populi jussu, rebus bene gestis, sine auctoritate patrum triumphavit: nec tamen impe-
A.U. 398. dire valuit populus, quin anno sequente uterque Consul ex patriciis crearetur. Imo Anno etiam 399., cum Consulum perseverantia plebs victa esset, per infrequentiam peractis comitiis, duo rursus patricii sunt facti [a]; quod etiam sequentibus annis saepius evenit. Eodem anno in Tarquinienses acerbe saevitum est: vulgus, quod in acie non ciderat, trucidatum fuit: trecenti & quinquaginta octo ex nobilissimis in foro Romae virgis caesi, & securi percussi sunt. Res bene gestae Samnites (validissimus Italiae populus fuit, & frequentissime porro memorandus) perpulere, ut Romanam amicitiam peterent: a quibus foedere in societatem
A.U. 400. recepti sunt: ut etiam A. U. 400. *Caerites*; qui se Tarquiniensibus adversus Romanos junxerant. Sed ob meri-

a *Liv. Ibid. c.* 18.

meritum, quod bello Gallico sacra Romanorum accepta rite procurassent, induciae in centum annos iis sunt datae. Anno Urbis 401., cum diutissime de altero Consule ex plebe creando decertatum esset, tandem Patres cesserunt: ita ut ex plebe Consul factus sit C. Marcius Rutilus iterum collega ei dato *P. Valerio Poplicola*. Hi cum animos in concordiam inclinatos cernerent, foenebrem rem, unde perpetua discordia oriebatur, curare sunt aggressi [a]. Huic fini *Quinqueviros*, qui a dispensatione pecuniae *Mensarii* sunt dicti, crearunt: qui summa aequitate & moderatione hoc officio functi sunt: ita ut vel aerarium debita privatorum dissolveret, cum nempe prius debitores populo cavissent; vel res aequis pretiis aestimatae creditoribus traderentur: ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque, exhausta vis ingens aeris alieni sit. Et cum ita multae res dominos mutassent, censum agi placuit, censuramque primus de plebe obtinuit C. Marcius Rutilus, quem modo etiam primum Dictato-

 rem

a *Ibid. c.* 21.

rem plebejum vidimus a. Nec hujus solius ex plebe viri laus fuit: nam Anno 403. *M. Popillium Laenatem* a plebe Consulem fortuna illustriorem fecit. Cum enim ingentem Gallorum exercitum in agro Latino castra posuisse nunciatum esset, altero Consule *Scipione* gravi morbo implicito, ipse summa cum laude bellum Gallicum administravit; magnoque favore plebis triumphum de iis retulit b.

A.U. 403.

§. 5. *De Valerio Corvo.*

§. V. Anno Urbis 404., cum ad maximum terrorem defectionis sociorum Latini nominis ingens fama tumultus Gallici accessisset, exercitus decem legionum conscriptus est c; praesertim classibus Graecorum (tyrannorum ex Sicilia, ut videtur) maritima loca populantibus. Hoc bello *M. Valerius* Tribunus militum cum Gallo provocante singulari certamine depugnavit; & victor fuit. Verae narrationi additur fabula, ut videtur; *corvum* nempe in galea Galli insedisse, ejusque os oculosque rostro & unguibus appetiisse, ita ut oculis simul ac mente turbatus a Valerio obtrun-

care-

a *Ibid. c.* 22. b *Ibid. c.* 25. c *Eutrop. L. II. c.* 6.

caretur. Vera autem videtur conjectura G. I. Vossii *Idolol. L. I. c.* 27. qui arbitratur fabulam inde esse ortam, quod *corvi effigiem* in galea habuerit Valerius. Certe *Corvi* cognomen ex hoc eventu Valerio adhaesit, ut ex Livio [a], & fastis Capitolinis constat, non *Corvini*; quo nomine posteri demum hujus Valerii sunt dicti: & apud *Eutropium* quoque *L. II. c.* 6. ita legi debere ex Metaphraste ejus Graeco *Paeanio* patet, qui habet quidem Κορβῖνος; sed ex ipso contextu patet legendum esse κόρβος. Sed haec hactenus. Galli post hoc nobile Valerii facinus insigni pugna victi; & hinc inde dissipari sunt. Et tantus, favor ob hanc victoriam Valerii fuit; ut anno sequente 405. Consul fieret; *A. U.* 405. licet viginti trium annorum juvenis esset. Idem Valerius centesimum vitae annum implevit: & inter primum & sextum ejus Consulatum quadraginta sex anni fuere [b]. Eodem anno cum *Carthaginiensibus* legatis Romae foedus ictum fuit; quum amicitiam & societatem petentes venissent [c]: ita

a *L. VII. c.* 26. b *Cic. de Sen. c.* 17. *& alii.*
c *Liv. L. VII. c.* 27.

ut ſatis pacatae res eſſent; niſi quod cum Volſcis & Auruncis levia bella geſta fuerint.

CAPUT OCTAVUM.

De bello Samnitico, uſque ad bellum cum Pyrrho.

§. 1. Origo belli Samnitici. A. U. 410.

§. I. Anno Urbis 410. majoris molis bellum, & quod per quinquaginta annos continuos fere geſtum eſt, initium habuit. Erant Samnites gens potens, armis valida, divitiis clara, oppidis firma, eam Italiae partem incolens, quae hodie regni *Neapolitani* partem facit, complectentem fere *Principatum ulteriorem*, *Aprutium citerius* cum *comitatu Moliſino*, ac partes *Capitanatae provinciae*, & *Terrae Laboris*. Foedere amicitiaque ante paucos annos cum Romanis junctam fuiſſe capite praecedente vidimus. Jam autem *Sidicinis* injuſta arma (juxta ſcriptores quidem Romanos) intulerant: qui auxilii cauſſa *Campanis* ſe junxerunt. Sed Campani luxum potius & delicias, quam arma & fortitudinem cupiebant; ita ut brevi

vi intra moenia Capuae compulsi fuerint. Hinc auxilium a Romanis petierunt: at cum Romani pacem praetexerent; & foedus ante decem annos cum Samnitibus initum, Campani se suaque omnia in ditionem populi Rom. dediderunt [a], ut ita sua defendere Romanus cogeretur. Sed an Romani talem deditionem sine Samnitium injuria recipere potuerint, juris publici Doctoribus disceptandum permitto. Hoc certum est, Romanos vix alia re magis fines suos protulisse, quam promptissime subveniendo, si qui a potentioribus opprimerentur: quod observavit sapiens ille *Angliae Cancellarius Franciscus Baco de Verulamio sermonum fidelium num.* 29. *p. m.* 151. Ita in deditionem acceptis Campanis legati ad Samnites missi sunt, qui denunciarent, ut Campanis abstineretur. At Samnites ferociter praesentibus Romanorum legatis cohortium suarum praefectis imperarunt, ut extemplo praedatum in agrum Campanum proficiscerentur. Ergo bello iis indicto alter Consul Valerius, in Campaniam, alter *Cornelius*

 in

a *Ibid. c.* 31.

in Samnium profectus. Et Valerius quidem (qui quanquam dignitatis suae memor, comi tamen facilitate militibus suis gratissimus erat [a]) praelio neutram in partem diu inclinante Samnites vicit, castris etiam eorum potitus: Cornelius vero, cum exercitum suum incaute in vallem ab hostibus obsessam deduxisset, *P. Decius* Tribunus militum, uno edito in saltu colle conspecto, qui hostium castris imminebat, permissu Consulis, admiratione paventibus hostibus cum unius legionis principibus hastatisque eum occupat: ad tantam audaciam stupentes hostes, incertosque quid agerent nox oppressit: eademque Decio evadendi occasionem praebuit. Eodem quoque anno tertia [b] eaque gravi pugna ad *Suessulam* Campaniae oppidum a Valerio Samnites caesi sunt. Tanta porro horum successuum fama fuit, ut & Falisci foedus a Senatu peterent; & Latini bellum a Romanis in *Pelignos* averterent; imo ut Carthaginienses legatos gratulatum Romam mitterent.

§. 2. Conjuratio

§ II. Anno Urbis conditae qnadringente-

a *Liv. Ibid. c.* 33. b *Ibid. c.* 37.

gentesimo & undecimo milites, qui *militum* Capuae praesidium agitabant [a], de a- *& seditio* dimenda Campanis Capua consilia *in Campa-* inierunt, eo facilius, quod quondam *nia.* Campani urbem antiquis cultoribus *A. U. 411.* Etruscis eodem scelere ademissent. Conjurationem deprehendit Consul C. Marcius Rutilus: & consilio prudentissimo, ut militarem impetum frustraretur, rumorem dissipat in iisdem oppidis & anno post praesidia hibernatura. Ita in praesens seditio quievit: Consul, dum quietos Sammites habet, turbulentorum hominum missionibus exercitum purgat, aliis emerita dicendo stipendia esse; alios graves jam aetate, aut viribus parum validos. Alii per speciem militarium usuum Romam ablegati vario praetextu ibi retinebantur. Cum vero non nisi eos, qui in Campania hibernassent, praecipueque ex iis seditionis auctores mitti viderent, haud dubius timor incessit animos, consilia sua emanasse: ergo cohors una, quae forte haud procul Anxure erat, ibi itinere angusto inter montes & mare consedit; eosque qui mittebantur ex-

 cepit.

a *Ibid.* c. 38.

cepit. Cumque jam justi fere exercitus forma esset; sed deesset Imperator T. Quinctium senem ex vulnere altero pede claudum, & inde procul ambitione ruri agentem cogunt, ut eos ad Urbem duceret. Verum ad octavum lapidem obviam habuerunt cum exercitu M. Valerium Corvinum adversus eos Dictatorem dictum. Ibi, quamprimum in conspectum ventum est, armaque & signa agnita, oratione Corvi, quem gratissimum militibus fuisse vidimus, seditio illa sine sanguine composita [a]. Dictator auctoribus Patribus legem tulit, *ne cui militum fraudi secessio esset*: oravitque Quirites, *ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret*: aliaeque etiam leges eodem tempore militibus favorabiles latae sunt. Si alios etiam annales sequimur, [b] maximas sane vires defectio habuit: nam addunt latum etiam esse, *ne foenerare liceret; ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; neu duos magistratus uno anno gereret: utique liceret Consules ambos plebejos creare*. Alii multum in aliis variant: hoc certum est, hujus seditionis famam &

a *Liv. L. VII. c.* 40. b *Ibid. c.* 42.

& susceptum cum Samnitibus grave bellum, multos a societate Romanorum avertisse. Et Privernates quidem ac Volsci, qui defecerant, statim sunt victi; foedusque cum Samnitibus renovatum est.

§. III. Sed major belli tempestas a Latinis ingruebat: Samnites enim contra Sidicinos profecti in arctum eos redegerant: cumque Romani horum deditionem aspernarentur, Latinis jam sua sponte in arma motis se tradiderunt [a]; ne Campanis quidem se iis armis abstinentibus. Ergo hi omnes simul Samnites adoriuntur. Re autem vera Latinorum principes occulte Romanum coquebant bellum: sed omnia summo studio occultare conabantur, ut priusquam Romani moverentur, Samnitem hostem a tergo tollerent. Indicia tamen conjurationis Romam emanarunt. Etsi autem defectio haud dubia erat, tamen Romani, tanquam de Samnitibus, non de se, curam agerent, decem principes Latinorum Romam evocarunt, quibus imperarent, quae vellent. Verum cum Consul *Manlius* cum iis egisset, ne

§. 3. *De bello Latino.* *A. U.* 413.

a *Liv. L. VIII. c.* 2.

ne Samnitibus foederatis bellum inferrent, *Annius* Latinorum Praetor audaci oratione postulavit, *ut in posterum Consul alter Roma, alteret Latio crearetur: Senatus pars aequa ex utraque gente esset: utque ita unus populus, una Respublica fieret: nomen Romanum utrisque commune esset.* Summa Consulum Senatusque indignatio has petitiones excepit; additurque, vocem Annii *spernentem numina Jovis Romani* auditam: quam noxam praesens poena excepit, ita ut quum commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso, imo saxo ita impactus sit, ut sopiretur. Consensu igitur Latinis bellum est indictum; castraque ad Capuam locata, quo jam Latini sociique convenerant; Samnitibus jam etiam pro Romanis militantibus. Cum autem lingua, moribus, armorum genere, institutis militaribus hostium civiumque exercitus similes essent, ne quo errore milites caperentur edicunt Consules, ne quis extra ordinem cum hoste pugnaret. Erat forte apud Latinos [a] *Geminius Metius* vir tum genere,

a *Liv. VIII. c. 7.*

nere; tum factis inter suos clarus, qui *T.* *A. U.* 413.
Manlium Consulis filium ad certamen virium & virtutis provocavit. Hoc adeo ferre non potuit ferox juvenis, ut patrii imperii oblitus id certamen susciperet: fortiterque victo hoste spolia ex eo capta patri laetus offerret. At Consul aversatus filium concionem extemplo advocat; utque filii morte consulare imperium sanciret, securi eum percuti jubet. *Manliana* hinc *imperia* in proverbium abierunt: & tantum odium Manlio conflatum est, ut Romam venientem juventus & tunc, & omni vita deinde aversata execrataque fuerit. Addunt plerique hinc *Imperiosi* cognomen Mánlio adhaesisse: sed *capitis praecedentis* §. 2. jam innuimus hujus patri ob acerbius actum delectum hoc nominis fuisse inditum. Alii veró (ut Dion. Hal. VIII. 79.) bello Gallico hoc paternae severitatis specimen evenisse volunt: sed vulgatior est sententia, quam posuimus. Cum posthaec acie decerni placuisset evenit a, ut ab laevo cornu, cui praeerat P. Decius Consul, hastati Romani Latinorum impressionem non ferentes

a *Ibid. c.* 9.

rentes recederent. Tum Decius a pro exercitu Diis Manibus se devovit; & in medios hostes invectus terrorem pavoremque religionis intulit. Ubi vero telis obrutus corruisset Latini fugam ac vastitatem late fecerunt. Manlius ab altera parte fortissime praelium ciens plena victoria Romanos potiri fecit. Verum ne sic quidem quieverunt Latini: sed a Manlio Torquato Consule adeo eorum res accisae sunt, ut se omnes dediderint; deditionemque eam Campani sequerentur. Parte agri omnes mulctati sunt. Equitibus Campanis, qui non desciverant, civitas data. Atque ita Campania nobilissimus Italiae tractatus; & *toto orbe terrarum plaga pulcherrima* b in ditionem Romanorum concessit. A. U. 414. Latini rebellantes a *Q. Publio Philone* Consule caesi sunt. Alter vero Consul *Aemilius*, cum collegae decretnm triumphum audivisset, bello infecto repente omisso, ipse quoque triumphi ante victoriam flagitator Romam rediit. Cumque non tantum triumphus ipsi negatus esset, sed etiam a Senatu, qui Consulum imperium finire cupiebat,

a *Liv. L. VIII. c.* 10. b *Flor. L. I. c.* 16.

bat, Dictatorem dicere esset jussus, collegem Dictatorem dixit. Hic popularem & orationibus in patres a (erat ipse homo plebejus) criminosis Dictaturam egit: legesque plebi secundissimas, adversas nobilitati tulit: unam, *ut plebiscita omnes Quirites tenerent:* alteram, *ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent*; hoc est, *ut promitterent, se id quod Populus jussisset, ratum habituros* b: tertiam, *ut alter utique censor ex plebe* crearetur. Anno sequente (U. C. 415.) *Pedum*, cujus urbis expugnationem Consul Aemilius anno praecedente omiserat, expugnandum ac delendum Senatus censuit. A *Camillo* Consule (magni Camilli ex filio primo Praetore nepos erat) oppidum scalis captum est: & mox circumducto exercitu Latium omne subactum c: Latinisque, sed diversis legibus, prout quisque populus de Romanis bene vel male meruisset, pax concessa fuit. *Rostris* navium Antiatium (sex fuerant *rostratae* d) suggestum in foro exstructum ador-

a *Liv. L. VIII. c.* 12. b *Id. L. I. c.* 17.
c *Id. L. VIII. c.* 13. d *Flor. L. I. c.* 11.

adornari placuit: *Rostraque* id templum appellatum. A. U. 417. cum Ausonibus [a], qui *Cales* urbem incolebant, bellum fuit; qui Sidicinis finitimis (hi anno praecedente Auruncorum oppidum deleverant) arma conjunxerant: cumque fusi hostes in urbes se recepissent, magnaeque curae hoc bellum Patribus esset, Consul
A. U. 418. quartum creatus est T. Valerius Corvus. Hic Cales oppugnare coepit: & inopina opportunitas urbem ipsi tradidit. Cum enim festum diem agerent urbani, *M. Fabius* captivus Romanus vinculis ruptis evasit ad Consulem; ejusque consilio hostes vino epulisque sepulti cum ipsa urbe capti sunt. Cales anno sequente colonia deducta est. Duobus vel tribus sequentibus annis (anni 420. Consules & historiam apud Livium desiderari docet Pighius) nihil admodum notatu
A. U. 422. dignum est gestum. Verum annum Urbis quadringentesimum vigesimum secundum muliebris fraus foedum reddidit [b]: cum enim primores civitatis similibus morbis, eodemque fere eventu

a *Liv. L. VIII. c.* 16. b *Liv. L. VIII. c.* 18.

eventu moverentur, ancillae indicio deprehensum fuit, matronas venena coquere. Eaque ducente coquentes inventae sunt: & salubria ea medicamenta esse contendentes bibere jussae ad viginti epoto medicamento suamet ipsae fraude omnes interierunt. Comites earum comprehensae magnum numerum matronarum indicaverunt: ex quibus ad centum septuaginta sunt damnatae. Captis id magis mentibus matronarum, quam consceleratis adscriptum est: & ad id prodigium procurandum *C. Quinctius* Dictator clavum fixit.

§. IV. A. U. 423. cum Privernatibus bellum initum; iisque socii fuere *Fundani* duce *Vitruvio Vacco*: qui levi momento victus Priverni muris se tutari conatus est: anno sequente capta urbe ipse necatus est a. Fundanis deprecantibus venia est data: sed in capita conjurationis animadversum. Memorandum autem hic venit liberum & constans legati Privernatis responsum: qui in Senatu rogatus, *quam poenam meritos Privernates censeret? Eam*, inquit, *quam merentur, qui se libertatis dignos censent.* Cumque

§. 4. *Bella cum Privernatibus Palaepolitanis, Samnitibus, &c. A. U. 424.*

a *Liv. L. VIII. c. 20.*

que Consul addidisset. *Quid si poenam remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speramus? Si bonam dederitis,* inquit, *& fidam & perpetuam; si malam, haud diuturnam.* Atque ea libertate obtinuit, ut Privernatibus venia & civitas daretur. Anno
A. U. 429. quadringentesimo vicesimo sexto bellum exortum est cum Graeca civitate *Palaepolitanorum* b, qui haud procul inde habitabant, ubi nunc *Neapolis* sita est. Haec multa hostiliter adversus Romanos agrum Campanum *Falernumque* incolentes fecerat freta, tum infida Samnitium adversus Romanos societate; tum pestilentia quae Romanam Urbem adorta nunciabatur. Samnites enim ab amicitia Romanorum defecerant ob agrum *Fregellanum* a Romanis occupatum. Ergo Publilius Philo Consul jussu Senatus Palaepolitanos gravi obsidione pressit: cumque non e Republica esse videretur, Publilium ab spe capiendae urbis avocare, Proconsul rem gerere jussus est, quoad cum Graecis debellatum foret. Atque ita huic Publilio *primum omnium prorogatio magistratus* Populi

a *Ibid. c.* 22.

puli jussu contigit: & *acto honore*, belloque confecto, *triumphus* [a]. Nam anno sequente 427. Palaepolitani se dediderunt: eodemque tempore, cum Samnitibus bellum indictum esset, nova, nihil tum animo tale agitantibus Romanis, accesserunt auxilia [b]. *Lucani* & *Apuli* arma virosque ad bellum pollicentes foedere in amicitiam recepti sunt: sed Lucani statim fraude *Tarentinorum* (*Magnae Graeciae*, sive *extremae Italiae* urbs Graecae originis fuit, quae vicinitatem Romanam, & merito quidem, metuebat) defecerunt. Quidam enim ex Lucanorum clara juventute pretio a Tarentinis adsciti seipsos virgis mulcarunt, & apud cives vociferati sunt, se, quod castra Romanorum ingredi ausi essent, a Consule virgis caesos & prope securi percussos esse. Ejus rei indignitate permoti Lucani societatem cum Samnitibus renovarunt: sed statim fraude intellecta, nihil ultra, quam ut poeniteret frustra, restabat. Ad omnem hanc belli molem accessit, quod etiam *Vestinus* populus Samnitibus jungeretur. Verum domi eo anno velut aliud

A.U. 427.

 ini-

a *Liv. L. VIII. c.* 26. b *Ibid. c.* 25.

initium libertatis plebi Romae factum est, quod ligari nexi desierunt: cui mutationi libido simul crudelitasque unius foeneratoris occasionem praebuit a. Cum enim *Publilius* quidam a *L. Papirio* verberibus laceratus in publicum se proripuisset, miseratione sui magnum tumultum concivit. Senatus etiam commotus Consules ad populum ferre jussit, *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur.* Atque ita nexi soluti, cautumque in posterum,
*A. U.*428. *ne necterentur.* Eodem anno Vestinos subegit *Junius Brutus Scaeva* Consul. Adversus Samnites vero Dictator creatus est *L. Papirius Cursor* omnium sua aetate clarissimus. Sed cum jam in Samnium Dictator pervenisset, auspicia non recte capta fuisse a pullario monetur b. Ergo ad ea repetenda Romam proficiscens *Q. Fabio Maximo Rulliano* Magistro equitum interdixit, *ne se absente cum hoste manum consereret.* At Fabius, sive illa occasio rei bene gerendae fuerit, sive ferocia tantum adolescentiae eum accenderit, cum Samnitibus conflixit; & quidem feliciſſimo eventu. Postquam illud

a *Ibid. c.* 28. b *Ibid. c.* 30.

illud e literis ad Senatum missis Dictator accepit, maximis statim itineribus in castra profectus est: Ibi confestim Fabium ad tribunal suum citavit; (quem tamen jam antea milites bonum animum habere jusserant) cumque haud facile interroganti Dictatori, *cur injussu suo, incertis auspiciis, depugnasset*; responderi posset, secures Papirius & virgas expediri jussit: Fabius vero in extremam concionem militum se recepit [a]; atque ita tum deprecationibus, tum contentionibus dies ille est extractus. Magister Equitum noctu ex castris Romam profugit, & vocato Senatu, cum vim atque injuriam Dictatoris conquereretur, ipse Papirius infensus aderat: cumque ne universi quidem Senatus deprecationi concederet, pater Magistri Equitum Fabius, qui ter jam Consul Dictatorque fuerat, Tribunos plebis appellat. Sed ad auctoritatem Dictatoris ipsi Tribuni stupebant: donec tandem Populus Romanus consensu, ut sibi poena Magistri Equitum remitteretur, postulavit [a]. Tribuni quoque intercessionem in preces ver-

a *Liv. L. VIII. c.* 35.

vertunt, *veniamque errori humano, veniam adolescentiae* Fabii exposcunt. Cumque jam ipse adolescens, paterque ejus ad genua Dictatoris procumbentes ejus iram deprecarentur, tandem Papirius, *se* Fabium *populo Rom. tribuniciaeque potestati donare* dixit. Abdicare tamen se magistratu coactus est. Papirius in *Samnium* reversus debellare cum Samnitibus potuisse credebatur, nisi miles de industria cessasset, ut laudibus ducis obtrectaretur. Sensit peritus Dux, summaque comitate animos militares tractans ita eos sibi conciliavit, ut pacem petere Samnites coëgerint. Pighius rursus a Livio annum praeteritum putat, ita ut etiam
A. U. 429. anno quadringentesimo vicesimo nono Dictaturam continuaverit Papirius: nec dissentit *Onuphrius Panvinius*, auctoritate tabularum Capitolinarum uterque nitentes. Porro Samnites inducias duntaxat annuas impetrare potuerunt. Sed nec eas quidem servarunt; verum Apulis ad societatem belli pertractis rebellarunt. Igitur Dictator dictus *A. Cornelius Arvina* ancipiti ac difficili praelio Samnites vicit; cladisque Samnitibus potissima

causa

caussa fuit, quod impedimenta Romanorum invadentes praeda se immature praepedivisset [a]. Ita rebus eorum infractis rupti foederis auctorem *Papium Brutulum* (vel potius corpus ejus exanime; nam voluntaria morte ignominiae se ac periculo subtraxerat) cum omni praeda ac captivis pacem petentes Romanis dediderunt. Ita quidem Livius: sed ex fastis Capitolinis videmus etiam utrumque Consulem hoc anno de Samnitibus triumphasse.

§. V. Verum anno sequente tristissima Romanorum clade acceptum damnum Samnites sarciverunt. *C. Pontius Herennii* filius Samnitium Imperator deditione, quam Romanis factam esse memoravimus, defunctos jam esse foederis legibus Samnites, justumque adversus Romanos bellum geri posse censebat [b]. Ergo castris ad *Caudium* quam occultissime locatis per milites decem pastorum habitu indutos & sua sponte captos, rumorem spargunt, *Luceriam*, quae socia jam Romanis civitas erat, a Samnitibus obsideri. (Et verum hoc fuisse, ur-

§. 5. *De clade Caudina.* *A.U.* 432.

 bem-

a *Liv. Ibid. c.* 38. b *Liv. IX.* 1.

bemque a Samnitibus fuisse captam series narrationis Livianae ostendit a.) Igitur Consules ad opem fidelibus sociis ferendam proficiscuntur. Ferebant autem ad Luceriam duae viae b; quarum altera tutior, sed longior: altera brevior, sed periculi plenior erat: ducebat enim per locum, qui saltibus & montibus perpetuis cinctus angustum introitum, nec latiorem exitum habebat. Sed non dubitantes quin hostis procul abesset in eas angustias (*Furcas Caudinas* a forma & situ loci vocabant) demisso agmine Romani statim undique clausi tenebantur. Tam laetis rebus ne Samnitibus quidem consilium suppetebat: ita ut Herennium *Pontium* Imperatoris sui patrem per literas consulendum esse censerent c. Is annis gravis, consilio valens, suadet, *ut Romanos omnes inde quam primum inviolatos dimitteret*: iterum consultus censuit, *ad unum omnes interficiendos*; ut ita, vel amici pararentur, vel inimici tollerentur. At mediam viam ingressus Pontius (notemus obiter, *media consilia* non

a *Vid. Ibid. c.* 12. b *Ibid. c.* 2.
c *Ibid. c.* 3.

non semper esse optima, licet plurimum ita credatur) *inermes cum singulis vestimentis sub jugum missurum* dixit: *alias conditiones pacis aequas victis & victoribus fore: agro Samnitium decederetur: suis deinde legibus Romanus ac Samnis viveret.* Inde Consules ipsi ad Pontium profecti a, quum de foedere victor agitaret, negarunt, *injussu populi foedus fieri posse*: ita ut *per sponsionem* proprie, *non foedere* pax Caudina facta sit. *Sponsionem* intelligimus, *ubi hi, qui a potestate summa mandatum non habent, aliquid promittunt, quod proprie eam tangit*: unde is, qui summum imperium habet, nullam in partem obligatur b. Igitur spoponderunt deditionem Consules & duces reliqui; equitibus etiam sexcentis obsidibus traditis. Ita Consules primi prope seminudi sub jugum missi c; tum ut quisque gradu proximus erat; tum deinceps singulae legiones, nou sine multa hostium illusione & injuria. Demum ex saltu emissi prope Capuam omnium egeni corpora humi prostraverunt: summaque benignitate a Cam-

N 5 panis

a *Ibid. c.* 5. b *Grot. vidend. de I. B. P. L. II. c.* 15. §. 3. *&* 16. c *Liv. L. IX. c.* 6.

panis excepti sunt, ingenitam iis superbiam evincente justa sociorum miseratione. Romae ad famam obsidionis delectus haberi erat coeptus; sed dimissus auxiliorum apparatus, postquam foedam deditionem acceperunt: summusque moeror totam civitatem invasit. Consules Urbem ingressi in privatum se abdiderunt, nihil pro magistratu agentes; nisi quod coacti Dictatorem comitiorum caussa dixerunt: sed taedio magistratuum ejus anni res ad interregnum rediit. Creati Consules statim de pace Caudina retulerunt a; *Spuriusque Postumius*, qui Consul sub jugum missus fuerat, rogatus sententiam, *se, collegam, quaestores, legatos, tribunos militum, qui sponsionem fecerant, dedendos Samnitibus* censuit; *Tribunosque plebis*, (hi inter tribunos militum anni praecedentis & pacis etiam sponsores fuisse videntur) qui, *quod sacrosancti essent, dedi se hostibus, violarive posse* negabant, *quum primum magistratu abiissent*. Oratione Postumii permoti Tribuni, *se in Senatus potestate fore* dixerunt. Ita summa cum Postumii laude lux quaedam civitati

a *Ibid. c.* 8.

vitati affulsisse visa est [a]. Sponsores pacis per feciales Samnitibus sunt deditj: ubi observari potest risu digna actio Sp. Postumii, qua bellum Romanorum in Samnites legitimum se posse reddere credebat. Fecialis nempe Romani sponsores tradentis femur quanta maxime poterat vi perculit, *ita a se, qui jam civis Samnis esset violatum contra jus gentium Fecialem* adjiciens; *eo justius Romanos bellum gesturos*. Pudet sane indignissimarum artium; quibus non hac solum occasione, sed saepe alias Romani sunt usi: & puto ex similibus satis colligi, nequaquam justitiae severos cultores, nec domi, (cujus rei exempla plurima jam habuimus) nec foris, priscos illos fuisse: quod obiter monendum fuisse videtur: cum fortitudinis quidem, frugalitatis, justitiae inter cives exercitae, multarumque aliarum virtutum, quas domi coluerunt, exempla exstent; in hostes vero quidvis licere sibi putasse videantur. Ergo merito illam deditionem accipere, aut ratam habere abnuerunt Samnites [b]: ita ut inviolatus in castra Romana reversus

a *Ibid*. *c*. 10. b *Ibid*. *c*. 11.

A. U. 434. versus sit cum suis Postumius. Atque ita bellum infestius Samnitibus est renatum; ad quos tamen defecerunt *Satricani* [a]: Fregellis vero Samnites, cum nocte urbem occupassent, sed acriter pro aris ac focis dimicaretur per praeconem edixerunt, *impune abiturum qui arma posuisset*. Pars Fregellanorum pertinacior per aversam portam erupit: ceteros igni circumdatos Samnites concremaverunt. Iidem, ut ad Luceriam a Romanis obsessam ire possent, cum Publilio Consule primum certamen transigere statuunt [b]: verum ira militari, & vesano prope impetu fusi sunt hostes. Alter Consul Papirius Samnites, qui prope castra ad Luceriam consederant, secum signa conferre coëgit: nequicquam interveniantibus legatis Tarentinis, qui annunciabanr, *ut bellum omitterent: per utros stetisset, quo minus ab armis discederetur, adversus eos se pro alteris pugnaturos*. Papirius ergo [a] spretis *Graeculae* arrogantiae hominibus hostes profligat: & paulo post Samnites, qui Luceriae in praesidio erant, fame domitos (septem fuerunt millia) sub

a *Ibid. c.* 12. b *Ibid. c.* 13.

sub jugum misit. Praeda ingens ibi capta: recepta signa armaque, quae ad Caudium amiserant: &, quod omnia superabat gaudia, recuperati Equites, quos pignora pacis Romani dederant. Quidam addunt Pontium Samnitium Imperatorem cum ceteris sub jugum missum. Disputatur etiam an *L. Cornelius* Dictator, cum L. Papirio Cursore Magistro Equitum has res gesserit: an vero Consulum Papiriique praecipuum hoc decus fuerit. Sed Fasti Triumphales Eutropiusque Papirio Cursori eam gloriam tribuunt: quem saltem certum est, praestantissimum hoc tempore Imperatorem fuisse. Eodem anno Consulum alter Satricum recepit, ubi duae factiones Senatum distinuerant; sed utraque tamen ad reconciliandam pacem Consuli operam navaverunt [a]: itaque pars altera, quae Samnitibus faverat, Consuli enunciat, qua noctis, hora, & qua via praesidium eorum essent emissuri: altera, quibus invitis descitum ad Samnites erat, etiam portam Consuli aperuerunt. Itaque duplici proditione Samnites sunt oppressi. Satricanorum,

a *Ibid. c.* 16.

norum, quorum opera defectio esset facta virgis caesi, securique percussi sunt a.

§. 6. *Ulterior Rom. Imperii per Italiam propagatio.* *A. U.* 435. §. VI. Anno Urbis 435. Samnitium legatis suppliciter renovationem foederis petentibus induciae tantum biennii concessae sunt: Apuliaque perdomita in Lucanos perrexerunt Romani. Capuam etiam tum primum *Praefectus* mitti coepit, qui ex legibus a Praetore Romano datis jus diceret; quum utrumque ipsi pro remedio aegris rebus discordia inte-

A. U. 437. stina petissent. A. U. 437. Romanos *Saticulam* oppugnare adortos Samnites hac justa rebellandi caussa data ad eximendos obsidione socios aggressi sunt b: verum victoria, sera quidem, sed non incerta fusi. Anno tamen sequente eodem reversi sunt: ubi *Aulius* Magister Equitum Romanorum inconsulto Dictatore in eos evectus ipsum Samnitium Imperatorem occidit; sed ab ejus fratre vicissim trucidatur. Victores tamen fuere Romani; & intra paucos dies Saticula per deditionem potiti sunt. Inde Sora, quae ad Samnites interfectis colonis Romano

mano.

a *Ibid. c.* 20. b *Liv. L. IX. c.* 21.

manorum defecerat, obsessa a. Dictator tum erat A. Fabius; & in Aulii Magistri Equitum locum suffectus fuerat *C. Fabius*. Eum cum novo exercitu ab Roma advenientem occulte Dictator subsistere jubet; ejusque adventum militum suum celat. Quin tanquam nulla nisi in eruptione spes esset in hostem educit; castris etiam suis, qua hosti proxima erant, (licet de universis castris ipse ad milites loqueretur) igni subdito incensis. Ita animus militibus est additus; captisque & direptis castris hostium castrorum suorum partem maximam contra spem salvam invenit. Sora tandem capta est A. U. 439. opera transfugae, qui decem milites Romanos delectos in arcem supra oppidum duxit; atque inde decurrens suis, quasi capta arx esset, ostentavit. Ausonum etiam gens b, quae se Samnitibus junxerat, proditione urbium, sicut Sora, in potestatem venit: ea vix certo defectionis crimine, deleta fuit, perinde ac si internecino bello certassent. Luceria quoque proditione Samnitium est facta: sed statim recepta, Lucerinis & Samnitibus *A. U.* 439.

ad

a *Ibid. c.* 23. b *Ibid. c.* 25.

ad internecionem caesis. De Luceria delenda Romae actum fuit a : sed vicit sententia, ut coloni eo mitterentur: & adeo gravis hic annus Romanis fuit, ut Capuae quoque occultae conjurationes fierent: quin Romae quoque nobiles homines ejusdem criminis rei postulabantur. Hi vero in *Maenium* magis (qui *Dictator quaestionibus exercendis* factus fuerat; & ipse plebejus Magistrum Equitum plebejum sibi dixerat; *M. Foslium*) id crimen rejiciebant. Dictator se statim magistratu abdicavit; & cum Magistro Equitum absolutus est: & brevi nobilium etiam factionibus tota quaestio est oppressa. Samnites tamen harum turbarum spe ad Caudium usque revocati sunt, intenti in occasionem, si qua daretur, Capuam Romanis eripiendi; sed a Consulibus tanta clade affecti sunt, ut ad triginta millia eorum caesa, aut capta memorentur.

§. 7. *Appii Claudii censura celebris &c.* *A. U.* 441.

§. VII. Anno sequente Hetrusci quidem belli fama fuit: at domi celebrior fuit Censura *Appii Claudii* b, qui viam illam celeberrimam *Appiam* Censor

a *Ibid.* c. 26. b *Liv. Ibid.* c. 29.

Cenſor ſtravit Roma Capuam uſque, quae longitudo eſt paſſum CXLII. millium. Eadem poſtea *Brunduſium* uſque producta fuit, quae juxta Strabonem *L. VI. n.* 283. Roma abeſt paſſuum millia CCCLX a. ita ut merito *Regina longarum viarum* dicatur *Papinio Statio Sylvarum L. II. carm. II. v.* 12. Hodieque ingentes ejus reliquiae, & quibuſdam partibus ſatis integrae ſupereſſe dicuntur b. Idem Cenſor Appius aquam; quae ab ipſo *Appia* itidem eſt appellata, per milliaria circiter undecim in Urbem deduxit c: licet alii, ut, exempli gratia, *Pancirollus Deſcr. Urbis Romae* paſſuum M. XXII. ei tribuant. Praeterea Appius auctor fuiſſe dicitur *Potitiis* Herculis ſacerdotibus, ut ſervis publicis hoc miniſterium delegarent: unde dicunt, nomen Potitiorum in duodecim familias diſperſum intra annum fuiſſe extinctum; ipſumque Appium poſt aliquot annos luminibus captum. Denique etiam prava lectione ordinem Senatus deformavit; ita ut Conſu-

 les

a *Sunt horae itineris* 120. b *Vid. Miſſon. Itiner. T. I. ep.* 21. *p.* 272. *ſqq. edit. Hag.* 1694. *Burnet. Voyag. p.* 376. c *V. Lipſ. de Magn. R. III.* 11. *Al. Donat. de Urbe Rom. III.* 18.

les anni ſequentis eam lectionem non obſervaverint a. Praeterea hoc anno e viginti quatuor Tribunis militaribus ſexdecim a populo creari coeperunt: octo (in quatuor legiones, ſive duos exercitus conſulares creabantur viginti quatuor Tribuni) octo, inquam, beneficio Conſulum relicti ſunt. Interea in Samnio Samnites *Cluviam* deditione ceperant: & in deditos crudeliter ſaevierant. Ergo Conſul *C. Junius Bubulcus* oppido capto omnes puberes interfecit. Inde *Bovianum* opulentiſſimum oppidum cepit; praedamque militibus conceſſit. Videntes ita Samnites, ſe vi aperta Romanis eſſe impares, ſimili dolo ac apud Caudium uſi fuerant, legiones Romanas in ſaltum intrare perpulerunt: at majore fortitudine periculo ſe exemerunt; ita ut perpaucis hoſtium effugium patuerit, praedamque ultro ab hoſte oblatam Romani fuerint nacti. Ab altera parte Etruſci Sutrium, ſociam Romanorum Urbem, & velut clauſtra Etruriae b, oppugnarunt; praelioque pertinaciſſimo cum Romanis, qui ad ſolvendam obſidionem venerant, depugnarunt; quod

a *Liv. L. IX. c.* 30. b *Ibid. c.* 32.

quod nocte demum veniente diremptum est. Igitur anno sequente 443. etiam acrius bellum exarsit; fusisque ingenti praelio Etruscis persequi hostem Consul Fabius statuit a. Sed penetranda erat sylva *Ciminia* hactenus Romanis invia. Ergo fratre suo, qui Etruscis literis eruditus (solebant tunc Etruscas disciplinas, ut postea Graecas, doceri Principum Romanorum liberi) linguam Etruscam probe noverat, cum uno servo comite praemisso societatem cum *Camertibus* Umbris firmat: fratremque cum exercitu subsecutus opulenta Etruriae arva depopulatur, sero advenientibus a Senatu Romano legatis, qui denunciarent, *ne saltum Ciminium transiret* b. Hinc indignatione conciti Etrusci castra Romana subeunt; quos vigilando fatigatos prima luce Consul invadit, clarissimaque pugna superat c. Itaque praecipui Etruscorum populi pacem petentes inducias in triginta annos impetrarunt. Sed ob res ab altero Consule adversus Samnites ambiguo eventu gestas A. U. 444. Dicato-

A. U. 443.

A. U. 444.

a *Ibid. c.* 53. b *Flor. L. I. c.* 17. c *Liv. Ibid. c.* 37.

ctatorem dici placuit Papirium Cursorem, quem toto hoc anno Dictatorem fuisse sine Consulibus ex fastis Capitolinis patet a. Hic Samnitium aciem auro argentoque coelatis armis fulgentem stravit castraque eorum cepit; magistro Equitum, legatisque strenue rem gerentibus; nec militibus ducum virtuti cedentibus b. Papirius de Samnitibus triumphavit: ut etiam praecedentis anni Consul Fabius: nam ex fastis Capitolinis, ut jam dictum est patet, eum Proconsule triumphasse. Livius vero hic duorum annorum gesta in unum confudit: unde etiam *capite* 41. perperam dicit, *Fabio in annum sequentem consulatum fuisse continuatum*; cum annus Dictaturae Papirianae intercesserit.
A.U. 445. Ergo A. U. 445. Fabio tertium Consuli collega virtutis ergo, qua legatus anno praecedente in Samnites pugnaverat, est datus P. Decius secundum. A Fabio iterum victi Samnites cum novis etiam hostibus Pelignis ac *Marsis* c. Decius circumferendo passim in Etruria bellum nomen omne Etrus-

a *Vid. Pigh. hic & ad A.* 457. b *Ibid. c.* 40. c *Ibid. c.* 41.

Etruscum foedus petere coëgit: sed induciae tantum annuae datae. Verum magna Tuscorum pars statim ab Umbris ad rebellionem est compulsa; ita, ut se ad oppugnandum Romam ituros esse jactarent. Itaque etiam Fabius Consul ad Urbis tutelam arcessitur: cujus miles hostem maxima alacritate adortus facile sternit; ita ut etiam in sequentem annum imperium ipsi prorogaretur: inque eo imperio ad *A. U.* 446.
Allifas urbem cum Samnitibus minime dubio praelio conflixit. Ipsi sub jugum missi: sociorum ad septem millia sub corona venditi. Hernicorum qui capti erant per Latinos populos custodiendi dantur; unde Hernici nominis populi etiam anno sequente Romanis bellum indixerunt. Sed trinis castris intra paucos dies exuti a *Marcio Tremulo* Consule in deditionem recepti sunt [a]. Eo bello confecto statim Marcius collegae, qui in Samnio locis impeditis obsessus hostes ad pugnam elicere non poterat, auxilio profectus est: ubi inter duos exercitus intercepti hostes & maxima clade affecti sunt. Samnitibus Hernicisque

a *Liv. L. IX. c.* 43.

ſtipendium, veſtes, frumentum in uſum militum Romanorum imperata ſunt: atque ita deinceps, ubi fieri potuit, hoſtium ſumptibus exercitus
A.U. 448. Romani ali coepti ſunt. Cumque anno ſequente rurſus infeliciſſime Samnites bellum geſſiſſent, Imperatore etiam eorum *Statio Gallo* a Romanis capto, anno demum 449. petentibus iis foedus antiquum eſt redditum. Aequi etiam veteres hoſtes hoc anno rebellaverant [a]: ſed intra dies quadraginta unum & quinquaginta oppida ex iis capta dicuntur. Facile autem intelligi poteſt, talia haec fuiſſe oppida, ut juxta praeſentem rerum in *Europa*, & praeſertim in patria noſtra, faciem vix vicorum nomen tueri potuiſſent; cum tantum partem iſtius agri incoluerint Aequi, qui hodie *Campania Romana* dicitur. Eorum exemplo territi *Marrucini*, Marſi, Peligni, *Frentani* pacem petierunt, impetraruntque.
A.U. 449 Eodem anno [b] *Cn. Flavius* ſcriba, qui aedilibus apparebat, ſumma nobilium indignatione Aedilis Curulis factus eſt [c]. Igitur, ut oculi iis dole-

a *Ibid. c.* 45. b *Liv. Ibid. c.* 46. c *Piſo Annal. III. ap. Gell. N. A. L. VI. c.* 9.

dolerent civile jus repositum in penetralibus Pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut *quando lege agi posset*, sciretur. Idemque formulas actionum, quae anxie in judiciis observabantur, composuit; vel, juxta alios, [a] ab Ap. Claudio compositas vulgavit. Fabius contra Censor hoc eodem anno omnem turbam forensem excretam ex reliquis in quatuor tribus conjecit, ne in humillimorum manu comitia essent, *urbanasque* eas tribus appellavit. Ab eodem institutum dicitur, *ut Equites, Idibus Quinctilibus transveherentur*.

§. VIII. Anno Urbis 451. Aequi aegre patientes coloniam velut arcem suis finibus impositam, summa vi eam oppugnare adorti sunt [b]: & licet ab ipsis colonis essent pulsi tamen magnum Romae terrorem fecere; quia vix credi poterat solos per se Aequos ad bellum coortos. Tamen a Dictatore C. Junio Bubulco, quem ejus belli metus creari fecerat, facile victi sunt. Graecorum etiam classis, quae *Thurios* urbem in *Sallentinis* ceperat, a *M. Aemilio* Consule profligata est;

§. 8. *Bella rursus cum Aequis, Samnitibus aliisque. A.U.* 451.

 &

a *l.* 2. §. 7. *ff. de O. J.* b *Liv. L. X. c.* 1.

& urbs recepta, veterique cultori redita. A. U. 452. a Dictatore *M. Valerio Maximo*, qui ob multiplicem terrorem exortum creatus fuerat, a Marsi sunt fusi, & parte agri mulctati. In Etruria vero Aemilius Magister Equitum absente Dictatore pabulatum egressus foeda strage afficitur: egregia tamen ejusdem cura reliquiae exercitus servatae sunt. Itaque Dictator reversus confestim castra in agrum hostilem promovit. Ibi hostes pecus in conspectum praesidii Romani propellunt, ut eas in insidias elicerent; sed ex peritis linguae, quos se pastoribus jungere jusserat legatus, qui praesidio Romano praeerat, intellexit, *sonum linguae & corporum habitum ac nitorem* cultiora, quam pastoralia esse. Hostes, ubi consilia patuisse vident, in patentem campum signa proferunt. Legatus vero veritus, ut tantam aciem sustinere posset, Dictatorem arcessit. Et hic quidem statim signa ferri, ac sequi armatos jubet b; attamen data opera agmen retentat, & sensim incedere jubet, ut integri viribus fessos adoriri possent: eaque ratione victis Etruscis

a *Ibid. c.* 3. b *Ibid. c.* 5.

cis induciae iterum in biennium datae. Anno Urbis 453. foris nihil admodum memoria dignum est gestum: domi *Ogulnii* Tribuni plebis legem promulgarunt, pervicitque *P. Decius Mus*, *ut Pontificatus & Auguratus honor plebi communicaretur*. a Anno sequente *Nequinum* Umbriae oppidum proditione captum est: colonia eo adversus Umbros deducta *Narniae* nomen a fluvio *Nare* accepit. Etrusci spe auxilii Gallici freti, quod auro se sibi comparasse putabant, adversus inducias bellum parant: sed cum Galli mercedem se belli Romanis inferendi pactos negarent, *quicquid acceperint accepisse*, *ne agrum Etruscum vastarent*, dicentes; postulantesque *certam sedem*, *si auxilium suum vellent Etrusci*, pecuniam ingentem sine labore ac periculo partam retulerunt. Etrusci solo adventu M. Valerii Corvi, qui jam sextum Consul erat factus in locum *T. Manlii* casu ex equo exstincti, compressi sunt. Hic autem Valerius Corvus solus omnium ante *Marium* ad sextum Consulatum pervenit b: vixit annos centum, quadra- *A.U.454.*

O 5 ginta

a *Ibid. c. 9.* b *Plut. Mario p. m. 422.*

ginta quinque annis inter primum & sextum ejus Consulatum interpositis a. Samnites rebellantes hoc eodem anno egregio stratagemate adhibito *Fulvius* Consul vicit: cum enim se numero inferiorem cerneret, simulavit, unam legionem hostium a se corruptam ad proditionem b; imperavitque, *ut quantum quisque numeratae pecuniae, aut auri argentique haberet conferret, ut repraesentari merces proditoribus posset:* quae persuasio Romanis alacritatem & fiduciam, atque inde victoriam attulit. Anno Urbis 455.
A. U. 455. cum Lucanis querentibus, Samnites *fines suos vastare* (anno praecedente jam nunciaverant *Picentes*, Samnites *arma & rebellionem spectare*) foedus est ictum: fuitque Fulvii Consulis clara pugna in Samnio ad Bovianum haudquaquam ambiguae victoriae c. Cum tamen A. U. 456. iterum nunciatum esset gravissimum bellum, tam a Samnitibus, quam ab Etruscis imminere, consensu civitatis seni Fabio Maximo recusanti licet Consulatus delatus

a *Cic. de Sen. c.* 17. *Plin. H. N. VII.* 48.
b *Frontin. Stratag. L. I. c. XI. n.* 2.
c *Liv. L. X. c.* 12. *f.*

latus est; cum lege, qua intra decem annos eundem Consulem reficere non licebat, solutus esset. Etruscis autem consilia de pace agitantibus tota belli moles cum utroque Consule in Samnium versa est: Samnitesque, sed difficili valde praelio, superati a. Apuli quoque se Samnitibus ante praelium conjunxissent, nisi a Decio Consule fuissent fusi; at faciliori multo certamine, cum plus ibi fugae fuerit, quam caedis. Ambo deinde Consules Samnium omne quinque mensium spatio devastarunt: nec destitit etiam Proconsul Decius anno sequen- *A.U.* 457.
te eorum agros populari, donec Samnitium exercitum nusquam se praelio committentem postremo expulit finibus: atque ita occasionem nactus plura eorum oppida cepit.

§ 9. *Bellum etiam cum Etruscis.*

§. IX. At Samnites, qui pulsi Etruriam petierant, ingens ibi bellum ex multis gentibus conciverunt b: quod nec satis scite, nec fortunate ab *Appio* Consule gestum fuit. Addunt quidam, *Volumnium* alterum Consulem a collega literis ex Samnio arcessitum; sed dissimulasse Appium non tantum, (plebe-

a *Ibid. c.* 14. b *Ibid. c.* 18.

(plebejum fuisse Volumnium notandum est) verum etiam rogasse, *satin' salvae res in Samnio essent? Quaeve caussa eum, ut provincia sua excederet, induxisset?* Cumque Volumnius, *res in Samnio prosperas esse, literisque ejus accitum venisse* respondisset, *se nihil eum morari, quin reverteretur*, adjecit. Reversusque fuisset Volumnius, nisi legati tribunique ex Appiano exercitu obstitissent. Ergo invitus fere Appius in aciem protractus fortiter tamen pugnavit, ita ut egregia victoria Consules potiti sint. Volumnius [a] magnis itineribus regressus hostes agrum Campanum populantes caedit; captivosque multos, & ingentem praedam sociorum ab iis recipit: atque inde ad comitia Romam
A.U. 458. reversus Fabium V. Decium IV. Consules creat, [b] tribus jam consulatibus & censura collegas; qui non gloria magis rerum, quae ingens erat, quam concordia clari fuerunt [c]. Populi Senatusque consensu Fabio Etruria provincia extra ordinem decreta est; licet plebeji auctores fuissent Decio, ut rem ad sortem revocaret. Profectus ad

a *Ibid. c.* 20. b *Ibid. c.* 22. c *Ibid. c.* 24.

ad castra Fabius itineribus ac mutatione locorum milites suos, quo salubriores essent, exercuit. Verum, cum bellum illud exspectatione majus inveniretur, Decium sibi adjutorem dari petiit, impetravitque a. Et jam praesentia Consulum necessaria valde erat, cum Galli legionem Romanam, cui praerat *Scipio* legatus, circumvenissent; licet in hac historia tradenda auctores varient. Hoc constat Consules, dum jubent, ut Propraetores agrum Etruscum vastent, ita Etruscos & Umbros ad suos fines tuendos abduxisse; iisque absentibus cum Gallis & Samnitibus conseruisse pugnam. Sed etiam sic res in ancipiti erat b. Ergo Decius paterno exemplo *se pro exercitu Populi Romani Quiritium devovit.* Quo piaculo facto additus est Romanis animus, victoriaque egregia, nec incruenta tamen potiti sunt. In Etruria per eosdem dies res a *Cn. Fulvio* Propraetore ex sententia gesta c. Samnites etiam per Pelignum agrum fugientes a Pelignis caesi sunt; iterumque a L. Volumnio Proconsule Appioque Praetore. Neque ita tamen

a *Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 28. c *Ibid. c.* 30.

men cum Samnitibus debellatum eſt: ſed anno rurſus ſequente etiam ultro caſtra Romana oppugnare ſunt auſi, quaeſtoriumque ceperunt; ita ut in mediis caſtris, nec ſine periculo, dimicaretur; pulſis tamen demum Samnitibus. Sed adventante etiam altero Conſule *L. Poſtumio* receſſerunt Samnites; Poſtumius [a] *Milonia* urbe potitus *Ferentinum* duxit: & illud oppidum, pluraque vicina deſerta ab hoſtibus occupat: cumque in Samnitibus ipſi materia belli deeſſet in Etruriam verſus tres validiſſimas urbes pacem petere coëgit [b]: Alter vero Conſul *Atilius* vario & ancipiti praelio cum Samnitibus pugnavit; ita ut apud utroſque exercitus par eſſet pavor. Samnites, ubi primum illuxit, abire ſine certamine cupiebant: Romani, cum exploratores *vallum ſecum portare Samnites* affirmarent, *non dubium eſſe, quin caſtra circumvallaturi eſſent*, dicebant. Itaque vix compelli potuerunt, ut hoſtibus obviam caſtris exirent: Samnites vero, *exire, id quod timuerint, ad impediendum iter Romanos* fremebant. Cum igitur acie quidem

a *Ibid. c.* 34. b *Ibid. c.* 37.

dem instructa vestigio tamen nemo moveretur, Consul Romanus equitum turmas paucas immisit [a]: at hi pulsi etiam alios metu affecerunt: donec Consul se ipsum iis objecit, cuique qui ad vallum pergeret, sive ille Romanus, sive Samnis esset, mortem minitans. Ita omnes undique annisi hostes ad eum locum, in quo commissa pugna erat, repellunt; ibique ingenti eos strage afficiunt, septem millibus etiam & trecentis suorum amissis. Inde revertens Consul etiam alterum Samnitium exercitum *Interamnatium* agros depopulatum caedit; praedamque iis ereptam summa aequitate dominis suis reddidit, quemadmodum ante biennium etiam fecerat Volumnius [b]; & A. U. 291. Consul *Lucretius* [c]. Utrumque hujus anni Consulem triumphasse ex fastis Capitolinis constat; de quo sibi parum liquere ob Annalium diversitatem tradit Livius [d]. Anno Urbis 460. Samnites omni ope bellum reparaverunt, jurejurando etiam, sive carmine potius *A. U. 460.*

a *Ibid. c.* 36. b *Liv. L. X. c.* 20. c *Id. L. III. c.* 10. *Vid. de hac re Grot. de I. B. P. L. III. c.* XVI. §. 2. d *L. X. c.* 37.

tius diro in execrationem capitis, familiaeque & stirpis composito ad fortiter pugnandum adactis militibus; obtruncatisque circa altaria, qui juraturos se esse abnuissent. Sed *Papirius* Consul paterna suaque gloria clarissimus, dum collega *Carvilius* destinendo hosti *Cominium* oppugnat, summo militum ardore hostes adoritur, pullario etiam auspicia mentiri auso a, & *tripudium solistimum* nunciante, cum tamen pulli pasci noluissent. Exaudita tamen fuit veritas, & Consuli a fratris filio renunciata, qui religionem in eum qui falsi aliquid nunciasset rejecit: ac cecidit quoque pullarius ante, quam concurretur, emisso temere pilo ictus. Nec prohibuit Samnites facta detestatio quo minus fugerent; hostes suos magis, quam jurisjurandi religionem metuentes. Ergo castris & urbe captis maxima clades Samnitibus illata fuit b: & ex armis Samnitium hoc praelio captis Colossus Jovi in Capitolio factus est c. Cominium etiam ab altero Consule captum fuit: utrumque opidum igne injecto

a *Ibid. c.* 40. b *Ibid. c.* 42. c *Plin. H. N. L. XXXIV. c.* 7.

injecto deflagravit a: *Volana* praeterea, *Palumbium*, *Herculaneum* a Carvilio ex Samnitibus capta. Sed nunciata Etruscorum rebellione ex Senatusconsulto exercitum in Etruriam duxit; dum Papirius *Sepino* etiam in Samnio capto insignem, ut illorum temporum habitus erat, ex ea regione triumphum duxit. Interea Carvilius etiam in Etruria, & contra Faliscos, qui post multorum annorum amicitiam desciverant, feliciter adeo res gessit, ut & illae honore triumphi dignae esse viderentur. Tantaque ob has victorias fuit laetitia, ut *tum primum coronati* ob res bello bene gestas *ludos spectaverint* Romani b.

§. X. Anno Urbis 461. Consul fuit *Q. Fabius Maximus Gurges* Q. Fabii Maximi Rulliani, quem saepius jam memoravimus, filius, licet constanter cum Populo egisset pater, *ut aliquando vacationem hujus honoris Fabiae genti daret* c. Et sane male adeo adversus Samnites pugnavit, ut in Senatu de removendo eo ab exercitu ageretur d. Sed deprecatus est pater

§. 10. *Continuatio belli Samnitici.*
A. U. 461.

P hanc

a *Liv. L. X. c.* 44. b *Liv. Ibid. c.* 47.
c *Val. Max. L. IV. c.* 1. *n.* 5. d *Epit. Liv. XI.*

hanc sibi ignominiam, pollicitus, *se legatum filio suo iturum esse*: atque ejus opera & consiliis filius Consul adjutus caesis Samnitibus triumphavit: atque C. Pontium Samnitium Imperatorem, qui quondam ad Caudinas furculas Romanos sub jugum miserat, in triumphum ductum securi percussit: quae tamen anno demum sequente facta esse ex fragmentis Tabularum Capitolinarum constat. Eodem anno, cum civitas pestilentia laboraret, oraculorum monitu legati *Epidaurum* sunt missi (*Argiae* in *Peloponneso* urbs fuit, hodie *Malvasia*) qui *Aesculapii* signum inde Romam transferrent. Anguem, sub cujus forma Deus ille colebatur, secum deportaverunt; qui sponte in insulam Tiberis egressus fertur [a]; ibique illi, tanquam eas sedes elegisset, templum structum fuit.
A.U. 462. Habuit annus, quo Romam advectus est Aesculapius, Consulem L. Postumium III. qui malo exemplo, ut quondam Appius Claudius se ipsum Decemvirum fecerat, comitiis, quae ipse Interrex habebat, Consul declaratus

a *Ovid. Met. L. XV. v.* 739. *Plut. Quaest. Rom. n.*93. *sive p. m.* 286.

ratus fuerat. Neque minore arrogantia magiſtratum geſſit, quam ceperat, Samnitici belli adminiſtrationem ſibi extra ordinem ſumens, Fabiumque Proconſulem in Samnio res gerentem provincia excedere cogens; ita ut invidia Poſtumi multum Fabio ad triumphum impetrandum profuerit; ipſi vero, licet Cominium aliaque oppida Samnitibus eripuiſſet, triumphus fuerit negatus. Ita omnibus exoſus accuſantibus Tribunis plebi ingenti mulcta damnatus eſt. Anno demum ſequente Samnites a Conſulibus *P. Cornelio* (fuit hic *Sullae* Dictatoris atavus) & *M' Curio Dentato* agrorum ſuorum populationibus, ruinis urbium, aliiſque ingentibus cladibus ad pacem ſerio petendam compulſi ſunt. Igitur Conſuli Curio foco in ſcamno aſſidenti, atque ligneo catillo coenanti magnum auri pondus publice miſerunt, a quo cum riſu repudiati ſunt [a], cum diceret, non aurum habere praeclarum ſibi videri; ſed aurum habentibus imperare. Itaque poſt annos quadraginta novem (ut Eutropius di- *A. U. 463.*

P 2 cit

a *Cic. de Senect. c.* 16. *Val. Max. L. IV. c.* III. *ex.* 5.

cit *L. II. c.* 9. sed verius post annos quinquaginta quatuor; coepit enim anno urbis quadringentesimo decimo) hoc bellum confectum fuit: nam quod etiam postea bellum tentaverint, non magni momenti negotium fuisse videtur.

§. XI. *Bella cum Sabinis, Lucanis, &c.*

§. XI. In eodem magistratu Curius Sabinos longa tum pace opulentos, atque inde, ut videtur, per protervian Romani juris loca quaedam invadentes vicit; eaque expeditione ad mare *Hadriaticum* (ita enim rectius scribitur) a usque pervenit; coloniaeque *Castrum*, *Senam*, atque Hadriam deductae sunt b: Sabinis victis civitas sine suffragio est data c. Ergo duos hoc anno triumphos egit Curius; alterum nempe de Samnitibus, alterum de Sabinis. Lex etiam de Lucanis bello persequendis hoc anno est lata d; quod *Thurinos* Populi Romani socios
A.U. 465. hostiliter infestassent: sed anno demum sequente hoc bellum gestum videtur. Eodem etiam anno *L. Papirius*

a *Vid. Cellar. Geogr. Ant.* b *Liv. Epit. XI. Polyb. L. II. c.* 19. *A. demum* 470. *Senam deductam dicit.* c *Vell. Paterc. L. I. c.* 14.
d *Plin. H. N. XXXIV. c.* 6.

rius Turdus legem *de Treviris capitalibus quotannis a Praetore creandis* tulit a. Anno Urbis 466., cum foris res satis laetae essent, ingens rursus domi seditio est exorta propter aes alienum; ita ut plebs tandem in montem Ianiculum secederet. Ergo Dictator *seditionis sedandae caussa* creatus est *Q. Hortensius*, quem leges concordiae utiles tulisse facile conjici potest, cum hinc ad tempora Gracchana (spatium est centum quinquaginta quinque annorum) nulla periculosa seditio in Urbe invaluerit: sed universas fere leges illas injuria temporum abolevit. Hoc tamen tradunt auctores in margine citati b *lege Hortensia* sancitum fuisse, *uti quodcunque plebs jussisset, omnes Quirites teneret*; cum antea plebiscitis patricii non tenerentur. Vidimus tamen supra *hujus libri c.* 4. §. 3. similem legem ab Horatio Consule fuisse latam; & *c.* 8. §. 3. a Publilio Dictatore relatam A. U. 414. Verum potest fieri, ut non semper fuerit observata; sed

 jam

a *Liv. Epit. d. Vid. Festum V. Sacramentum.*
b *Laelius Felix. ap. Gell. XV.* 27. *Plin. H. N. XVI.* 10. *Pomp. l.* 2. §. 8. *ff. de O. I. Justin. Institt. de I. n. G. &c.* §. 4.

jam praeterea haec novis capitibus sanctionibusque firmioribus fuerit munita. Hic idem Dictator etiam in gratiam plebis videtur tulisse legem, *ut nundinae fastae essent, uti rustici, qui nundinandi caussa in Urbem veniebant, lites componerent* a.; cum prius feriae fuissent, quibus Praetorem fari non licebat. His factis Hortensius, quod nulli Dictatori ante contigerat, in eodem magistratu exspiravit b. Hoc etiam tempore, & ejusdem secessionis occasione videtur lata fuisse *Lex Maenia, ut Patres ante inita suffragia Populi auctores fierent ejus rei, quam Populus Romanus jussurus erat*; quam legem jam in tribunatu agitaverat M' Curius c A. U. 455. In fragmento, quod ex tabulis Capitolinis esse videtur, invenitur hoc eodem anno Dictatorem fuisse A. Fabium Maximum Rullianum, quae tertia ejus Dictatura fuerit: & ob Gallici, Umbrici, & Etruscorum Volsiniensiumque belli reliquias ei delata fuisse videtur. Sed defectu historiae Livianae aliorumque

a *Macrob. Saturn. L. I. c.* 16. b *August. de Civ. D. L. III. c.*17. c *Cic. de clar. Or. c.* 14. *S. Aur. Victor. de vir. ill. in Curio.*

rumque auctorum veterum horum aliquot annorum res gestae in occulto jacent. Anno Urbis 470. Lucani, *A.U.* 470. *Bruttii*, Samnites cum Etruscis & *Senonibus* Gallis bellum contra Romanos moliti sunt a; legatique ad exorandos Gallos missi ab iisdem interfecti sunt. Ergo cum imperio extra ordinem adversus eos missus est *L. Caecilius Metellus* Praetor b; eique in praelio occiso suffectus est M' Curius Dentatus. Discrepat tamen aliquantulum Polybius, qui *Arretium* a Gallis obsessum liberare volentes Romanos cum Caecilio Praetore occisos fuisse scribit: posteaque legatos a Curio in Galliam missos caesos fuisse addit; atque ita demum eam injuriam a Romanis fuisse vindicatam, Senonibusque pulsis civitatem eorum coloniam Romanam fuisse factam; *Senamque* appellatam. Florus vero *L. I. c.* 13. ab ejusdem anni Consule *Dolabella* in Etruria ad lacum *Vadimonis* omnes Gallorum Senonum reliquias deletas dicit: ad quem lacum Polybius *L. II.* *c.* 20.

a *Oros. L. III. c.* 23. *& videtur eodem respicere August. de Civ. Dei L. III. c.* 17. b *Polyb. L. III. c.* 19.

c. 20 Gallos *Bojos* & Etruscos caesos fuisse narrat, eosdem tamen iterum defecisse, iterumque victos aegre tandem submisisse animos adjicit. Sed viam jam ad famam Romanorum extra Italiam propagandam, & ad victorias transmarinas occasione belli Tarentini parabat providentia: de quo jam capite sequenti dicturi sumus.

CAPUT NONUM.

A. U. 472. *De bello Tarentino, & cum Pyrrho Rege.*

§. 1. *De Tarento, & occasione belli Tarentini.*

§. I. *Tarentum* urbs fuit *Calabriae*, sive illius partis Italiae, quae *Magna Graecia* dicebatur, *quod Graecorum coloniis plena esset; quodque Graeci per ambitionem, licet falso, eam tota Graecia majorem esse* jactarent [a]. Antiquissima quidem haec urbs fuit: quippe quae a *Tarante* quodam Heroë Neptuni filio condita fuisse dicatur [b]: sed postea occupata fuit a *Phalantho Partheniarum* e *Laconia* duce circa Olympiadem XXI. quo

a *Vid. Plin. H. N. L. III. c.* 5. b *Pausan. Phoc. c.* 10.

quo tempore Numa Romae regnabat. Inde ob commoditatem portus immensis divitiis aucti cives luxui se totos tradiderunt; unde *molle Tarentum* dicitur *Horatio Serm. L. II. Sat. IV. v.* 34. & *imbelle* eidem *Epistolarum L. I. Ep. VII. v.* 45. *Juvenali* vero *Sat. VI. v.* 267. *coronatum & petulans, madidumque Tarentum.* Et sane *petulantia* civium exitii caussa ipsis fuit. Cum enim forte classis Romana, tanquam ad socios & amicos, litori eorum adnavigasset, Tarentini ludos tum forte in theatro, quod mari imminet, celebrantes ut hostilem, & cum summo contemptu invadunt, *Qui, aut unde essent Romani?* rogantes [a]. Addunt quidam classis praefectum occisum [b], bonaque Romanorum direpta fuisse. Ergo *Postumius* legatus, qui de his injuriis expostularetur, ad eos missus fuit. Sed hunc theatrum (ubi Graecorum more de summa Republica consultare solebant [c]) ingressum, postquam non satis ad exactissimam Graeci sermonis

 nor-

a *Flor. L. I. c.* 18.
b *Oros. L. IV. c.* 1.
c *Actor. XIX.* 29. *Cic. pro Flacc. c.* 7.

normam loqui animadverterunt a, per ludibrium ejecerunt: imo scurra quidam nomine *Philonides*, qui *Cotylæ* a *vinolentia* dicebatur, (κοτύλη *omne cavum* significat, & in specie etiam *poculi genus*) legatum, quem ejecerant, sublata veste perminxit: quod cum riderent Tarentini, *Ridete*, inquit *ridete, Tarentini, dum licet; nam posthaec diu flebitis*. Ad quas minas, cum nonnulli exacerbarentur, *&*, *ut magis*, inquit, *stomachemini hoc quoque vobis dicimus, fore, ut hanc vestem multo sanguine eluatis*. Ita Romam reversus legatus contumeliam sibi factam narravit: unde tanta indignatio est orta, ut confestim bellum iis indicendum Senatus decreverit: decretum Senatus Populus ratum fecit.

§. 2. *Belli cum Tarentinis successus.*

§. II. Ergo *Aemilio* Consuli bellum Tarentinum decernitur: qui tamen primum Tarentinorum animos tentavit idoneis verbis b, aequis conditionibus pacem amplexuros esse ratus. Sed vicit apud hos juvenum sententia, qui bellum malebant. Carthaginienses, fama hujus rei accepta, centum

a *Dion. Hal. excerpt. de legat. c.* 4.
b *Zonaras Annal. T. II.*

tum & triginta navium classem Romanis auxilio miserunt: verum duci eorum respondit Senatus, *Populum Romanum bella suscipere solere, quae suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reduceret* [a]. Aemilius itaque agrum hostilem vastat; egressosque hostes cum clade in urbem repellit. Tarentini vero viribus suis diffisi *Pyrrhum* Epiri Regem in auxilium advocant; atque interim ducem sibi constituunt *Agidem* quendam Romanis satis amicum. Verum hujus consilio pacem jam agitantibus supervenit cum exercitu, *Cineas* Pyrrhi legatus [b] (Pyrrhus enim Tarentinorum societatem opportunam sibi ducebat, cum ita viam sibi ad subjugandam Siciliam, *Sardiniam* ipsamque Carthaginem aperire videretur.) Igitur etiam cum altero exercitu *Milonem* mittit; cui libenter, quod laborem fugerent, arcis & murorum custodiam permisere Tarentini, imperio Agidi jam dudum abrogato. Aemilius adventu militum Pyrrhi cognito recessit: cumque in angustiis quibusdam faucibus, quas

a *Val. Max. L. III. c.* 7. *ex.* 10.
b *Vid. Plut. Pyrrho p. m.* 391.

quas transire cogebatur, iter ei interclusissent Tarentini, captivos eorum praemittit: at illi veriti, ne suos pro Romanis conficerent, destiterunt. Pyrrhus interea non exspectato vere anni sequentis cum magno lectissimoque exercitu, quem mira alacritate conscripserat *elephantis*que praeterea viginti (qui tum primum in Italiam venerunt; & a Romanis, quod eos in *Lucania* primum vidissent, *Boves Lucae* sunt dicti) in Italiam trajecit [a], magno suo exercitusque etiam sui periculo, & multis suorum amissis. Sed brevi Tarentinos arcessiti auxilii peregrini poenituit. Pyrrhus enim statim ex junioribus eorum delectum egit; eosque manipulis suorum inseruit, ne contra se aliquid moliri possent. Theatrum etiam clausit, coetibusque conviviorum & comessationnm interdictis adolescentes aut in armis exerceri, aut in foro totos dies agere jussit [b]. Et ne quis se ex urbe subduceret, custodias in portis posuit. Eos vero, quos vel favoris erga Romanos suspectos habebat, vel Reipublicae

a *Pausan. Attic. c.* 12.
b *Plut. Pyrrho p.* 292.

blicae gerendae noverat idoneos, partim clam sustulit; partim ex quaesitis caussis ad filium in Epirum misit. Inter eos fuit *Aristarchus*, vir summus apud Tarentinos; quem certi negotii caussa navigare in Epirum Pyrrhus jussit: ille vero obedientiam simulans Romam est profectus, Senatumque de multis ac magnis rebus edocuit. His rebus intellectis Romanos jam cura bellicosissimi Regis ceperat; delectibusque agendis & pecunia cogenda strenue bellum apparabant: nec immerito, cum omnes sui temporis Imperatores peritia rei militaris superaverit, in acie praecipue instruenda, castris metandis, stratagematibus inveniendis versatissimus [a]; & libris de ea arte editis clarus [b]. Accessitque scelus *Decii Jubellii* Tribuni militum; quod sociorum animos a Romanis alienare erat aptissimum. Cum enim *Rhegium* oppidum in extrema Italia, ut haec tempora ferebant, opulentum, tum Pyrrhi, tum Carthaginiensium metu praesidium Romanorum expetivisset, missus eo est cum legione

a *Donat. in Ter. Eun. IV.* 13.
b *Plut. Pyrrho p. m.* 387.

legione ex Campania conſcripta Decius. Hic vero urbis occupandae opportunitatem ſibi natam ratus literas fingit tanquam a *Rheginis* ad Pyrrhum arceſſendum datas; atque ita proditionis ulciſcendae ſpecie principum alios obtruncat, alios patria ejicit; novamque Republicae formam inſtituit. Sed diſſenſione de praeda dividenda, ut inter latrones, orta Decius ejectus (*Meſſanam* confugit; ibique morbo oculorum correptus eſt; & medici dolo coecus factus.

§. 3. *Bellum porro cum Pyrrho geſtum.* *A. U.* 473. §. III. Anno Urbis quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio *P. Valerius Laevinus* Conſul, ut bellum quam longiſſime a finibus Romanorum averteret, ſociorumque mobiles ad defectionem animos in fide retineret, cum exercitu in Lucaniam contendit: interque *Pandoſiam* & *Heracleam* urbes ad *Sirim* amnem, qui in ſinum Tarentinum effunditur, conſedit. Cumque Pyrrhus praelium detrectaret, Romanos brevi in regione hoſtili omnium rerum inopia laboraturos eſſe ſperans, Laevinus prior pugnam laceſſivit: ſed licet fortiter & Dux & miles rem gererent, terrore praecipue elephanto-

rum

rum virtuteque *Thessalici* equitatus Romani sunt victi. Majorque clades fuisset accepta, nisi ex elephantis unus accepto vulnere conversus suorum aciem turbasset. Tot tamen etiam ex victoribus ceciderunt, ut Pyrrhus victoriam gratulantibus responderet, *vereri se, ne, si iterum sic vicisset, sine milite in Epirum reverteretur*: quod tamen alii post ultimum cum Romanis praelium eum dixisse voluit [a]. Additur, quoque Pyrrhum cum Romanos omnes vulneribus honestis & in hostes versos oppetiisse vidisset, magna voce exclamasse, *Quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me duce Romanis!* Imo ipse etiam juxta quosdam graviter vulneratus fuit [b]. Sed auctus Lucanorum, Bruttiorum, Samnitiumque auxiliis Campaniam populatus Praeneste usque pervenit [c]; Capuam tamen & Neapolin frustra occupare conatus. At cum omnia Romae in armis esse intelligeret, novoque delectu habito *Ti. Coruncanium* Consulem sibi occurrere, dum Laevinus a tergo

a *Plut. Pyrrh. p.* 397. b *Justin. L. LXVIII. c.* 1. c *Plut. Pyrrho p.* 394.

tergo instaret, metu ne circumveniretur in Campaniam regressus est. Hinc vero, cum Romanis nequaquam animos minutos esse vidisset, Cineam legatum de pacis conditionibus acturum Romam mittit, muneribus additis; quae proceribus Romanis, eorumque uxoribus traderet. Verum ea a nemine admissa sunt. In Senatu tamen Cineas blanda oratione adeo animos moverat, ut plures ad pacem inclinaturi fuissent, nisi Ap. Claudius, qui caecitatis & senectutis caussa jam dudum Reipublicae administratione abstinuerat, hac re audita lectica se in Senatum deportari jussisset; & gravi oratione pacem dissuasisset [a]. Responsum itaque est, *prius Italia excederet Pyrrhum debere, antequam de pace, aut societate cum eo ineunda agi posset.* Et tanta his temporibus Senatus erat veneratio ut Cineas diceret [b], *Regum sibi illum consessum visum fuisse.* Missus est tamen cum aliis legatus ad Pyrrhum, qui de redimendis captivis ageret, *C. Fabricius*; quem frustra auro delinire Rex conatus est. Nec magis terrore commoveri potuit.

Cum

a *Vid. Cic. de Senect, c.6.* b *Flor. L. I. c.* 18.

Cum enim imperasset Pyrrhus, ut dum cum Fabricio colloqueretur, elephas ipsi post aulaeum interpositum admoveretur, subitoque bellua proboscidem supra caput Fabricii extendisset, simulque vocem horrendam emitteret, ipse nihil territus, *Non magis*, inquit, *o Rex elephas tuus hodie me commovit, quam heri aurum.* Super coenam vero, cum Cineam differentem audiret de *Epicuro* philosopho (vivebat enim hoc ipso tempore Epicurus, quippe qui mortuus est Olympiadis CXXVII. anno secundo, qui fuit Urbis quadringentesimus octuagesimus secundus) a *summum* illum *bonum in voluptate collocare; Reipublicae procurationem, quasi vitae beatae noceat, devitare; Deos, affirmare, a beneficentia & ira & cura nostri remotos otiosam & voluptatibus affluentem vitam agere; Vah*, inquit Fabricius, *Pyrrho haec praecepta & Samnitibus, dum nobiscum bellum gerunt, cordi sint* b. Admiratus egregiam viri mentem Pyrrhus invitavit, *ut, postquam de pace convenisset, se in Epirum*

Q comi-

a *Diog. Laërt. L. X. segm.* 15.
b *Plut. Pyrrho p. m.* 395.

comitari & secum aetatem exigere vellet, primum inter amicos locum ipsi offerens; & quartam regni partem, ut alii [a], sed minore veri similitudine tradunt. At responsum, quod Fabricio tribuitur, cum cetera ejus sapientia minus mihi convenire videtur. Fertur enim dixisse, *Non ex re Regis fore, si hoc faceret; illos namque ipsos, qui nunc Pyrrhum venerarentur, siquidem se Fabricium plene pernovissent, eum sibi Regem praeoptaturos esse.* Quod tamen mihi quidem, ut dixi, nimiae arrogantiae fuisse videtur. Tanti tamen celsitudinem hanc animi fecisse dicitur Pyrrhus, ut captivos unius Fabricii fidei crederet, ea lege, *ut si pacem abnuisset Senatus, salutatis propinquis, & Saturnalibus celebratis ad se reverterentur.* Nec cessit hac parte generoso Regis animo Senatus: peracto enim festo statim eos remisit; & si quis domi remansisset, mortis supplicio affectus fuit. Praeterea cum medicus Regis Consulibus obtulisset, si dignum facinoris pretium ostenderetur, se veneno regem necaturum esse, monuerunt Regem, ut insidias caveret;

[a] *Eutrop. L. II. c. 12. Sex. Aur. Vict.*

ret; meliusque in futurum amicos ab hostibus distinguere disceret [a]. Medici tamen nomen non addiderunt, ne eum, qui bene mereri paratus fuerat, proderent. Quin tanta hoc tempore virtus Romanorum fuit, ut simul cum hoc gravissimo adversus Pyrrhum bello etiam cum Etruscis bellum gererent; & quidem ea fortuna, ut belli illius reliquias Consul Coruncanius sustulerit: nullam enim deinceps belli cum Etruscis mentionem invenimus ante ultimum bellum, quod anno Urbis quingentesimo duodecimo confectum fuit. Triumphasse enim hoc anno Coruncanium de Volsiniensibus & *Vulcientibus* Etruscis ex tabularum Capitolinarum fragmentis constat; quemadmodum etiam collegam ipsius in Consulatu *L. Aemilium Barbulam* de Tarentinis Samnitibus & Sallentinis triumphum egisse ex iisdem tabulis discimus.

§. IV. Anno sequente bellum contra Tarentinos & Pyrrhum ambobus Consulibus est decretum: & magno praelio ad *Asculum* Apuliae urbem concursum fuit. Ibi, cum ob loci inae-

§. 4. *Finis belli cum Pyrrho.* *A.U.* 474.

a *Plut. Pyrrh. p.m.* 396. *Gell. L. III. c.* 8.

inaequalitatem elephantorum nullus usus esset, post multam utrimque stragem editam nox praelium diremit. Postridie Pyrrhus, ut aequabili loco pugnare cogerentur Romani, difficiliora loca praesidiis occupavit: Romani vero, ut gravem armaturam, antequam belluae ingruere possent, impellerent, acriter gladiis certaverunt vulnerum & caedis immemores; atque ita, postquam diu pugnatum esset, initium fugae eo loco coepisse dicitur, ubi Pyrrhus agebat [a]. *Hieronymus* tamen historicus antiquus memoriae prodidit, de Pyrrhi exercitu tantum tria millia quingentos & quinque cecidisse, sex vero millia ex Romanis, quod castra Pyrrhi haud procul abessent. *Frontinus stratagematum L. II. c. 3. ex.* 20. quadraginta millia utrinque fuisse dicit: Pyrrhum dimidiam partem exercitus, Romanos quinque millia suorum desiderasse. Certe non nisi difficillime victoriam adeptos Romanos constat: licet in tota hac historia tradenda scriptores admodum varient. Videtur etiam posse colligi ex Cicerone *Tusculanarum quaestionum*

a *Plut. Pyrrho p. m.* 396.

stionum L. I. c. 37. & *de Finibus bonor. & mal. L. II. c.* 19. alterum Consulem Decium paterno avitoque exemplo se pro exercitu devovisse, atque occubuisse; quanquam alii auctores silentio hoc praetereant. Ex Zonarae vero narratione videtur posse deprehendi, devovisse quidem se Decium, sed non fuisse caesum, cum mandatum dedisset Pyrrhus, ut vivus potius comprehenderetur. Et licet Zonarae quidem per se non magna sit auctoritas, quippe Graeculi hominis, qui ante sex, vel septem demum saecula vixit, tamen videntur ejus aetate *Constantinopoli* adhuc superfuisse scriptores hodie deperditi, ex quibus sua haurire potuit. In hac rerum incerto illud tamen scimus, superiores fuisse Romanos. Tarentum enim Pyrrhus concessit, non persequentibus tamen Romanis, quod magnitudinem cladis, quam etiam ipsi acceperant, satis arguit. Itaque anno sequente cum *A.U.* 475. a *Syracusanis*, *Agrigentinis* & *Leontinis* quibusdam (seditione enim laborabant Siculi a) evocatus esset, in Siciliam cum magna exercitus parte trajecit.

a *Plut. Pyrrh. p.m.* 397.

Fabricius vero Consul de Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, Samnitibus triumphavit [a]. Pyrrho autem in Siciliam appulso civitates certatim se tradiderunt: bellumque jam cum Carthaginiensibus animo agitabat. Carthaginienses enim foedus cum Romanis inierant legibus, quae sequuntur [b]: *si societatem cum Pyrrho Populus Romanus, aut Carthaginiensis inierit, foederis legibus uterque caveto, ut si alterutrius ditionem hostis invaserit, sibi opem ferre liceat. Utriutri opus auxilio habuerint, naves a Carthaginiensibus praebentor & ad iter & ad praelium. Stipendia suis utrique danto. Carthaginienses etiam mari, si opus erit, auxiliantor. Socios navales nemo invitos navibus exire cogito.* At in hoc bello apparando imperiose & dure cum Siculis egit, multos sibi suspectos e medio tollens, ita ut ex populari in tyrannum verteretur [c]. Sed hac ipsa caussa sublapsae ejus res retro referri coeperunt; ita ut aliae civitates ad Carthaginienses, aliae ad *Mamertinos* deficerent. (Mamertini Messanam urbem inco-

a *Marmora Capitol.* b *Polyb. L. III. c.* 25.
c *Plut. d. l. p.* 396.

incolebant.) Commodum itaque honori Regis literae a Samnitibus & Tarentinis allatae sunt, quibus opem ejus implorabant, quod a Romanis ad angustias redigerentur. Color ergo hic fuit, ne pro fuga discessus ejus haberetur. Et tamen etiam verum erat, Consules collatis viribus Samnium *A.U.* 476. vastare, ita ut Samnites res suas in abruptos montes aviosque scopulos conferrent. Atque etiam alterum Consulem *C. Junium Brutum Bubulcum* de Lucanis & Bruttiis triumphasse fasti docent: ut etiam anno sequente *Q. Fabium* Consulem; de quibus tamen triumphis apud auctores altum est silentium. Alter hujus anni Consul erat P. Cornelius Rufinus II. vir belli quidem peritus; sed avaritiae nomine infamis. Mirabantur igitur homines, Fabricium spectatissimae integritatis virum [a] in comitiis caussam Rufini contra competitores ejus enixe provehere: quibus facete respondit Fabricius, *Nihil mirum videri debere, si difficillimis temporibus compilari se, quam venire mallet* [b]. Et bene

a *Val. Max. L. IV. c.* 4. *n.* 10.
b *Gell. L. IV. c.* 8.

bene ſane rem geſſit Rufinus Lucanis & Bruttiis afflictis; & Crotonem, quae defecerat praeſidio *Epirotarum* recepto, dexteritate potius ingenii, quam vi recepit [a]. Pyrrhus autem, cum ex Sicilia diſcederet, fertur ad comites ſuos converſus dixiſſe, *Quam, o amici, palaeſtram Carthaginienſibus & Romanis relinquimus?* Quod veriſſimum prudentis Regis praeſagium fuiſſe eventus mox comprobavit. In ipſo trajectu cum *Poenis* confligere Pyrrhus coactus fuit; ac magna parte navium ſuarum amiſſa in Italiam potius fugit, quam venit. Transgreſſum ſtatim invaſere Mamertini: ſed Pyrrhus, cum ipſe praeſens fortiſſime pugnaret, ita ut barbarum ſe invadentem medium diſſecuerit, viam reliquam
A.U. 478. ſibi tutam praeſtitit. Inde partem exercitus in Lucaniam adverſus alterum Conſulem mittit: ipſe reliquam partem adverſus Curium duxit, ſi ante quam auxilia adventarent, ipſius exercitum profligare poſſet. Sed Conſul primam ejus aciem (per errorem enim viea milites Pyrrhi non omnes ſimul advenire potueruut) caedit elephantoſque aliquot

a *Frontin. Strat. L. III. c. 6. ex. 4.*

aliquot capit: eoque successu elatus & castris egressus plenam ab hostibus victoriam reportat. Atque ea victoria tantum fiduciae animis Romanorum addidisse videtur, ut inde statim de imperio extra Italiam proferendo cogitare coeperint. Pyrrhus vero omni spe ulterioris adversus Romanos successus abjecta in Graeciam est reversus anno sexto postquam in Italiam venerat: ibique anno Urbis quadringentesimo octogesimo cum nocturna invasione *Argos* urbem ingressus esset, a muliercula, cujus filium occiderat, tegula e tecto projecta interfectus est. Reliquerat autem Tarenti Milonem Praefectum: sed ille ab ipsis Tarentinis, quod male eos vexaret, in angustias redactus anno Urbis 481. arcem Tarentinorum *Papirio* Consuli tradidit. Addit epitome Liviana *L. XIV.* & *Orosius L. IV. c.* 3. Carthaginienses Tarentinis contra Romanos auxilio venisse; atque ita ab iis foedus primum fuisse violatum. Nam *Tarentinis* in epitome Liviana esse legendum, non *Mamertinis*, ut habent editiones *Gryphii* A. 1554. *Gruteri* 1609. 8. *Clerici* 1710. docet

A. U. 480.

A. U. 481.

Q 5 ad

ad eum locum Sigonius.

§. 5. *Alia bella post fugatum Pyrrhum.* §. V. Eodem anno ab utroque Consule bellum Samniticum, quod per annos plus quam septuaginta continuatum fuerat, confectum fuit: Tarentinisque pax & libertas data est a. Atque ita, Etruscis etiam & Gallis paulo ante debellatis tota fere Italia (ut tum scilicet finiebatur, Gallia Cisalpina nondum eo nomine comprehensa) in potestatem Romanorum venit: nisi quod de Sallentinis *Messapiis*que A. etiam 487. ab utroque Consule triumphatum fuit; otioque Romanis dato legio Campana, quae Rhegium occupaverat, obsessa: &, deditione facta, tota, millia hominum quatuor, in foro Romano securi percussi sunt b. Nisi verior alicui videatur sententia Polybii *L. I. c. 7.* qui pertinaciter adeo urbem ab ipsis defensam dicit, ut tantum paulo amplius trecentis in potestatem redegerint, securique percusserint Romani.

A. U. 483. Hinc cum Umbris bellum est gestum: nam de *Saffinatibus* Umbriae populis anno Urbis quadringentesimo octuagesimo tertio triumphasse *Cn. Cornelium*

a *Liv. Ep. XV.* b *Liv. L. XXVIII. c.* 28.

lium Blasionem Consulem docent reliquiae marmoreorum fastorum. Anno vero sequente novum bellum cum Picentibus (quorum regio hodie *Marchia Anconitana* dicitur) exortum est a : sed anno statim quadringentesimo octogesimo quinto ipsis victis, captoque capite gentis *Asculo*, (diversum enim hoc est ab Asculo Apuliae, de quo supra diximus) pax data est: cum anno praecedente primum argenteus nummus Romae signatus esset ex argento, ut videtur, a *Ptolemaeo Aegypti* Rege legatis Romanorum A. U. 480. dono data. Colonia in Picenum *Ariminum* deducta est, ut in fide ea gens retineretur. Eodem anno adhuc cum Umbris bellum gestum fuisse videtur: nam de hujus anni Consule *Ap. Claudio Crasso* cum Pighio intelligenda esse censeo, quae narrat Valerius Maximus *L. VI. c.* 5. *ex.* 1. eum Camerinos (qui in Umbria fuerunt juxta Strabonem, *Ptolomaeum* & alios) ductu atque auspiciis suis captos sub hasta vendidisse: quod Senatus aegre ferens, quia parum liquida fide ab Impera-

a *Eutrop. L. II. c.* 16.

peratore gestum erat, maxima cura requisitos redemit: iisque habitandi gratia locum in Aventino monte adsignavit & praedia eis restituit. Utrumque Consulem hujus anni de Picentibus triumphasse ex fastis Capitolinis patet; & tanta victoria fuit ut Picentium CCCLX. millia simul in fi-
A.U.486. dem venerint. Anno Urbis quadringentesimo octuagesimo sexto Sallentinis [a] & Messapiis bellum est illatum, & Brundusium urbs ab illis capta; unde frequentissimus postea in Graeciam trajectus fuit. Praetextus quidem belli erat, quod cum Pyrrho arma junxissent: sed vera ratio fuisse videtur, ut commodissimum illum ad trajectum in Graeciam portum occuparent Romani; cum illa ratione facillime victorias suas etiam Orientem versus extendere possent. Addit Zonaras, Romanos urbe potitos eo colonos misisse: sed Livius (ut ex epitome ejus decimanona constat) & *Vellejus Paterculus L.* 1. *c.* 14. *Torquato* demum *Semproniоque* Consulibus, sive anno Urbis 509. hoc factum fuisse referunt: quibus adversari nolim.

a *Plin. H. N. III. c.* 13.

lim. Sed hoc anno jam Brundusium in potestatem Romanorum venisse patet ex Valerio Maximo *L. VI. c. 6. ex. 5.* ubi narrat, Aediles hujus anni *Q. Fabium* & *Cn. Apronium* legatos *Apolloniatium* orta contentione pulsasse: eosque a Senatu per feciales fuisse deditos, Quaestoremque cum iis Brundusium ire jussum, ne quam in itinere a cognatis deditorum injuriam acciperent. Anno Urbis quadringentesimo octogesimo octavo Volsiniensibus libertorum & servorum conjuratione oppressis, cum Romanorum opem per legatos implorassent, *Q. Fabius Gurges* Consul auxilio missus est; a quo superati sunt servi, & in urbem compulsi. Zonaras, Consulem Fabium ex vulnere obiisse dicit: eaque fiducia servos erupisse adjicit: sed ab altero Consule ad deditionem coactos, & cum cruciatu necatos fuisse, urbe etiam eversa indigenisque & servis, qui in fide manserant, alio translatis. Verum hoc de *Fulvio* anni insequentis Consule intelligendum esse columnae Capitolinae docent, triumphum ejus de Volsiniensibus referentes. Ita Italia omnis in potestatem redacta in

A. U. 488.

qua-

quatuor provincias Quaestorias divisa fuit a : pristinisque quatuor Quaestoribus quatuor alii sunt additi b, qui vectigalia, tributa, decimas, portoria, omnes denique Populi Romani reditus ex agris, sylvis, pascuis publicis administrarent. Divisio autem haec sequenti fere modo facta fuisse videtur c; ut prima provincia quaestoria fuerit *Ostiensis*, quae Etruriam & utrumque Latium cum adjunctis *Cisapenninis* & mediterraneis populis fuerit complexa. Secunda provincia videtur fuisse *Calena*, dicta a *Calibus* Campanorum oppido, quae Campaniam, Samnium, Lucanos, Bruttios, Magnam Graeciam usque *Metapontum* & ad sinum Tarentinum continuerit. Tertia provincia fuit *Gallica*; quae ita dicta videtur ab *agro Gallico* inter *Aesim* & *Rubiconem* fluvios d; quem Romani Senonibus Gallis deletis occuparant, publicarantque: atque hanc provinciam, Umbriam etiam, & forte Picenum comprehendisse puto. Ita quarto demum

a *Tac. Ann. L. XI. c.* 23. b *Lips. ad Tac. Ann. L. IV. c.* 27. c *Pigh. ad hunc A.* d *Suet. Claud. c.* 24.

mum Quaestori; Calabria administranda superfuerit; cui includebantur Apuli, *Hirpini*, *Pediculi*, Sallentini, Messapii, *Japyges*, *Peucetii*, Tarentini, *Compsani*, aliique. Quo nomine autem haec provincia dicta fuerit obscurum est; nisi generali *Calabriae* nomine venisse dicatur.



LIBER

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De primo bello Punico.

§. I. *De occasione belli Punici I.*

§. I. ajora deinceps, & non unius terrae Italiae, ut hactenus, negotia casusque explicanda habebimus: cumque quingentis fere annis in Italia occupanda desudaverit virtus Romana, ducentis circiter insequentibus annis per maximam orbis tunc cogniti partem Imperium suum extendit a. Et primam quidem occasionem dedit nobilissima, & ab Italia angustissimo freto dirempta Insula Sicilia & ipsi freto adjacens urbs Messana. Hanc Campani sub *Agathocle* merentes non multo ante haec tempora pulchritudine oppidi inducti per dolum occupaverant b, civibus partim ejectis, partim jugulatis; *Mamertinorum*que nomine sibi indito. Resque suas facile tutati sunt auxilio eorum, qui simili scelere Rhegium occupave-

a *Flor. init. L. II.* b *Polyb. L. I. c. 7. sqq.*

paverant [a]: sed horum ope destituti a Syracusiis & *Hierone* ejus urbis tyranno magna clade affecti sunt. (Observemus hoc obiter, hunc Hieronem initio vere tyrannum egisse; sed post diutinum morbum advocatis viris suo tempore eruditissimis, ut otium falleret, eorum monitis virum plane optimum factum fuisse. [b]) Ergo extremo hoc casu pars ad Carthaginienses confugere, iisque se arcemque suam tradidere: pars missis ad Populum Romanum legatis urbem ei dedidere auxilium postulantes, quod Italicae, & ita communis cum Romanis originis essent. At satis intelligebant Romani magnam & manifestam fore absurditatem, si ipsi, qui paulo ante cives suos ob simile scelus in occupando Rhegio commissum supplicio affecerant, jam Mamertinis idem patrantibus opem ferrent. Videbant tamen etiam, si permitterent, arcem Messanae urbis Carthaginiensibus tradi, fore ut brevi spatio tota Sicilia potirentur; cum jam non tan-

 tum

a *Vid. Supr. L. II. c. 9. §. 2.* b *Vid. Cl. P. Coste Preface sur l'Hieron. de Xenophon. Suid. V. Hieron.*

tum Africam, sed pleraque etiam *Hispaniae* loca maritima, insulasque maris inferi sui juris fecissent; atque ita metuendi sibi vicini fierent, undique Italiae imminentes.

§. 2. *Initium belli Punici II.* *A. U.* 489. §. II. Igitur *Ap. Claudio* Consuli Sicilia provincia decernitur: tumque primum Romani, belli quidem caussa, mare ingressi sunt a; sed classe rudi admodum & incondita, parumque ad pugnam apta. Hinc ipsae naves, quibus tunc sunt usi, *caudicariae* sunt dictae b quia *caudices* arborum ipsis adhuc adhaerebant: & ipse Appius inde cognomine *Caudex* appellatus fuit. In Siciliam appulsus Claudius Carthaginienses & Syracusanos intra munitiones suas compulit c;

A. U. 490. eamque urbem illico obsedit. Cumque anno sequente ambo Consules cum novis etiam copiis in Siciliam missi essent, pleraque tam Carthaginiensium, quam Syracusanorum oppida ad Romanos defecerunt. Rex Hiero, qui jam victus a Romanis fuisset, atque metum Siculorum & multitudinem

a *Flor. L. II. c.* 2. *Suet. Tib. c.* 2. b *V. Sen. de brev. vit. c.* 13. *Fest. Non. p.* 559. *ed. Plant.* 1565. c *Polyb. L. I. c.* 15.


nem ac vim Romanarum legionum cerneret, legatos ad Consules de pace & amicitia mittit; eamque aequis legibus impetravit, & constantissime postea amicitiam cum Romanis exercuit. Mirari hic lubet prudentiam Romanorum, qui inimicorum suorum gratiam ita sibi conciliaverint; praesertim si qui ipsis prodesse poterant, ut eorum egregia opera imperium suum stabiliverint; quemadmodum secundo Punico bello ita *Massinissam* Regem; & bello Asiatico *Attalum* atque *Eumenem* sibi adjunxerunt. Triumphasse tamen hoc anno de Poenis & Hierone Rege *Valerium* Consulem ex fastis patet: qui etiam ab urbe *Messana* victa, *Messana*, paulatimque vulgo permutante literas, [a] *Messalla* appellatus fuit. Non magni est momenti, sed tamen observatione non indignum, hunc Valerium *primum*, *Catana* capta, ex Sicilia *horologium* in Urbem detulisse; & in columna publice secundum rostra statuisse [b]; quod tamen valde imperfectum fuisse, lineis ejus ad horas non

a *Senec. de brev. vit. c.* 13. *Macr. Sat. L.* 1. *c.* 6. b *Plin. Hist. Nat. L. VII. c.* 60. *f. ult.*

congruentibus ex Plinii loco citato patet. Facete eo alludit *Plautus* in comoedia deperdita, quae *Boeotia* dicta fuit, in loco, quem citat Gellius *Noct. Attic. L. III. c.* 3. & qui apud ipsum legi poteſt. Anno ſequente utrique iterum Conſuli bellum in Sicilia eſt mandatum: cumque Poeni *Agrigentum* ſibi quaſi arcem belli conſtituiſſent, eoque annonam & copias collegiſſent, Conſules eam obſidione cingunt [a]. Cumque poſt duos menſes ad ſummas jam anguſtias redacti eſſent, *Hannoni*que Poenorum duci ſignificaſſent, famem amplius tolerari non poſſe, belli fortunam ſibi tentandam eſſe, Dux Carthaginienſium conſtituit. Sed cum magno praelio fuiſſet fuſus [b] *Hannibal*, qui cum imperio copiis obſeſſis praeerat, rebus deſperatis noctu Romanis inſciis copias ſuas incolumes abduxit. Ita poſtridie Romani facile urbem coeperunt, multis mancipiis, multoque omnis generis apparatu potiti. Haec victoria Romam nunciata in ſpem adduxit Romanos, poſſe omni Inſula exturbari Carthaginienſes.

§. III. Igi-

a *Polyb. L. I. c.* 18. b *Ibid. c.* 19.



Pag. 261.
GVRGES
Q·MAX·QE
EX·S·C
ROM
Pag. 485.
ROMA
P·LAE CA
PROVOCO·
Pag. 348.
P·S·CAEVVLA·Q·F

§. III. Igitur, cum pedestres quidem copias idoneas habere se confiderent Romani, sed maris Imperium obtinerent Carthaginienses a, ad navium fabricam omni conatu animum applicuere, quinqueremes centum, triremes viginti fabricare statuentes: & licet rudes admodum talium navium construendarum essent, tamen intra sexagesimum diem, quam caesa sylva fuerat b, centum viginti navium classis in anchoris stetit; imo centum sexaginta eas fuisse dicit Florus. Et hujus rei memoriam in denario servare voluisse videtur *Q. Fabius Maximus Gurges* c; quem Quaestorem hoc anno fuisse Pighius conjicit. Dum autem classis instruitur, simul etiam remiges exercebantur: in litore enim ad remos sedere jussi eundem ordinem servabant, quem in transtris navium sedentes servaturi essent & *hortatore* d, sive *celeusta* (*portisculum* dixerunt Latini e) in medium locato, qui omnes simul

§. 3. Initium rei maritimae apud Rom.

a *Ibid. c.* 20. b *Plin. H. N. L. XVI. c.* 39. c *Vid. Vaill. de fam. Rom. G. Fabia num.* 7. d *Vid. Ovid. Met. L. III. v.* 619. e *Ennius Ann. VIII. ap. Non. p.* 179. *ed. Plant. A.* 1565. *Vid. & Plaut. Asin. A. III. S. I. v.* 15.

reclinare ſeſe manus adducendo, & rurſus incumbere eaſdem propellendo docuit. Ita paulum modo veram navigationem in mari experti juxta Italiae litus navigare inceperunt [a]. At *Cn. Cornelius* Conſul, quem rei navali praefecerant Romani, cum ſeptemdecim navibus Meſſanam jam erat profectus: ſed cum ſpes capiendi per proditionem Liparaeorum oppidi ei affulſiſſet, inconſultius ad ejus muros appellit; & a Carthaginienſibus opprimitur. Et ſocii quidem navales in terram evaſere, ipſe vero cum navibus captus eſt. Verum parum abfuit, quin etiam Hannibal claſſem Romanam cognoſcendi cupidus in ſimile diſcrimen incideret: ſed amiſſis pleriſque navibus ipſe tamen incolumis evaſit. Interim claſſis Romana jam Siciliae appropinquaverat; ejuſque praefecturam alter Conſul *Duillius* in ſe ſuſceperat. Experti autem fuerant prioribus pugnis Romani, naves ſuas rudi opere conſtructas a Carthaginienſium navibus velocitate longe ſuperari: ergo Duillius machinas quaſdam excogitavit, ſive aſſeres ferreo unco prae-

a *Polyb. L. I. c.* 21.

praefixos, quos hostium navibus injiceret, ut cogerentur quasi in solido decernere a. *Manus ferreas*, sive *harpagonas* vocabant b. Cum his non confundendos esse *corvos*, quos describit Polybius, volunt interpretes: quod jam ulteriori per otium inquisitioni relinquo. Duillius ita instructus apud *Liparam* insulam hostes adoritur; stupentesque miraculo rei Carthaginienses amissis quinquaginta navibus in fugam inclinati sunt. c Inde exscensione in Siciliam facta Romani *Aegesthanos* ad ultima jam redactos obsidione liberarunt; *Macellam*que urbem vi expugnarunt. Propter hanc victoriam Duillio maximi honores fuerunt habiti; eique *omnium primo triumphus navalis* est decretus; cujus memoriam etiam servant nummi d. Tum columna ei in foro marmorea rostrisque captarum navium insignis erecta est e: cujus basi titulus victoriae rerumque gestarum erat inscriptus: quem ad sua usque tempora ex-

 stitisse

a *Flor. d. l.* b *Vid. Liv. L. XXX. c.* 10. *Curt. L. IV. c.* 2. c *Polyb. L. I. c.* 23. d *Vid. Vaillant. de fam. Rom. Gente Duillia n.* 2.
e *Silius Ital. L. VI. f.*

ſtitiſſe ſignificat Plinius [a]; & poſt aliquot ſecula adhuc ſuperfuiſſe ex *Sexti Rufi* libello *de Regionibus Urbis* diſcimus: nam apud eum in *deſcriptione regionis VIII. dictae Forum Romanum* pro *Columna divi Julii* legendum eſſe *Columna Duillii* felix eſt Pighii in *Annalibus Romanis* conjectura. Hodieque pars baſis ejus cum inſcriptione reſtat; & in Capitolio Romano conſpicitur. *Petrus* vero *Ciacconius Toletanus*, qui inſcriptionem a ſe, qua temporum injuria corrupta fuit, ſuppletam cum commentario luculento edidit [b], non putat eſſe antiquiſſimam columnae baſin, ſed quae poſt *C. Caeſarem*, & fortaſſe poſt Plinium & *Quinctilianum* reſtituta ſit; cum & literae elegantiores ſint, quam ut rudi harum artium ſeculo coelatae videri poſſint; & ſcribendi ratio, qua illa aetate Romani utebantur, non exacte in ea reperiatur ſervata. Vide exactiſſimam lapidei fruſti, quale hodie in *Palatio Conſervatorum* in Capitolio exſtat, imaginem apud Cl. *Graevium Praef. Tomi*

a *Hiſt. N. L. XXXIV. c. 5.* b *Exſtat in Theſ. Graev. T. IV.*

D' EXE
XIMOSQVE
VEM' CASTRE
VCNANDOD' CEPE
EM' NAVEBOS' MAR
L ASESQVE' NAVA
VMQVE' EIS' NAVEB
VMAS' COPIAS' CART
ICTATORED' OLORO
OVE' NAVEIS CEPET
QVE' TRI
M' CAPTOM' NVM
TOM' CAPTOM' PRA
' CAPTOM' AES ' ↀ ↀ
ↀ ↀ ↀ ↀ ↀ ↀ
OQVE' NAVALED' PR
CARTA



OSENTIONT· R
VISE·VIRO
LIOS·BARBATI
IS·HIC·FVET·A
ALERIAQVE·VRBE
VS·AIDE·MERETO

mi Quarti Antiquitatum Romanarum.

§. IV. Hannibal a, licet alter Carthaginiensium Dux *Hamilcar* socios Romanorum ex improviso idonea satis strage affecisset, tamen cum omnibus, quae restabant, navibus Carthaginem petiit. Sed inde paulo post aliis navibus assumptis in Sardiniam trajecit; ubi a Romanis in portu quodam inclusus plurimas naves amisit; cujus rei pretium a Carthaginiensibus suis crucem tulit. Anno sequente *L. Cornelius Scipio* Consul in Sardiniam & *Corsicam* insulas trajecit; quarum imperio Poeni potiebantur: & in hac *Aleriam*, in illa *Olbiam* urbem expugnavit b; totisque insulis facile potitus est. Imo terra marique Poenos sic profligavit, ut victoriae nihil, nisi Africa ipsa, restaret: quod sentiens Hanno Poenorum Dux rebus deploratis inter confertissimas hostium turmas se praecipitans occubuit, amplissimo mox funere a Scipione elatus c. Sed interea Romae improvi-

§. 4. Ulterior hujus belli progressus.

A.V. 434.

R 5 sum

a *Polyb. L. I. c.* 24. b *Flor. l. d. Vid. omn. Inscr. antiquiss. & ejus explicat. in T. IV. Thes. Graeviani.* c *Val. Max. L. V. c. n.* 2. *Silius It. L. VI. v.* 670.

ſum & ſubitum periculum patres ſollicitudine ſimul affecit & liberavit [a]. Samnites erant ad quatuor millia ad uſum navalis militiae conſcripti: qui cum a mari abhorrerent, urbis incendium & direptionem agitabant; ſervorumque jam tria millia in ſuas partes pertraxerant. Aſſentiri ſe his etiam ſimulaverat *Erius Potilius* auxiliorum ductor, ut omnia eorum conſilia penitus cognoſceret. Quia vero illa deferre non poterat, cum undique Samnitibus cingeretur, perſuaſit illis, ut, cum Senatus haberetur, in foro congreſſi vociferarentur, in dimetiendo frumento fraudem ſibi factam. Atque ita tanquam auctor tumultus arceſſitus inſidias Senatui expoſuit: ac tum quidem ſeditione ſopita illi ſunt dimiſſi. Noctu autem, cum quiſque ſervos ſuos domi comprehendiſſet, omnis conjuratio diſſipata eſt. In Sicilia interea Hamilcar tanta proſperitate bellum gerebat, urbes alias vi, alias proditione occupans; ut niſi a *C. Floro* Proconſule fuiſſet coërcitus, totam Siciliam ſubigere potuiſſe videatur. Et hinc eſt, quod dicit Polybius *L. I.* *c.* 24.

a *Zonar. L. II. Oros. L. II. c.* 7.

c. 24. Romanas legiones eo anno nihil memoria dignum in Sicilia gessisse: sed anno sequente idem *Hippanam*, *Mytistratum*, *Camarinam*, *Ennam*, aliaque a Romanis occupata narrat. *A. U.* 494.

§. V. Mirandum vero videtur, eum nullam facere mentionem eximiae fortitudinis M. *Calpurnii Flammae* a Tribuni, & trecentorum, qui cum eo erant, militum; qua gloriam *Leonidae Spartani*, & trecentorum, qui quondam cum eo ad *Thermopylas* caesi fuerant b, exaequarunt. Narrat hanc historiam ex M. Catonis *Originum libris* Gellius *Noct. Att. L. III. c.* 7. sed ibi *Q. Caedicius* dicitur; & in hoc nomine valde variatum fuisse patet ex Frontino *Stratag. L. IV. c. v. ex.* 10. ubi etiam *Laberium* a quibusdam vocatum fuisse addit; quemadmodum Gellius *Valerio* ipsi nomen fuisse ex Cl. Quadrigario refert. Res autem ipsa ita se habet: Cum milites Romani se in locum fraudi & perniciei obnoxium insinuassent, Tribunus ad Consulem venit, & ostendit, nullam viam

§. 5. Mira fortiudo Calpurnii Flammae.

a *Florus l. d. Liv. Epit.* 17. & *ipse Liv. L. XXII. c.* 60. *Plin. L. XXII. c.* 6. b *Vid. Herodot. L. VII. c.* 220. & 224. *innumerosque alios.*

ſum & ſubitum periculum patres ſollicitudine ſimul affecit & liberavit a. Samnites erant ad quatuor millia ad uſum navalis militiae conſcripti: qui cum a mari abhorrerent, urbis incendium & direptionem agitabant; ſervorumque jam tria millia in ſuas partes pertraxerant. Aſſentiri ſe his etiam ſimulaverat *Erius Potilius* auxiliorum ductor, ut omnia eorum conſilia penitus cognoſceret. Quia vero illa deferre non poterat, cum undique Samnitibus cingeretur, perſuaſit illis, ut, cum Senatus haberetur, in foro congreſſi vociferarentur, in dimetiendo frumento fraudem ſibi factam. Atque ita tanquam auctor tumultus arceſſitus inſidias Senatui expoſuit: ac tum quidem ſeditione ſopita illi ſunt dimiſſi. Noctu autem, cum quiſque ſervos ſuos domi comprehendiſſet, omnis conjuratio diſſipata eſt. In Sicilia interea Hamilcar tanta proſperitate bellum gerebat, urbes alias vi, alias proditione occupans; ut niſi a *C. Floro* Proconſule fuiſſet coërcitus, totam Siciliam ſubigere potuiſſe videatur. Et hinc eſt, quod dicit Polybius *L. I.* *c.* 24.

a *Zonar. L. II. Oros. L. II. c.* 7.

c. 24. Romanas legiones eo anno nihil memoria dignum in Sicilia gessisse: sed anno sequente idem *Hippanam*, *Mytistratum*, *Camarinam*, *Ennam*, aliaque a Romanis occupata narrat. *A. U.* 494.

§. V. Mirandum vero videtur, eum nullam facere mentionem eximiae fortitudinis M. *Calpurnii Flammae* a Tribuni, & trecentorum, qui cum eo erant, militum; qua gloriam *Leonidae Spartani*, & trecentorum, qui quondam cum eo ad *Thermopylas* caesi fuerant [b], exaequarunt. Narrat hanc historiam ex M. Catonis *Originum libris* Gellius *Noct. Att. L. III. c.* 7. sed ibi *Q. Caedicius* dicitur; & in hoc nomine valde variatum fuisse patet ex Frontino *Stratag. L. IV. c. v. ex.* 10. ubi etiam *Laberium* a quibusdam vocatum fuisse addit; quemadmodum Gellius *Valerio* ipsi nomen fuisse ex Cl. Quadrigario refert. Res autem ipsa ita se habet: Cum milites Romani se in locum fraudi & perniciei obnoxium insinuassent, Tribunus ad Consulem venit, & ostendit, nullam viam

§. 5. Mira fortiudo Calpurnii Flammae.

a *Florus l. d. Liv. Epit.* 17. *& ipse Liv. L. XXII. c.* 60. *Plin. L. XXII. c.* 6. b *Vid. Herodot. L. VII. c.* 220. *&* 224. *innumerosque alios.*

viam ſalutis exercitui ſupereſſe, niſi locus editus, qui in conſpectu erat, a paucis (quadringentos dicebat) occuparetur, ut, dum in horum quadringentorum caede occupatus eſſet hoſtis, tempus exercitum ex eo loco educendi haberet. Reſpondit Conſul, conſilium quidem fidum ac providens ſibi videri; ſed dubitare, quem invenire poſſit, qui milites quadringentos ad eum locum in hoſtium cuneos & certam mortem duceret. Operam ſuam offerenti Tribuno gratiae a Conſule ſunt actae: Tribunuſque cum quadringentis militibus ad moriendum profectus eſt: Stupuerunt primo ad tantam audaciam hoſtes: ſed mox ſtrenuiſſimos ſuorum adverſus Romanos mittunt. Tandemque poſt anceps praelium multitudo ſuperavit: quadringentique ad unum omnes perfoſſi gladiis ac miſſilibus operti ciciderunt. Conſul interea ſe in locos tutos & editos ſubducit. Cato tamen *in Originum libris*, Tribunum, cum inter mortuos defatigatus vulneribus, aegreque ſpirans diu jacuiſſet, ſublatum fuiſſe, atque inde convaluiſſe, aſſerit; ſaepeque poſt illa operam fortem Reipu-

blicae

blicae atque strenuam praebuisse.

§. VI. Eodem anno *Sulpicius* Consul successibus, quibus in Sardinia usus fuerat, elatus in Africam navigare contendit. Hannibal patriae suae metuens eum insecutus est: verum adversis ventis repulsi ambo recesserunt. At mox alter Consul [a] *Aulus Atilius*. Hannibalem per transfugas tanquam etiam ipse in Africam navigaturus esset, decepit. Nam celeriter portu egressum Sulpicius Consul invasit; plerasque naves ejus prae caligine diu ignorantes quid rei esset, demersit; reliquas inanes cepit, cum defensores earum ad terram profugissent. Hannibal mox seditione suorum periit. Anno Urbis quadringentesimo nonagesimo sexto cum Consul *C. Atilius Regulus* (qui etiam *Serrani* cognomentum habuit, quod ipsi in agro *serenti* Consulatus oblatus esset [b]) stationem apud promontorium Siciliae *Tyndaridem* haberet, Punicam vero classem ex litore inordinatius praeter navigantem conspexisset, cum decem solum navibus, reliquis sequi jussis, ipsi obviam

§. 6. Bellum in Africam translatum.

A. U. 495.

A. U. 496.

a *Zonar. Ann. T. II.* b *Val. Max. L. IV. c. 4. Plin. H. N. XVIII.* 3.

viam pergit [a]. Poeni qui animadverterent, eum longo intervallo a sequentibus esse divulsum, subito conversi omnes praetoriam capiunt; sed mox a reliquis Romanorum navibus, quae jam se instruxerant, cum magna clade repelluntur. Inde Liparam non tantum; sed etiam *Meliten* Insulam cepisse Consulem Atilium vult Orosius *L. IV. c.* 8. & recte, ut videtur, cum Capitolinae tabulae, eum triumphum navalem hoc anno egisse, testentur; quemadmodum etiam denarii triumphi hujus testes hodie inveniuntur [b]. Ergo prospera hac fortuna aucti animis Romani anno se-
A. U. 497. quente Sicilia, ut jam suae ditionis, relicta, ejusque insulae rebus ordinatis, in Africam bellum transferre decreverunt; ut jam non amplius de Sicilia, sed de salute sua propria, suisque agris pugnarent Poeni. Nec segnius hi Romanos avitis suis sedibus arcere parabant [c]; & maxime, ut navali praelio hostes excipere possent; ita ut utraque Respublica tota sua amplitudine, totisque viribus jam in bellum

a *Polyb. L. I. c.* 25. b *Vid. Vaillant. de fam. Rom. G. Atilia n.* 9. c *Polyb. L. I. c* 26.

lum incumberet. Non vero Carthaginienses adventum Romanorum exspectarunt; sed ad *Heracleam Minoam* (Siciliae in litore Australi urbs est) cum ipsis congressi sunt a: verum post acrem pugnam superatus eorum Imperator Hamilcar, ut tempus tereret, donec domo auxilium mitteretur, *Hannonem* ad Consules, tanquam de pacis conditionibus tractaturum, mittit. Quem cum multi comprehendendum esse clamarent, (quod etiam Carthaginienses Cornelium Consulem fraude cepissent b) dixisse fertur: *Hoc vero si feceritis, jam nihil eritis* Afris *meliores*. Et sane excepit vocem ejus dictum Consulum grave, *Isto te metu, Hanno, fides civitatis nostrae liberat* c. Eaque adulatione vitam sibi servavit Poenus. Fuerunt autem Carthaginienses perjurii & fraudis nomine infames; unde *Punica perfidia* apud Romanos in proverbium abiit d: licet tamen nolim Romanis de hostibus suis id affirmantibus in omnibus

a *Zonar. T. II.* b *Vid. supr.* §. 3. c *Zonar. d. l. Val. Max. L. VI. c.* 6. *ex.* 2. d *Vid. Liv. L. XXII. c.* 6. *Erasm. Adag. Chil. I, Cent.* 8. *n.* 28.

nibus fidem habere: & puto, si Poenorum libri ad nos pervenissent, non pauciores nos querelas de mala Romanorum fide, & forte non minore jure, inventuros fuisse. Consules porro, rejectis pacis conditionibus, in Africam ad *Mercurii promontorium* appulere: statimque *Clupea* urbe obsidione potiti sunt [a], (*Aspidem* vocant Graeci, quae vox ipsis *clypeum* notat) sive, ut Zonaras dicit, eam ab incolis desertam occuparunt: & ingentem porro ex agris pecudum mancipiorumque praedam collegerunt. Immo ad trecenta, sive castella [b], sive urbes in potestatem redegerunt, Poenornm agros ad Carthaginis usque moenia depopulati. Ita cum ingenti praeda *L. Manlius* Consul Romam reversus navalem de Poenis triumphum egit; multis etiam Romanorum, qui occasionibus variis fuerant capti, servitute liberatis [c]. Regulus autem ex Senatusconsulto bellum in Africa continuavit: cumque ad *Bagradam fluvium* castra haberet, tantae magnitudinis serpens milites complures, qui aqua-

a *Polyb. L. 1. c. 29.* b *Flor. l. c.* c *Zonar. l. d.*

aquatum, aut pabulatum exiverant, devoravit; ut arcis cujusdam instar militaribus copiis & catapultis conficiendus fuerit. Ejus pellis centum viginti pedum longitudine Romam perlata fuisse perhibetur [a]. Regulus porro variis jam captis castellis *Adin*, non poenitendum oppidum, oppugnat [b]; Carthaginienses, qui illud servatum cupiebant, castra in propinquo colle locant: sed cum ita equitatum & elephantos, quo genere copiarum maxime valebant, inutiles sibi reddidissent, Romani occasione usi undique ad collem accedunt: &, licet mercenarius Carthaginiensium miles strenue pugnando primam Romanorum legionem jam in fugam compulisset, tamen reliqui pugnam restituerunt, castrisque captis non tantum libere undique praedas agere potuerunt; sed etiam oppido *Tuneto* Carthagini vicino potiti sunt. Cumque etiam *Numidae* haud secus ac Romani Poenos invaderent, in arctum valde locum eorum res sunt redactae. Hinc Regulus brevi successorem sibi

S Roma

a *Plin. H. N. L. VIII. c.* 14. b *Polyb. L. I. c* 30.

Roma mittendum exſpectans [a], ne confecti belli gloria penes alterum eſſet, hoſtes ad pacem hortatus eſt. Sed cum nimia felicitate inflatus duriſſimas pacis leges ferret, quamvis conditionem ſubire, quam iis legibus pacem facere maluerunt.

§. 7. *Xanthippus Poenis Dux advenit.* *A. U.* 498.

§. VII. Commodum Carthaginienſibus evenit, quod eodem tempore qui in Graeciam miſſi fuerant ad conducendum militem, cum magna auxiliarium manu reverſi ſint, quibus *Xanthippus* Lacedaemonius, Dux praeſtantiſſimus, praeerat. Hic ſtatim Carthaginienſium Senatum edocuit, multis partibus imperitia Ducum peccatum fuiſſe; ita ut, cum magnam alacritatem animi ad pugnandum omnes prae ſe tuliſſent [b], acie cum Romanis conflixerint; eoſque memorabili valde praelio vicerint; quo totus Romanorum, qui in Africa erat, exercitus, vel caeſus, vel cum ipſo M. Regulo Proconſule captus fuit, exceptis 2000. fuga Clupeam elapſis [c]; quam urbem ſtatim obſederunt Poeni. Interea quoque eorum Dux Hamilcar per

a *Polyb. d. l. c.* 31. b *Polyb. L. I. c.* 33.
c *Eutrop. L. II. c.* 21.

per *Numidiam* & *Mauritaniam* omnes urbes, quae ad Romanos defecerant, diripuit & vaſtavit, principibus earum patibulo affixis. Addit Zonaras, (cui an hic ſit credendum dubito, licet etiam Polybius *L. I. c.* 36. ſatis indicet, diverſam de Xanthippi profectione famam fuiſſe) Poenos poſt victoriam ſocios ſuos crudeliſſime tractaſſe: *nam*, dicit, *cum praeſtare non poſſent, quae promiſerant, dimiſerunt eos, ut ſtipendia paulo poſt ſoluturi: ſed navium magiſtris, qui eos veherent, juſſerunt, ut illis in deſerta aliqua inſula expoſitis clam diſcederent.* Xanthippum etiam, ne gratiam ei referre cogerentur, ſubmerſum quidam fuiſſe ferunt ab iis, qui abeuntem proſequebantur: alii, navem veterem & rimarum plenam, ſed recens picatam ei fuiſſe datam, uti ita in mari periret, narrant; quo is animadverſo alia navi conſcenſa evaſerit.

§. VIII. Ut autem Romae nunciatum eſt, tantam cladem in Africa acceptam fuiſſe, Conſules ambo *Ser. Fulvius* & *M. Aemilius* nova claſſe trecentarum & quinquaginta navium, Italia prius Siciliaque praeſidiis muni- *§. 8. Belli continuatio poſt profectionem Xanthippi. A. U. 498.*

ta, exercitum in Africam transferre, & obsessis opem ferre jussi sunt. His nunciatis a Clupeae obsidione desistunt Poeni, classique Romanae ad Mercurii promuntorium occurrunt; sed primo statim impetu in fugam versi centum & quatuordecima naves cum suis classiariis amiserunt. Addunt Zonaras & Orosius, etiam terrestri praelio expositis ad Clypeam copiis victos fuisse Carthaginienses, multosque Poenorum captos & servatos fuisse in spem recuperandi Reguli: sed silent de ea re Polybius & Eutropius. Ergo victores Romani magna praeda parta, praesidioque Clupeensi navibus imposito in Siciliam navigarunt; at cum insulae jam appropinquarent, ingens naufragium victorias omnes deformavit: nam tempestate terribili coorta ex trecentis sexaginta tribus navibus octoginta tantum superfuerunt; ita ut nunquam alias tanta clades mari accepta fuerit. Culpa autem Consulum hanc cladem passos fuisse Romanos asserit Polybius, quippe qui urbibus quibusdam in exteriore latere Siciliae sitis victrici classe metum injicere, & ita ad deditionem eas compellere se posse

posse sperarent; cum tota haec ora importuosa sit, annique tempestas jam anceps navigantibus esset. Non neglexerunt occasionem opportune adeo oblatam Carthaginienses a; sed confestim Hasdrubalem cum classe ducentarum navium, elephantis centum & quadraginta, ceterisque rebus ad bellum necessariis in Siciliam mittunt: Romani etiam diligentia vix credenda trimestri spatio ducentas viginti naves ab ipsis carinis usque aedificant; *A. U.* 499.
ita ut novi Consules anni quadringentesimi noni statim restauratis naufragii superioris reliquiis trecentarum navium classem impleverint b: eaque tertio post naufragium mense in Siciliam profecti *Panormum* praecipuam Carthaginiensium urbem vi ad deditionem adegerint. Nec eo contenti *A. U.* 500.
anni sequentis Consules, licet *Lilybaeum* frustra tentassent, tamen in Africam trajiciunt; ibique praeda luculenta potiuntur: sed redeuntes in loca *parvae Syrtis* vadosa illapsi imperitia locorum vix incolumes elabuntur, navibus praeda evacuatis c; ita ut au-

a *Polyb. L. I. c.* 38. b *Zonar. T. II.* c *Polyb. L. I. c.* 39.

ctores minus certos secutus fuerit Solinus [a], qui dicit, *se accepisse, his Consulibus classem Romanam inter haec vadosa impune perfretasse.* Neque hac clade defuncti periculis fuerunt Romani: nam, dum Consules temere per fretum Romam contendunt, tantam iterum tempestatem experti sunt, ut amplius centum quinquaginta naves amitterent: ita ut Senatusconsulto decretum fuerit, *maris pericula non ultra experiri*; sexaginta modo navium classe servata, qua necessaria in provincias transveherentur. Vix ergo cum Polybio, Eutropio, Zonara, qui de cladibus hoc anno acceptis loquuntur, conciliari possunt Fasti triumphales, in quibus duo triumphi de Poenis ad hunc annum memorantur: nisi dicamus olim factum fuisse, quod hodie non infrequens est, ut etiam victi victorias suas celebrent. Atque ita falsus etiam fuerit denarius, (vel potius qui eum fieri curavit) qui *Cn. Scipionis Asinae* Consulis Anni 499. triumphum de Poenis celebrat [b]: itemque alter, in quo *C. Sempronio Blaeso* collegae Scipionis triumphanti victo-

a *c.* 30. b *Vid. Vaill. G. Cornelia n. 6.*

victoria supervolans coronam affert a. Non tamen tantis cladibus acceptis animis conciderunt Romani: sed anno rursus quingentesimo primo ambo Consules in Siciliam profecti sunt; ubi maxime Poenorum res florebant, quod & maris dominatu cessissent Romani, & elephantorum metu nimium quantum afficerentur; ita ut nihil aliud egerint, quam ut *Thermam* & Liparam difficillimis & elephantis inaccessis locis sita expugnarint: unde iterum ad maris curam animum sibi adjiciendum esse censuerunt. Atque ita quidem narrat Polybius. Zonaras tamen hoc anno *Himeram* civibus vacuam a Romanis captam asserit: & alterum Consulem *Aurelium*, acceptis ab Hierone Rege navibus in Liparam insulam trajecisse, ibique urbem insulae cognominem expugnasse. Et sane etiam in marmoribus Capitolinis triumphus Aurelii *Cottae* Consulis de Poenis & Siculis recensetur: & convenit Orosius *L. IV. c. 9.* Ita ut hujus anni historiam minus accurate tradidisse Polybius videatur: vel

A. U. 501.

 hujus,

a *V. Ib. G. Sempronia; & utrumque nummum citat Pighius ad h. ann.*

hujus, & sequentis anni res gestas confudisse; qui fere in apparatu belli utrimque consumptus fuisse videtur. Quin alios quoque auctores videtur secutus fuisse Eusebius, qui *in Chronico* sexaginta naves Romanas, *Metello* Consule in fugam verso a Poenis captas esse asserit.

§. 9. *Insignis victoria Metelli. A. U. 503.* §. IX. Verum anno quingentesimo tertio, antequam Consules novi advenissent, Hasdrubal [a], qui sciret, alterum Consulem cum parte dimidia copiarum in Italiam rediisse, *Panormitanum* agrum instante messis tempore invadit. Cumque Metellus Proconsul temeraria ejus audacia cognita suos intra portas Panormi contineret, elephantos cum exercitus parte vicinum fluvium transire jubet. Hos lacessens Metellus universum Hasdrubalis exercitum in aciem prodire cogit. Suorum autem expeditos quosdam ante fossas urbis locaverat: ita ut belluis nimis eos prementibus in fossas confugerent: ipse velitantibus alios super alios auxilio mittit. Demum belluarum rectores victoriae gloriam sibi asserere conati uno impetu in primos

a *Polyb. L. I. c.* 40.

mos pugnatores irruunt facileque eos in fossam compellunt. Sed cum ita elephanti propius ad muros successissent, undique tum ab iis, qui pro fossis pugnabant, tum a moenibus configebantur: adeo ut prae vulnerum dolore saevire incipientes suorum ordines ipsi conculcarent, dissiparentque. Tum demum omnibus copiis turbatos invadens Metellus ingenti strage edita hostes in fugam vertit; & decem ex belluis cum *Indis* suis capit; at ceteras, quae rectores dejecerant, post pugnam omnes ab equitibus circumventas in potestatem redigit. Hasdrubal, cum Carthaginem venisset, in crucem actus est. Metellus vero Romam reversus nobilissimum triumphum egit, tredecim ducibus hostium & magno elephantorum numero in triumphum ductis. Centum quadraginta duos fuisse dicit Plinius [a]: qui addit ex *Verrio*, eos pugnasse in Circo, interfectosque jaculis penuria consilii; quoniam neque ali placuisset neque donari regibus.

§. X. Hoc etiam, vel sequenti anno Regulus ex captivitate Romam missus *§. 10. Disquisitio de morte Reguli.*

a *H. N. L. VIII. c. 6.*

missus videtur, ut *de permutandis captivis* cum Senatu ageret [a], ea lege ut, *si non obtinuisset, rursus Carthagini se sisteret.* At ille Romam cum advenisset in Senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret recusavit [b]: *quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se Senatorem. Reddere tamen captivos* negavit *esse utile: illos enim adolescentes esse, & bonos Duces; se jam confectum senectute.* Quin uxoris quoque & liberorum oscula aversatus dicitur [c], quippe qui cum libertate etiam civitatem simul perdidisset; atque ita nec connubii jus cum cive Romana; nec patriam in liberos potestatem obtineret. Nam qui bello capti in hostium erant potestate, eorum libertas civitasque in suspenso esse videbatur: licet propter *jus postliminii* ea amisisse non crederentur. Cum igitur nuptiae nisi inter cives legitime consistere non possent, & jus patriae potestatis civium tantum Romanorum esset, merito neque uxorem lege habere se, neque liberos

a *Cic. Offic. III. 26. sq.* b *Cic. Ibid. Vid. eund. pro Sext. c. 29. & de Fin. II. 20.* c *Horat. Od. L. III. Od. V. v. 41.*

liberos in poteſtate credidit Regulus; quippe qui juraſſet, *ſe Carthaginem reverſurum*; nec animum Romae remanendi haberet [a]. Ergo nequicquam deprecantibus uxore, liberis, amicis, Carthaginem rediit; ibique diris tormentis necatus dicitur. De genere mortis ejus non ſatis inter auctores convenit: plerique tamen eo redeunt, ut palpebris reſectis in machinam incluſus; ibique vigilando occiſus fuerit [b]. *Seneca crucem viciſſe* Regulum dicit; ſed ita loquitur ob ſupplicii acerbitatem [c]; cum alibi etiam ejus *arcam* memoret [d]: & ex *ejuſdem libro de providentia c.* 3. ſatis pateat, eum hoc ſupplicium generatim pro *quovis crudeliſſimo poenae genere* poſuiſſe. Tradiderunt vulgatiori ſententiae fere ſimilia hiſtorici antiquiſſimi Tubero & *Tuditanus* [e]: ita ut putem eorum teſtimonio facile poſſe redargui tum alios recentiores ſcriptores, qui tantum, ne vulgari & regia via ire viderentur, ab aliis diſſentiunt; tum prae-

a *l.* 5. §. 3. *ff. de capt. & poſtl. rev.* b *Cic. in Pis. c.* 19. *& de Off. d. l.* c *Epiſt.* 98.
d *Epiſt.* 67. e *Ap. Gell. Noct. Att. L. VII. c.* 24.

praecipue Palmerium a Grentesmenil virum praeteriti seculi (Obiit A. 1670. provecta aetate) nobilissimum ac doctissimum, qui in *exercitationibus ad Appianum Alexandrinum p. m.* 151. *& sqq.* putat, *Bostarem* & Hamilcarem eo praelio, de quo supra §. 8. diximus, victos cum navibus captis & victoriae nuncio Romam fuisse missos: eosque a Senatu uxori liberisque Reguli in custodiam fuisse traditos; ut eorum commutatione Regulum redimere possent. At cum in captivitate morbo obiisset Atilius, uxorem ejus omni spe abjecta captivos crudeliter vexasse: cumque id aegerrime Senatus Romanus ferret, fabulam hanc de necato per inediam, & vigilias, & tormenta Atilio per ejus propinquos in vulgus sparsam fuisse. Et de crudelitate quidem in Poenos captivos exercita loquitur Diodorus Siculus *fragmento L. XXIV.* quod per incuriam periisse Atilium ejus propinqui crederent: quae ipsa crudelitas vulgarem opinionem firmare videtur; cum non sine magna caussa eam exercitam fuisse verisimile sit. Sed quod addit Diodorus, *credidisse propinquos*

Reguli,

Reguli, eum per incuriam periisse, δι' ἀμέλειαν, nescio an parva mutatione legi possit, *δι' ἀπήνειαν, per crudelitatem*: μ enim & π in veteribus libris non admodum diversae esse figurae facile iis, qui illas versarunt, credo: λ autem fere est ν inversum; η denique & ε ejusdem fere soni literae facillime confunduntur. Idem certe cum recepta vulgo opinione etiam tradidit Cato in *Originibus suis*; ut ex loco Ciceronis citato satis constat. Atqui Cato, qui anno Urbis sexcentesimo quarto vel sequenti, aetatis octuagesimo quinto, mortuus est, non potuit id nescire; quippe qui septemdecim circiter annis demum post mortem Reguli natus facile illud ex ejus aequalibus audire potuerit. Mitto historicum Appianum Alexandrinum [a], *Silium Italicum* [b] poëtarumque alios similia fere de Regulo referre; cum poëtarum praecipue testimoniis, quippe qui mirabilia fere sectantur, minus insistendum putem.

§. XI. Eodem quo Metellus triumphavit anno Consules bello (quod per quatuordecim jam annos gerebatur) finem

§. 11. *Ad historiae seriem reditus.*

a *de bell. Pun. p. 3.* b *L. VI. v. 529.*

finem imponere cupientes cum classe ducentarum navium in Siciliam trajiciunt, & Lilybaeum obsident a ; quo capto se facile bellum in Africam transmittere posse sperarent. *Himilco* vero Carthaginiensium in ea urbe praefectus omnibus artibus Romanorum oppugnationem moratus est. Interea praecipui inter peregrinos, qui mercede conducti Carthaginiensibus militabant, conspirationem cum Romanis inituri noctu in castra ad eos transiliunt, ut cum Consulibus colloquerentur. Innotuit ea fraus Himilconi ope *Alexonis Achaei*; ejusque opera, qui in urbe remanserant mercenarii in fide retinentur; atque alii lapidibus ac telis excepti a muris recedere coguntur. Cumque etiam auxilium Carthagine inopinato urbem intrasset, animos resumpsere obsessi, ut eruptione facta plerasque Romanorum machinas corrumperent b. Verum haec Romam nunciata majorem etiam ardorem belli restaurandi animis
A. U. 504. injiciunt. Ergo *P. Clodius* (sive *Claudius*) *Pulcher* Consul cum omni classe profectus est *Drepanum*; quod solum oppi-

a *Polyb, L. I, c.* 41. b *Ibid. c.* 45. & 48.

oppidum praeter Lilybaeum in Sicilia obtinebatur a Poenis. Sed tanquam paratae ſpes praedae oſtenderetur, cum credituros non putaret Poenos poſt tantas clades claſſem idoneam habere Romanos, veteres novoſque remiges ſine delectu navibus imponit. Et ſane primo ad inopinatae rei ſpectaculum ſtupebat *Adherbal*: ſed mox collectis animis ante litus aciem inſtruxit, cum jam naves plures Romanorum in portum penetraſſent. Verum cum hoſtem nequaquam, ut crediderat, adventu ſuo territum cerneret Claudius, naves ſuas e portu retro navigare jubet; unde neceſſario maxima debebat exiſtere omnium rerum confuſio, & maximo ſuo incommodo ad ipſum litus pugnare cogebantur Romani. Et initio quidem aequa ſatis pugna fuit [a]; ſed cum Romani & peritia maris, & loco pugnae longe eſſent inferiores; quippe qui ſi premerentur retro ſe recipere non poſſent; verum aut in brevia, inciderent, aut ſolo illiderentur, Conſul cum navibus triginta fugam capeſſit; reliquas cum ipſis remigibus mili-

a *Ibid. c.* 51.

militibusſque ceperunt Poeni. Patet vero, Claudium fuiſſe hominem coecae ac temerariae audaciae; Deorum ac hominum contemptorem. Cum enim ex more ante praelium auſpicium ſumeretur, & renunciaſſet pullarius, *paſcere nolle pullos*; *ergo bibant* [a], inquit; & cum ipſa cavea in mare eos projici juſſit [b]. Deinde poſt cladem, cum a Senatu revocatus, ac Dictatorem dicere juſſus eſſet, palam illudens diſcrimini publico, ſcribam ſuum, vel viatorem [c], infimae certe ſortis hominem, dixit *M. Claudium Gliciam* [d]: qui ſtatim magiſtratu ſe abdicare coactus poſtea nihilominus tanquam ſummo magiſtratu functus ludos praetextatus ſpectavit [e]. Nec ipſe tantum Claudius hic Pulcher importunus; ſed etiam ſoror ejus *Claudia* atroci mulier animo fuit: quippe quae aliquando a ludis revertens cum turba premeretur, optaverit [f], *ut rurſus frater ſuus claſſem duceret*; ut nempe multitudo ea civium

a *Cic. de Nat. Deor. L. II. c.* 3. *&* *de Divin. L. I. c.* 16. *&* *II. c.* 8. b *Liv. epit.* 19. c *Suet. Tib. c.* 2. d *Tabb. Capit.* e *Liv. d. epit.*
f *Ibid. Val. Max. L. VIII. c.* 1. *n.* 17. *Suet. d. l.*

vium minueretur: ob quae verba mulieris tam improba & incivilia Aediles plebis ei mulctam dixerunt a, Claudius etiam habito de eo Populi judicio graviter mulctatus est b: licet sui ipsius parum memor Valerius Maximus *L. VIII. c.* 1. *ex.* 4. dicat, cum imbre discussa fuisset quaestio, aliam velut Diis interpellantibus de integro instaurari non placuisse.

Eodem anno etiam alter Consul *L. Junius Pullus* cum longis navibus centum viginti, onerariis vero, annona ceterisque rebus necessariis onustis prope octingentis in Siciliam trajicit; & cum maxima classis parte Syracusis subsistens Quaestores dimittit, qui necessaria legionibus ad Lilybaeum deferrent: ubi interea idonea clade Romanos affecerat Poenus Adherbal c. Qui cum auxilium illud obsessis adventare audivisset, obviam Quaestori pergit: sed cum ad litus se recepissent Romani, paucas naves commeatibus onustas abduxisse contentus tuto ex loco discessum hostium

T obser-

a *Gell. L. X. c.* 6. b *Polyb. L. I. c.* 52. *Cic. de Nat. Deor. L. II. c.* 3. *Val. Max. L. I. c.* 4. *n.* 3. c *Polyb. Ibid. c.* 53.

observat. Consul omnium, quae suis accidissent, ignarus secure adnavigat: cumque ipsi statim obviam factus esset praefectus Poenorum, naves suas ad loca aspera Consul ejicit, ne iis potirentur Carthaginienses. Atque ibi paulo post coorta tempestate ita misere Romanorum naves confractae sunt, ut ne tabula quidem ullius usus e naufragio superaret. Itaque jam rursus maris dominium plene obtinebant Poeni: Consule tamen, ut aliquid memorabilis facinoris ederet, *Erycem* montem & urbem Veneris cultu clarissimam in potestatem redigente [a]. Hoc tamen non profuit ipsi, quin ad Populum accusatus damnationis infamiam voluntaria morte praevenire coactus fuerit. In Gliciae porro per ludibrium Dictatoris facti locum suffectus est A. Atilius Calatinus, qui *primus Dictator exercitum extra Italiam duxit:* sed nihil, quod memorari mereatur, gessit: licet tanta animarum pertinacia post tot damna bellum reparassent Romani, ut quendam in Senatu de pace cum Carthaginiensibus facienda loqui ausum

occi-

a *Polyb. Ib. c.* 55.

occiderint. Anno tamen sequente continenti Italiae arcere Poenos contenti fere fuerunt Romani; cum commode etiam conductitius Carthaginiensium miles in Sicilia ob non soluta stipendia atroci in Imperatorem suum seditione insurgeret. Superveniente tamen cum novis auxiliis *Hamilcare* cognomento *Barca*, qui adolescentulus admodum erat [a], & pater celeberrimi istius *Hannibalis* toties nobis in sequentibus memorandi exstitit, multi ex seditiosis, tum alia ratione occisi tum in mare demersi sunt. Idemque in Italiam trajiciens maritimam oram omnem depopulatus est. Eodem quoque anno cum Syracusarum Rege Hierone perpetuam amicitiam sanxerunt Romani, quam Rex quoad vixit sinceram & integram servavit [b]. Cum autem in Siciliam reversus esset Hamilcar tuto loco inter Erycem & Panormum consedit [c], loco nempe ad castrametationem opportunissimo, & ingenti audacia, cum nullam sociam urbem, nullam spem haberet, plurimum inde negotii Romanis facessit. Et

A.U. 505.

A.U. 506.

a *Nepos ejus vica.* b *Zonar. T. II. Oros. L. IV.* c *Polyb. Ibid. c.* 56.

Et deinde, quum non procul ab eo loco, etiam Romani castra locassent, trium ferme annorum spatio multa & varia certamina inter eos commissa sunt, quae hic sigillatim referre opus non est: nisi quod omnia, quae industria, quae experientia, quae virtus bellica comminisci potuit, in opus deducta esse sciamus. Tandem tamen Romanos belli tam diu varia adeo fortuna gesti generosum taedium cepit: ita ut etiam privati pro modo facultatum ad belli sumptus conferre coeperint, singuli, aut bini, aut terni, quinqueremem cum omni suo instrumento praebendam suscipientes. Imo tantum animorum fuit, ut classe privatis sumptibus instructa *Hipponem* Africae urbem adorti fuerint: magnaque praeda parta inde discessuri erant Romani cum sentiunt cives, dum ipsi praedae intenti sunt, aditum portus catenis clausisse. Igitur arte hic & audacia opus esse animadvertentes, cum rostra navium jam catenas fere tangerent, subito in puppim omnes transierunt; atque ita proris levatis catenas superarunt; cumque rursus in proras transiliissent pup-

pibus

pibus iterum levatis transiverunt. Videntur autem hi privati Ducem Proconsule habuisse praecedentis anni Consulem *C. Aurelium Cottam*; ut ex nummi cujusdam inscriptione conjicit Pighius. Sed sequentibus proxime annis nihil memoria dignum gestum videtur; cum nec Polybius, nec Livii epitome quicquam memorabile notaverint: & expressim dicat Zonaras, plures tum fuisse Consules nullo facinore edito celebres. Atque observat idem scriptor, maximo detrimento Romanis fuisse, quod quotannis Imperatores mutarent; & eos, qui belli administrandi munia discebant adhuc, revocarent, quasi non rei gerendae, sed exercitii solum caussa eos misissent. Ex Floro [a] videmus *M. Fabio Buteone* Consule (fuit hic annus Urbis conditae quingentesimus octavus) Romanos classem hostium in Italiam ultro jam navigantem in Africo mari apud *Aegimurum* profligasse: eamque classem naufragio facto praeda opulentissima Africam & *Syrtes*, insularumque litora implevisse: de qua re apud alios auctores altum

A. U. 508.

a *L. II. c. 2.*

est silentum.

§. 12. *Exitus I. belli Punici.* *A.U.* 510. §. XII. Verum tandem anno Urbis quingentesimo decimo, cum etiam stipendiarii Galli a sociis Poenis male habiti defecissent a: atque deinde stipendio conducti Romanis militassent, (cum antea peregrinum militem alere non consuevissent Romani) ducentarum quinqueremium classe parata anno sequente *C. Lutatio* Consuli belli summam commiserunt: cum collegam ejus *A. Postumium* ad bellum proficisci volentem *L. Caecilius Metellus* Pontifex Maximus in Urbe retinuisset, quod Flamen Martialis esset, sacra deserere nequaquam passus b. Lutatio *sortes Praenestinas* de belli exitu consulere cupienti Senatus restitit, auspiciis patriis, non alienigenis Rempublicam administrari oportere judicans c. Quae etiam caussa fuisse dicitur, cur tum primum duo Praetores creari coeperint; ut, cum unus tantum ad bellum mitti potuisset Consul, velut adjutor ei Praetor alter daretur. Verum non, nisi postulante necessitate, (veluti hoc anno cum Postu-

A.U. 511.

a *Zonar.* b *Liv. Epit.* 19. & *L. XXXVII. c.* 51. c *Val. Max. L. I. c.* 3. *n.* 2.

Postumius a Pontifice in Urbe retineretur) bellicarum rerum administratio ipsi commissa fuit, cum proprie juri inter cives & peregrinos dicundo creatus esset [a]: unde etiam *Praetor Peregrinus* est dictus. Et hic Lutatio Consule vulnerato ducis partes subiit; maximumque ad victoriam momentum contulit [b]: unde etiam neque ac Consul anno sequente navalem triumphum egit; ut ex fastis patet; nam, si Valerio Maximo credamus, triumphus ipsi negatus fuit. Consul ergo Lutatius cum Praetore in Siciliam profectus Drepanum terra marique summis viribus aggressus est: nec minus diligenter socios navales quotidie exercuit; cum futurum esse provideret, ut paulo post cum classe occurrerent Poeni. Nam hi, cum praeter spem cognovissent [c], Romanos classem in mari habere; illudque denuo sibi assertum ire, etiam ipsi quadringentarum navium classem expediunt [d]; ducemque ei praeficiunt Hannonem, omni modo cum hoste

a *l.* 2. §. 28. *ff. de O. J.* b *Val. Max. L. II. c.* 8. *n.* 2. c *Polyb. Ibid. c.* 60. f *Polyb. L. II. c.* 27.

confligere cupientes: quod cum facile conjiceret Lutatius fortissimum quemque e pedestribus copiis assumit; & *Aegates* insulas Lilybaeo oppositas petit. Postridie statim, licet ventos haberet adversos, cum hoste conflixit; hoc reputans, posse eum sola Hannonis classe, eaque commeatibus onerata; & iis, quas adduxerat, copiis, tironum fere, decernere: sin autem exspectasset, donec desaeviisset tempestas, cum navibus onere jam levatis, cum militibus ex terrestri militia lectissimis; &, quod maximum erat cum audacissimo Hamilcare dimicandum fore. Ergo cum navibus ad certamen ineptis; cum remigibus subitariis & rudibus; cum milite tirone confligentes Romanos facile futuros superiores. Nec defuit consiliis eventus: nam primo statim congressu facile superati sunt Poeni, demersis navibus ipsorum quinquaginta, captis cum ipsis rectoribus septuaginta, reliquis omnibus in fugam conversis. Hominum juxta Polybium ad decem millia vivi sunt capti: nam Eutropius tum navium captarum & demersarum, tum hominum caesorum captorumque

rumque longe majorem facit numerum, non sine specie veritatis. Hanno cum paucis navibus in Africam elapsus haud diu post crucis supplicio poenas dedit: qui mos duces infortunatos, aeque ac imprudentes puniendi hodie etiam apud *Turcas*, barbararumque gentium alias obtinet. Haec tandem victoria pacem inter duos populos restituit. Nam, qnamquam animis quidem ad bellum gerendum promptissimi essent Carthaginienses, rationem tamen sustinendi ulterius belli commodam inire nullam poterant; nec ducibus ipsis amplius, quibus quidem Rempublicam credere auderent, nec militibus suppetentibus. Maxima igitur diligentia nunciis cum mandatis ad Hamilcarem missis summam rerum ipsius arbitrio permittunt: qui omnes primum vias audaces & periculosas bellando tentavit: sed, postquam omnis omnino spes res lapsas restituendi decolasset, legatos de foedere ac pace ad Consulem mittit. Nec Lutatio, qui vires Populi Romani hoc bello detritas probe sciret, ingrata legatio fuit. Itaque pacis conditiones, si ita Populo Romano vide-

deretur, Carthaginienfibus tulit: „ Poeni univerfa Sicilia excederent; „ cum Hierone Rege, Syracufanis, „ eorumve fociis bellum ne amplius „ gererent, captivos fine pretio red- „ derent; argenti talenta *Euboica* „ bis mille ducenta a in annos vigin- „ ti penderent. Graviores aliquanto „ leges Populus Romanus fecit b: „ tempus enim pendendi tributi coar- „ ctavit; talenta mille c ad fummam „ adjecit; omnibus infulis inter Ita- „ liam & Siciliam excedere Poenos „ juffit ". His legibus bellum graviffi- mum & per annos vigintiquatuor maximis utrinque cladibus geftum tandem fopitum fuit acrius multo poft aliquot annos exarfurum. Sicilia, praeter ea, quae Regis Hieronis erant, in provinciae formam redacta eft: eaque *prima* Populi Romani extra Italiam *provincia* fuit facta d. Videtur autem a *Q. Lutatio* Caji fratre, qui anno quingentefimo duodecimo Con-
A.U. 513. ful fuit, anno fequente quingentefimo

a *Florenorum vicies centena fexcenta quadraginta millia.* 2640000. b *Polyb. Ibid. c.* 63.
c *Flor. decies centena ducenta millia.* 1200000.
d *Cic. in Verr. L. II. c.* 1.

mo decimotertio ex decem legatorum ſententia ordinata fuiſſe: eoque deinceps privati Conſulares, vel Praetorii extra ordinem cum imperio miſſi ſunt [a]. Poenos autem domi atrox ſeditio mercenariorum militum excepit; quam narrat Polybius *L. I. 68. ſqq.*

§. XIII. Anno quingenteſimo duodecimo cum Faliſcis etiam bellum geſtum eſt: ad quod ambo Conſules profecti intra ſextum diem illud confecerunt, urbe hoſtium capta; &, caeſis quindecim millibus, ceteris pax eſt conceſſa, agrorum tamen dimidia parte multatis [b]. Cauſſa belli videtur fuiſſe, quod *Genucium* tribunum plebis contumelia affeciſſent: ut hinc ortae videantur ingentes illae Romanorum in Faliſcos irae [c]; qui ſevere in eos animadvertiſſent, niſi edocti fuiſſent, Faliſcos ſe *non poteſtati, ſed fidei* Romanorum commiſiſſe: ſed eo intellecto omnem iram placida mente depoſuerunt [d].

§. 13. *Alia minoris momenti, quae hoc tempore evenerunt.*

Hoc primum tempore ſi a primis plane

a *Vid. Pigh. ad A.U.* 513. b *Eutrop. L. II. c.* 28. c *Plut. Gracchis p. m.* 836. d *Val. Max. L. VI. c.* 5. *ex.* 1.

plane initiis incipimus, Romani, qui hactenus bellica ſolum laude floruiſſent, etiam ingenii claris opibus famam perennem ſibi aſſerere coeperunt. Nam anno 513. *L. Livius Andronicus* poëta primus Romae fabulam docuit [a]; ita ut ultra annos quingentos carminum & rei ſcenicae ſcientia caruerint Romani. Et anno ſequente natus eſt *Ennius* pater poëſeos Romanae; quae prima incunabula humaniorum artium apud Romanos fuerunt. Itaque non multum a veritate abfuit *Porcius Licinius* poëta, cum cecinit [b],

Poenico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Et Varro e carmine, quod de Punico bello primo ſcripſit *C. Naevius*, probat, eum hoc bello ſtipendia feciſſe [c]. Nec diu adeo poſt haec tempora Plautus fabulas Romae docuit; mortuus quippe anno Urbis quingenteſimo tertio [d]. Atque inde magis magiſque

a *Cic. Bruto c.* 18. b *Gell. L. XVII. c.* 21. c *apud Gell. d. l.* d *Euſeb. in Chron. ſed Cic. de Cl. Orator. c.* 15. *eum A. U.* 569. *mortuum dicit.*

gisque apud Romanos literarum amor invalescere coepit: cum etiam Fabius Pictor & Cincius Alimentus historici ad hoc tempus sint referendi; & *Licinius Tegula*, an *Imbrex poëta.*

CAPUT SECUNDUM.

Alia bella, & maxime Gallica.

Ex bello Punico feliciter confecto ingens gloria Romanis accesserat; ita ut legatos quoque ad *Ptolemaeum Aegypti* Regem miserint, auxilium ei adversus *Antiochum* Syriae Regem, qui ditiones ejus bello invaserat, offerentes. Verum cum pugna inter Reges jam transactum esset negotium gratias egit Ptolemaeus; auxilia non accepit; periculi rem plenam esse sciens; quod in conductitiis suis experti sunt Poeni [a].

§. I. Veruntamen alia rursus statim bella exorta sunt. Nam ipso anno, qui pacem cum Poenis factam excepit, suspicio quidem erat, *Sardos* & *Corsos* a Poenis ad bellum contra Romanos incitari: sed Gallorum *Ligurum*que

§. 1. Bellum Gallicum & Lingusticum. cum Sardis. A. U. 514.

a *Polyb.* 1. 68. *Eutrop.* L. III. c. 1.

*rum*que conatus tamen erant suspectio-
A.U. 515. res; quippe qui anno sequente in apertum bellum eruperint cum Etruriam Romanae ditionis regionem hostiliter vexarent. Contra Gallos missus alter Consul *P. Valerius Falto* primo quidem praelio ab iis victus fuit: & postquam auxilia sibi mitti Roma intellexisset, denuo (priusquam illa venirent) Gallos aggressus est, ne socium victoriae haberet: & fortuna quidem superior fuit [a]. Triumphus tamen ipsi negatus est, quod priore praelio tria millia Romanorum perdidisset [b]. Alter Consul *Ti. Gracchus* Sardiniam Corsicamque subegit: nec praedae quicquam aliud, quam mancipia inde reportavit: quae cum essent vilissima, proverbium inde ortum volunt, *Sardi venales, alius alio nequior* [c]: quod alii ad posteriorem Gracchum hujus nepotem referunt.

§. 2. *Belli Gallici continuatio, & alia.*

§. 2. Cum Gallis vero bellum continuatum est: & anno quingentesimo decimo sexto ambo Consules adversus eos missi, dum quidem una tenderent,
A. U. 516. insuperabiles erant: sed dum majoris prae-

a *Zonar. T. II. p. m. 51. f.* b *Oros. L.*
c *Fest. V. Sardi venales.*

praedae cupiditate loca quaedam separati vastare coepissent a *Q. Fulvii Flacci* Consulis castris aegre repulsi sunt barbari [a]. Alterum vero Consulem *L. Cornelium Lentulum* de Liguribus triumphasse ex Tabulis Capitolinis & Zonara colligitur. Verum in quo codice Eutropii legerit Pighius, hos Consules primum exercitum trans *Padum* duxisse, & magnam vim Ligurum & *Insubrum* cecidisse nescio, cum in meis nihil tale inveniam [b]. Et sane ad annum sequentem etiam ex MS. *Santensi* codice Eutropii prodigia quaedam refert Pighius, quae in editis non habentur. Hoc anno Galli tantam belli molem conciverunt, ut ambobus Consulibus provincia Gallia decerneretur: a quibus per legatos agrum *Ariminensem* repetierunt; eosque urbe Arimino, quae sua esset, cedere jusserunt. A Consulibus ad Senatum missi re infecta redire coacti sunt; & ad suos reversi intestinis

a *Zonar. T. II.* b *Sed inspecta editione Colinaei Paris.* 1539. *id ibi legi video. Antea Cellarii tantum & Tan. Fabri filiaeque ejus editiones inspexeram; ubi non habetur; ut nec in Paeanii Metaphrasi.*

nis dissensionibus eos invenerunt afflictos a: ita ut quiescentibus Romanis Gallicus ille tumultus per se conciderit. Boji tamen, quod rebellassent, magna agri parte mulctati sunt. Eodem anno cum alter Consul *C. Licinius Varus* Sardiniam obtinuisset, legatum suum Claudium Gliciam cum copiis in Corsicam praemisit, quando ipse cum toto exercitu ob penuriam navium eo trajicere non posset. At hic Glicia ante Consulis adventum pacem cum Corsis fecit: quam cum Senatus ratam habere nollet Gliciam Corsis dedidit: a quibus tamen receptus non est b; quemadmodum olim a Samnitibus Consules, qui pacem Caudinam fecerant, cum dederentur, receptos non fuisse vidimus. Sed domum reversus in publica custodia necatus est Glicia; & in *scalas Gemonias* abjectus. Nescio autem, an hic idem sit Glicia; quem *capite praecedente* §. 11. Dictatorem a Claudio per ludibrium dictum vidimus: nam fieri potest, ut ab eo tempore honores quosdam, licet indignus, gesserit: Pighius

a *Polyb. L. II. c.* 21. b *Zonaras. Amm. Marc. L. XIV. f.*

Pighius quidem eundem fuiſſe putat. Hoc eodem anno *ludos Seculares* tertios Romae actos fuiſſe ex fragmentis tabularum Capitolinarum apud Panvin. *faſtis p. m.* 27. conſtat. Inſtituti fuerant anno Urbis ducenteſimo nonageſimo ſeptimo; ut ſingulis centenis & denis annis pro incolumitate Imperii celebrarentur a: ergo ſecundum celebrati fuerunt anno quadringenteſimo ſeptimo: tertium hoc anno quingenteſimo decimo ſeptimo: licet poſtea numerus ille annorum non omnino obſervatus fuerit.

Anno ſequente pace undique terra marique parta, Sardiſque in poteſtatem redactis templum Jani clauſum fuit; quod poſt Numae tempora non contigerat; nec deinceps ante rempublicam ab Auguſto in monarchiam verſam factum fuit. Sed eo ipſo adhuc anno Sardi inſtigantibus Poenis rebellarunt: qui tamen Poeni, cum jam bellum iis indictum eſſet, crebra & ſollicita legatione pacem obtinuerunt. Eodemque anno *Manlius Tor-*

a *Zoſim. ab init. L. II. Cenſorin. de die nat. c.* 13.

quatus Consul de Sardis triumphavit; ut etiam anno sequente *Sp. Carvilius Maximus* Consul: quo eodem anno alter *Sp. Carvilius* cognomento *Ruga primus* post Urbem conditam *divortium cum uxore fecit* a; postquam apud Censores jurasset, *se liberorum quaerendorum caussa uxorem duxisse; suamque, quam jam haberet, sterilem fuisse inventam.* Insigne certe Romanorum in vita privata moderationis documentum; praesertim cum legamus b, Carvilium ne ita quidem caussam suam servioribus morum aestimatoribus probasse. Eam autem historiam hic referimus; quia hic annus Censores habuit: licet forte ad sequens lustrum, sive ad annum quingentesimum vigesimum tertium referendar sit: nam Consules, quos nominat Gellius, cadunt in annum quingentesimum vicesimum sextum; quo nulli Censores fuerunt. Dionysius ab Halicarnasso *L. I. c.* 25. hunc eundem casum narrans Consules anni quingentesimi vigesimi secundi profert.

§. III.

a *Gell. L. IV. c.* 3. b *Dion. Halic. L. II. c.* 25. *Val. Max. L. II. c.* 1. *ex.* 4.

§. III. Continua porro his annis cum Liguribus Sardis & Corsis fuerunt bella a; cum instigare eos non cessarent Carthaginienses: ita ut hi anno quingentesimo vigesimo hostes judicarentur; legatisque missis juberentur magnam pecuniae summam numerare, & omnibus insulis inter Italiam & Africam, ut quae Romanorum essent, excedere; vel bellum suscipere; quarum rerum signa *hastam* & *caduceum* legatus ferebat. Carthaginienses nihil territi, *se neutrum velle* dixerunt; *sed illud alacriter accepturos, quod legati reliquissent*. Et ita quidem acerbissimorum rursus odiorum semina sparsa sunt: neuter tamen populus bellum incepit.

§. 3. Bella cum Liguribus, Sardis Corsis, De Centumviris.

Circa idem tempus, vel non diu certe ante illud *Judicium Centumvirale* in Republica videtur fuisse institutum; cum ante octo annos primum triginta quinque tribuum numerus Romae expletus esset: nam licet *Centumviri* dicerentur, qui hoc judicio judicabant, revera tamen erant *centum & quinque*; tribus scilicet judicibus ex quaque tribu lectis. Hi judicia faciebant in caussis gravioribus, *A. U. 512.*

 &

a Zonar.

& quae non facti, sed juris erant; ut, exempli gratia, in petitione haereditatis, caussa inofficiosi testamenti, usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, & similibus [a]. Et semper hi *Centumviri* sunt dicti: licet post Augustum *centum & octoginta* conscriberentur in quatuor consilia plerumque divisi [b].

Eodem hoc anno de Liguribus triumphavit *Q. Fabius Maximus Verrucossus*, ille qui postea, quod *cunctando* Hannibalem fregisset, *Cunctator* appellatus est: itemque alter Consul *M' Pomponius Matho* de Sardis: quos post biennium hujus Mathonis, ut videtur, frater *Marcus*, cum se saltuosis antris & aviis sylvis tutarentur, tanquam feras, canibus sagacibus ex Italia arcessitis, inde extraxit [c]. Hujus vero Mathonis collega *C. Papirius Maso* Corsos ad deditionem compulit: atque ita hoc anno Sardinia & Corsica penitus subactae sunt; & in unius provinciae formam redactae. Ita ut non satis recte scri-

bat

a *Cic. Orat. I*, 38. b *Plin. L. I. Epist. n.* 18. *L. IV. n.* 24. *L. VI. n.* 33. *Quintil. Instit. L. XII. c.* 5. c *Zonaras*.

bat Vellejus Paterculus [a] T. Manlii Consulis ductu (vide ad annum 518.) *Sardiniam certum recepisse imperii jugum.* Observandum etiam est, Romanos occasione fuisse usos domesticarum turbarum, quibus agitabantur Poeni: qui absque eo fuisset non sivissent, puto, Romanos tam facile his insulis potiri: unde aegre ferebat Hamilcar, Sardiniam inter motum Africae fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito fuisse [b] interceptam. Tum quoque notandum est, hunc Papirium Masonem, cum Senatus ipsi triumphum negasset, quod non sine magna clade, & multo cum civium sanguine victoriam obtinuisset, *primum in monte Albano triumphasse* [c]; quod deinde simili occasione saepius factum fuit.

§. IV. Anno 521. *C. Flaminius* Tribunus plebis legem tulerat *de agro Picente Gallicoque plebi viritim dividundo:* & licet pater ejus pro sua potestate filium pro rostris legem ferentem inde

§. 4. Origo belli Gallici etiam gravioris.

a *L. II. c.* 38. b *Liv. L. XXI. c.* 1. c *Tabb. Capit. Val. Max. L. III. c.* 6. *ex.* 5. *Plin. H. N.* XV, 29.

inde deduxisset a, perlatam nihilominus eam legem postea fuisse verosimile est, cum quiescere consultius duxisset. Sed Gallis ex hac rogatione justissima belli caussa nata fuit b: quod diu ab illis coctum & paratum anno demum quingentesimo vigesimo octavo in apertum incendium exarsit. Tradit quidem Zonaras in historia anni quingentesimi vigesimi tertii Carthaginienses, Romanorum in Ligures expeditione cognita, se ad Romam invadendam parasse; sed videtur errantis calami lapsus; & pro Poenis Galli forte sunt intelligendi.

§. 5. *De bello Illyrico.* *A. U.* 523.

§. V. Verum eodem anno novum bellum Romanis est exortum cum *Teuta Illyricorum* Regina: quod etiam in Graeciam aditum Romanis patefecit c. Ferox praecipue hoc tempore erat mulier, (penes quam post mortem mariti *Agronis* summa rerum apud Illyricos erat) quod mariti auspiciis *Aetolos* gentem ferocissimam vi-

a *Cic. de Invent. L. II. c.* 17. *Vid. eund. Lucull. c.* 5 b *Polyb. L. II. c.* 21. *Cic. de Senect. c.* 4. *qui eam refert ad II. Fabii consulatum, sive ad A.* 525. *Vid. eund. Bruto c.* 14. c *Polyb. L. II. c.* 2.

viciſſet [a]; praeſertim cum etiam Epirotae & *Acarnanes* ſocietatem cum ea iniviſſent [b]. Igitur mercatores Italicos, alios deſpoliant, alios trucidant; nec paucos vivos captos ſecum abducunt. Romani mercatorum querimoniis excitati ligatos in Illyricum de mercatorum injuriis expoſtulaturos mittunt: quorum unus intempeſtiva libertate uſus Teutam adeo incendit, ut ſpreto gentium jure miſerit, qui legatos abeuntes necarent [c]. Ergo merito indignati Romani anno Urbis quingenteſimo vigeſimo quarto alterum Conſulem *Cn. Fulvium Centumalum* (male apud Polybium *Cajus* dicitur) cum ducentarum navium claſſe, alterum *L. Poſtumium Albinum* (etiam hic perperam *Aulus* praenomine Polybio dicitur, quod mirum eſt editores Polybii non animadvertiſſe, cum in Tabulis Capitolinis horum Conſulum nomina legantur) cum terreſtribus copiis adverſus Illyricos mittunt [d]. Fulvio *Corcyrenſes*, qui *Demetrium Pharium* (eo duce Regina utebatur) cum praeſidio Illyriorum *A.U.* 524.

 rece-

a *Ibid. c.* 4. b *Ibid. c.* 6. c *Ibid. c.* 8. *Paulo aliter Appian. Illyricis n.* 760. d *Ibid. c.* 11.

receperant, sese laeti dedunt consentiente etiam Demetrio: quo duce ad reliqua peragenda deinde Romani sunt usi. Cumque etiam Postumius cum terrestri exercitu Brundusio trajecisset ab *Apolloniatibus* in urbem recipitur: moxque simul cum collega *Dyrrhachium* obsidione Illyriorum liberat: & variis populorum vicinorum legationibus auditis in fidem & amicitiam eos recipit: interque eos *Issaeos*, a quorum obsidio etiam Illyrios fugaverat. *Nutriam* ambo Consules, sed multis, iisque ex praecipuis suorum amissis, expugnant: atque ita plerisque populis Illyrici Demetrio traditis exercitum Dyrrhachium reducunt:
A.U. 525. Sub initium veris Teuta his cladibus fracta pacem his legibus cum Romanis sancit [a]: *Tributum certum imponendum Regina quotannis pendito: Illyrico toto, paucis locis exceptis, excedito: ne ultra* Lissum *pluribus quam duobus lembis, iisque inermibus navigato.* Atque ita Graeci magno metu, quem ex crescente Illyriorum potentia habebant, liberati sunt; justiorem multo metus caussam, ut eventus docuit, a Roma-

a *Ibid. c.* 12.

Romanis deinde habituri.

§. VI. Eodem tempore etiam Occidentem versus imperium propagare desiderabant Romani; cum viderent Poenos, *Carthagine nova* in Hispania condita (eadem est, quae hodie *Carthagena* dicitur) ingens momentum rebus suis augendis attulisse [a]: sed, cum simul bellum Gallicum timerent [b], contenti fuerunt foedus cum *Hasdrubale*, qui Hamilcari socero in imperiis exercituum successerat, sancire, quo ultra *Iberum* amnem se continere Poeni tenebantur: ita ut *Saguntinus* mediis inter fines duorum Populorum libertas servaretur: quae egregia occasio Poenis potentiae suae firmandae fuit [c]. Etiam Romani interea Reipublicae suae firmandae intenti quatuor tum primum Praetores creant: quorum duo quidem ordinariam in Urbe jurisdictionem obirent, duo Siciliam & Sardiniam provincias regundas sortirentur [d]. Nec tamen cessabat belli Gallici metus: qui tantus erat, ut ad malum illud averten-

§. 6. De bello Gallico.

A. U. 526.

V 5 dum

a *Ibid. c.* 13. b *Vid. Plut. Marcell. p. m.* 299. *B.* c *Polyb. Ibid. c.* 22. d *l.* 2. §. 32. *ff. de O. J.*

dum ferali sacrificio sibi utendum putarint Romani, Gallo cum Galla, Graeco cum Graeca vivis in foro boario defossis a: quod Livius post cladem Cannensem factum refert b; sed verosimile est talia sacrificia saepius iterata fuisse.
A.U. 528. Anno ergo quingentesimo vigesimo octavo Sardorum quidem rebellantium motus intra paucos dies *C. Atilius* Consul compescuit c. Contra Gallos vero missus est collega ejus *L. Aemilius Papus* cum majore quam unquam exercitu; & cujus numerus fidem fere superat d. Dicunt enim multitudinis ad bellum aptae, quaeque nomen militiae dedisset, tam ex sociis, quam ex civibus Romanis hoc bello, uno quidem tempore, militasse peditum millia septingenta; equitum septuaginta millia: quae tum in exercitu adversus Hannibalem, tum ad custodiam Urbis, tum ad varios in variis locis usus sub armis erat. Ita ut plane mirum videri debeat, Hannibalem, cum ipse vix viginti millia haberet, quos huic multitudini opponeret, Italiam invadere ausum fuisse.

Eutro-

a *Plut. d. l.* b *L. XXII. c.* 57. c *Vid. Polyb. L. II. c.* 27. d *Polyb. Ibid. c.* 24.

utropius [a] etiam ex Fabio Historio, qui ei bello interfuit, tradit, octingenta millia hominum parata ad l bellum fuisse. Galli interea jam erant ad *Clusium* [b], quae urbs tridui antum itinere Roma distat, ipsam Jrbem petentes; cum nunciatur, Romanorum exercitum ipsis a tergo mminere: igitur cupidine pugnandi flagrantes agmen convertunt, Romanos subito adoriuntur, & in collem quendam, sex millibus suorum amissis confugere cogunt: verum obsessis ibi a Gallis opportune advenit cum exercitu L. Aemilius Consul [c]: nam ejus adventu cognito Galli statim abire statuunt, ut praedam ingentem, qua potiti fuerant, incolumem sibi servarent. Aemilius praelio cum iis contendere non e re sua esse ratus occasiones tantum aut hostibus nocendi, aut aliquid de praeda avertendi captare statuit. At singulari quodam casu alter Consul C. Atilius, qui exercitum e Sardinia reportaverat, contrarium Gallis in eodem maris inferioris litore iter habens Romam cum copiis

a *L. III. c. 5.* b *Polyb. Ibid. c. 25.* c *Ibid. c. 26.*

piis tendebat. Ita inter duos exercitus intercepti] Galli, & a Romanis victi sunt [a]; nequaquam tamen incruenta pugna; & altero etiam Consule in praelio occiso [b]. Sed Gallorum quadraginta millia caesa; decem millia dicuntur capta: in quibus alter regum *Concolitanus*; alter vero *Aneroëstus*, & necessarii ejus manus sibi intulerunt. Aemilius Consul splendidum de Gallis triumphum egit: eumque finem haec Gallorum in Italiam
A. U. 529. expeditio habuit. Ut tamen penitus Gallos e *Circumpadanis* regionibus expellerent Romani anni sequentis ambos Consules cum maximis copiis iterum in illos miserunt. Sed hi, juxta Polybium, imbribus continuis & peste deterriti nihil memorabile gesserunt; nisi quod Bojorum gentem in deditionem receperint. Orosius vero primos hos trans Padum Romanas duxisse legiones tradit; feliciterque ibi cum Insubribus Gallis pugnasse. Sed
A. U. 530. majorem fidem meretur Polybius, qui anni demum sequentis Consules *C. Flaminium* & *P. Furium Philum* in regionem Insubrum trajecisse dicit [c]: sed

a *Ibid. c.* 30. b *Ibid. c.* 3. c *L. II. c.* 32.

ſed coeſos fuiſſe, & ex pacto regionibus illis exceſſiſſe adjicit; ita ut in Gallorum Cenomannorum, qui ſocietatem cum Romanis colebant, fines ſe receperint. Tum auxiliis ex ea gente adſcitis, neglectiſque pactionum legibus in Inſubrum terras reverſi ſunt. Non multum tamen Gallis iſtis ſociis fidentes Romani fluvium eos trajicere jubent: ipſi ad alteram ejus partem remanent: atque ita una opera & nocendi facultatem Gallis adimunt; & vincendi neceſſitatem imponunt. Edocuerant praeterea milites ſuos Tribuni Romanorum [a], quod e ſuperioribus bellis obſervaverant, Gallorum animos poſt primum impetum ſtatim deferveſcere [b]: & praeterea gladios eorum ita eſſe factos, ut poſt primum ictum facillime curvarentur, ita ut niſi, mucrone terrae impoſito, pede iterum eos dirigerent, plane ad alterum ictum inepti forent. Ergo cnm haſtas Romanorum caedentes primo ſtatim ictu gladios ſuos inutiles reddidiſſent, ſtatim Romani ſtrictis ſuis gladiis in eos irruerunt: ita ut victoriam adepti ſpoliiſque

a *Ibid. c.* 33. b *Flor. L. II. c.* 4.

liisque non paucis partis Romam redierint. Et ex tabulis Capitolinis utrumque Consulem triumphasse appareret; licet Zonaras contumaciae crimen ambobus a Senatu objectum scribat; quod, cum, vitio creatos eos esse, augures pronunciassent, Senatusque propterea ab exercitu eos revocasset, nihilominus, collegae Flaminii dictis obsequente Furio, in provincia mansissent; praelioque cum hoste conflixissent: qui tamen etiam asserit, invito Senatu, decreto Populi eos triumphasse. Hic est Flaminius, qui circum a suo nomine dictum exstruxit, viamque stravit [a].

§. 7. Belli Gallici finis, & spolia opima a Marcello relata.

A. U. 531.

§. VII. Consulatus tamen ex Senatusconsulto ipsis abrogatus fuit: ita ut, re ad interregnum delata [b], anni sequentis Consules *idibus* demum *Martiis* Consulatum inierint: qui dies deinde per multos annos magistratui ineundo solemnis fuit. Itaque *M. Claudius Marcellus* Consul cum collega *Cn. Cornelio Scipione Calvo* urbem Insubrum *Acerras* obsident: contra Galli *Clastidium* sociorum Populi Romani

a *Ep. Liv.* 20. *Fest.* b *Plut. Marcell. p. m* 300. *C.*

mani oppidum oppugnant: ſed ad auxilium obſeſſis ferendum adventanti Marcello obviam profecti magna clade vincuntur: illiſque ſe Mediolanum recipientibus Acerras occuparunt Romani. Hoc praelio Marcellus *Viridomarum* Gallorum *Geſatarum* Regem conſpicatus in eum impetum dedit, victum, ſpoliavit, & *tertia ſpolia opima Jovi Feretrio tulit* a. Interea Scipioni obſidio Mediolani minus ex voto cedebat: &, Gallis fortiter pro hac ſua praecipua urbe pugnantibus, non tam obſidebant, quam obſidebantur Romani: donec a caede hoſtium reverſo Marcello utbs expugnata fuit: & principes Inſubrum animis fracti Romanis ſe permiſerunt. In agrum a Gallis captum mox *Placentia* & *Cremona* coloniae deductae ſunt b. Marcellus Romam reverſus ſplendidiſſimum egit triumphum: qui honos collegae ejus, qnod minus bene rem geſſiſſet, negatus eſt: qui tamen videtur more majorum ex decem legatorum conſilio provinciam Galliam conſtituiſſe; licet anni ſequentes Conſu- *A.U.* 533.
les reliquias adhuc quaſdam belli per Gallias

a *Plut. Marcell. p.* 301. b *Liv. epit.* 20.

Gallias & Liguriam ad Alpes usque profecuti sint [a]: quo anno etiam libertini, qui in omnes triginta quinque tribus disperſi fuerant, a Censoribus rurſus in quatuor urbanas redacti sunt.

§.8. *Bellum rurſus Iſtricum.* § VIII. Eodem anno, quo victoriam illam obtinuerat Marcellus, secundum bellum *Iſtricum* in *Illyrico* motum eſt: quod *Iſtri* naves Romanorum frumentum vehentes infeſtaſſent [b]: & ambo Conſules plures ejus regionis Populos non ſine multo Romanorum ſanguine ſubegerunt. Sed haec omnia bella cum Sardis, Cordis, Iſtris & Illyriis geſta gravia non fuerunt; ita ut laceſſiſſe magis, quam exercuiſſe Romana arma videantur [c]. Et cum Gallis quoque tumultuatum verius quam bellatum fuiſſe loco in margine citato dicit Livius: hoc, puto, innuens, non ordinata ex arte bellica acie, nec ex moratiorum gentium inſtitutis, bella gerere Gallos id temporis fuiſſe ſolitos. Itaque ad belli Punici ſecundi, omnium, quotquot unquam geſſere Romani, bellorum gra-

a *Zonar.* b *Eutr. L. III. c.7.* c *Liv. L. XXI. c.16,*

gravissimi, reique publicae eorum periculosissimi enarrationem transeamus.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Bello Punico Secundo.

§. I. Cum circa annum Urbis quingentesimum decimum septimum Hamilcar Poenorum Dux in Hispaniam trajiceret, ut Carthaginiensium in ea regione Imperium restauraret, atque profecturus jam pro more sacrificaret, dicitur filium Hannibalem novem annorum puerum, quem secum in eam expeditionem ducebat, ad aras Deorum admovisse, jureque jurando adegisse, *nunquam amicum Romanorum fore* a. Hamilcar ibi per novem annos strenue bellum administravit: tandemque cum hoste fortissimo potentissimoque signis collatis dimicans vitam finiit b. Imperium

§. 1. Origo belli Punici I.

X

a *Polyb. L. III. c.* 12. *Liv. L. XXI,* 1,
b *Polyb. L. II. c.* 1.

rium ad Hasdrubalem generum ejus delatum fuit: isque circiter octo annis illud obtinuit [a], noctu demum in hospitio suo a Gallo quodam privatas ulciscente injurias caesus [b]. Tum milites uno consensu imperium Hannibali deferunt: militumque suffragia Senatus Carthaginiensium rata habuit. Ita Imperator constitutus Hannibal occasiones statim rumpendi cum Romanis foederis quaesivit. Et, si testimonio scriptorum Romanorum, vel eorum, qui ex Romanorum narrationibus scripserunt [c], standum est, *omnibus quidem virtutibus, quae perfectum faciunt Imperatorem, praeditus fuit Hannibal; sed simul etiam ingentia vitia has tantas viri virtutes aequabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica,* (Romanae factionis scriptores sunt, qui loquuntur) *nihil veri, nihil sancti, nullus Deorum metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* Polybius [d] vero, ut in omnibus, qui magnas res gesserunt, ita quoque in iis, quae de Hannibale scribuntur, veritatem

a *Polyb. L. II. c.* 36. *Liv. L. XXI. c.* 2.
b *Polyb. L. III. c.* 13. c *Liv. XXI.* 4.
d *Excerpt. de virt. & vit. c.* 9.

tatem assequi difficile esse summo cum judicio observat; praesertim cum varios adeo casus, atque inopinos expertus sit, & amicorum prorsus contraria indole praeditorum consuetudine usus fuerit. Quibus addi potest in liberae civitatis, qualis erat Carthaginiensium, regimine factionibus & contrariis studiis perpetuo contendi: quemadmodum Carthagine etiam duas fuisse factiones videmus, quarum alterius princeps erat Hannibal, alterius *Hanno*; quem proinde Livius [a] acerbe in Hannibalem, & ejus bella ex bellis serendi ambitionem invehentem inducit. Et haec de Hannibale dicenda videbantur; ne temere declamantium magistellorum erroribus juventus se implicare patiatur.

§. II. Cum itaque in Hispania rerum summa ad Hannibalem delata foret, *Olcadum* primo valida gente subacta [b], mox *Vaccaeorum* unam & alteram urbem occupat: & *Carpetanis* quidem, aliisque populis finitimis in itinere se ipsi objicientibus summum ex inopinato periculum adiit [c]. Ve-

§. 2. Res in Hispania ab Hannibale gestae. A. U. 533.

a *L. XXI. c.* 3. *&* 10. *L. XXIII.* 12.
b *Liv. L. XXI, c.* 5. c *Polyb. L. III. c.* 14.

rum iis hostibus feliciter superatis nemo jam amplius erat intra Iberum fluvium, qui facile contra Carthaginienses oculos tollere auderet, unicos si exciperes Saguntinos; quorum urbs eo loco fuisse creditur, quo hodie est *Morvedro* in *Valentiae* regno oppidum. Sed sollicite vafer Poenus Saguntinis Romanorum foederatis arma abstinebat, ut omnia circum loca sibi prius subjiceret, antequam ullum belli praetextum Romanis daret. Saguntini vero [a], qui satis prospiciebant, fore, ut omnibus in Hispania a Carthaginiensibus subactis, ipsi etiam denique victoriae accessio fierent, identidem nuncios Romam mittebant, qui conditionis incertissimae, qua res eorum erant, Romanos monerent. Romani, postquam saepe hos nuncios neglexissent, tandem legatos in Hispaniam miserunt, qui praesentes de omnibus rebus cognoscerent. Hi cum Hannibale collocuti eum monent, ut Saguntinis, qui in fide Populi Romani erant, parcere vellet; neve amnem Iberum contra foederis cum Hasdrubale icti leges transiret.

Hanni-

a *Ibid. c.* 15.

Hannibal contra, quasi ipse Saguntinis faveret, questus est, paucis ante annis exorta Sagunti seditione, cum totius controversiae arbitrium Romanis fuisset permissum, ut cives ad concordiam perducerent, nonnullos principum iniqua morte affectos fuisse. Adjecitque Carthaginienses a patribus ita fuisse edoctos, ut neminem injuria paterentur affici. Simul misit Carthaginem, qui sciscitarentur, quid sibi faciendum foret, quando Saguntini amicitia Romanorum freti suae ditionis populos injuriis lacesserent. Testaturque Polybius [a], falsam hanc caussam ab Hannibale & Poenis fuisse confictam, qui longe honestius de Sardinia erepta, & stipendio sibi a Romanis imposito, dum mercenariorum bello implicarentur, queri potuissent. Legati etiam Romanorum Carthaginem, ut similia ibi in Senatu Poenorum testarentur, profecti sunt: sed ea quoque legatio irrita fuit; responsumque est, „ Bellum a
„ Saguntinis, non ab Hannibale ortum
„ esse; Populum Romanum injuste fa-
„ cere, si Saguntinos vetustissimae

a d. c. 15.

„ Carthaginienſium ſocietati praepo-
„ nat a. "

§. 3. *Bellum etiam interea cum Iſtris.* §. III. Cum tamen interea Senatus reputaret, ſi bellum cum Poenis gerendum eſſet, diuturnum hoc, & ob diſtantiam locorum (quippe quod in Hiſpania gerendum foret) moleſtum futurum, primum res in Illyrico componendas eſſe ſtatuit b. Demetrius enim Pharius beneficiorum a Romanis acceptorum immemor c, & ſpe auxilii a *Macedonibus* fretus, Romanorum in Illyrico urbes vaſtabat; & contra pacis leges ultra Liſſum quinquaginta lembis navigans *Cycladas* in-
A. U. 534. ſulas incurſabat. Ergo Romani *L. Aemilium Paullum* Conſulem cum exercitu in Illyricum mittunt; dum interea Hannibal Saguntinos acerrima jam obſidione premeret. Aemilius ſtatim, ut in Illyricum venit, *Dimalum* munitiſſimam urbem oppugnare ſtatuit; eamque die ſeptimo in poteſtatem redegit d. Inde *Pharum* aeque munitam urbem adortus majorem exercitus partem noctu in terram exponit, antriſ-

a *Liv.* XXI. 11. b *Polyb. L. III. c.* 16.
c *Vid. Libr. praec. c. ult.* §. 5. d *Polyb. Ibid. c.* 18.

antrisque & sylvis abscondit: ipse luce orta cum viginti tantum navibus portum petit: dumque contemptim iis obviam occurrunt Pharii, progressi, qui expositi fuerant Romani pugnantes Illyrios ab urbe excludunt. Et licet fortiter cum suis pugnaret Demetrius, tamen exercitu ejus in fugam acto, etiam ipse ad *Philippum Macedoniae* Regem confugit. Ita Romanus Consul Pharum captam diruit: totoque Illyrico in potestatem redacto exercitum ad triumphum deportavit. Ex Zonara patet, etiam Livium alterum Consulem huic bello adfuisse: imo ex eo triumphasse tradit Aur. Victor. Frontinus autem *Stratag. L. IV. c. 1. f.* damnatum eum dicit ob praedam inaequaliter divisam; cui adsentitur Livius *L. XXII. c. 35.* & *L. XXVII. c. 34.*

§. IV. Sed dum haec in Illyrico geruntur, & de bello Poenis indicendo Romae deliberatur, legationibusque mittendis tempus teritur, in Hispania Hannibal post octo mensium obsidionem Saguntum ceperat: cum omnia experti essent cives, quae longa obsidio fert incommoda, ita ut *§. 4. Reditum ad bellum cum Poenis.*

fames Saguntina [a] in proverbium abierit. Imo cum ultra urbem suam sese tueri posse desperarent Saguntini [b], collatis in forum, quae unicuique erant carissima, & circumdatis accensisque nutrimentis, publico & communi rogo semetipsos superjecerunt. Restauratam fuisse a Carthaginiensibus urbem dicit Appianus [c]; suoque tempore vocatam *Carthaginem Spartagenam:* de quo posteriore nomine alibi legisse non memini. Et eodem nomine Carthaginis retento fuisse repositam patet ex *Inscriptione*, quam Imperatore *Claudio* positam refert *Paulus Merula Cosmogr. p. II. c.21.* & item ex alia, quae tempore Imperatoris *Hadriani* facta apud Gruterum [d] legitur: quod eruditissimi & accuratissimi *Cellarii* diligentiam fugisse miror. Ex hujus urbis interitu, & Romanorum in auxilio iis inferendo lentitudine alterum & vulgatum dictum est ortum, *dum deliberant Romani perit Saguntus.*

§. 5. *Bellum rite Poenis indictum.*

§. V. Itaque Romani, cum bellum necessario gerendum esse viderent, omnia

a *Erasm. Adag. Ch. I. Cent. IX. n.* 67.
b *Val. Max. L. VI. c.6. ext. ex.* 1. c *de bellis Hisp. n.*261. d *p.* CCCLXXVIII. *n.*4.

omnia diligentissime comparant: exercitum tam sociorum, quam civium septuaginta duorum millium peditum; equitum quinque millium & octingentorum conscribunt; classemque instruunt: atque ita legatis Carthaginem missis bellum Poenis indicunt: a quibus alacriter id acceptum est [a]. Videtur autem in utramque partem posse disputari, utrum pium hoc bellum & justum Romani susceperint: nam licet foedere inter Romanos & Poenos facto cautum foret, *ut utriusque Populi socii ab utroque Populo tuti forent*; tamen cum ejus foederis tempore Saguntini nondum in societatem Romanorum essent adsciti, apud utrosque & Poenos & Romanos eodem esse loco debebant [b], quasi de sociis nihil convenisset. Verum hoc non prohibuit, quominus licuerit Romanis Saguntinos & in societatem adsciscere, & adscitos defendere; non scilicet ex vi foederis; sed ex jure naturali, quod foedere non erat abolitum: praesertim cum jam olim Saguntini se in fidem Romanorum & pote-

a *Polyb. L. III. c.* 33. *Liv. L. XXI. c.* 8. *Flor. L. II. c.* 6. b *Polyb. L. III. c.* 27.

poteſtatem dediſſent. Et ſane vera hujus belli cauſſa fuit indignatio Carthaginienſium ob Sardiniam ademptam, & ob pactiones, quas Romani iniquis temporibus, cum mercenariorum ſeditione occupati eſſent Poeni, expreſſerant: & quod iiſdem ex felici bellorum in Hiſpania ſucceſſu animi aucti fuerant [a]. Quibus rebus deinde, quod omnium maximum erat, internecinum Hamilcaris & filii ejus Hannibalis in Romanos odium accedebat [b].

§. 6. Hannibalis in Italiam expeditio.

§. VI. Ergo bello utrimque decreto Hannibal, poſtquam ſecuritati Africae & Hiſpaniae proſpexiſſet, ad expeditionem in Italiam ſuſcipiendam ſe parabat [c]. Et gnarus imprimis, Gallos *Subalpinos* & Circumpadanos iniquiſſimo animo dominationem Romanorum ferre [d] nunciis miſſis & prolixis pollicitationibus eos in ſocietatem ſuam pertraxit: licet Romani quoque legatos in Gallias miſiſſent, qui peterent, *ne Poeno bellum Italiae inferen-*

a *Vid. de tota re Grot. de jur. B. & P. P. II. c. 16. §. 13. & c. 17. §. 19. c. 22. §. 1.* b *Polyb. L. III. c. 9.--12.* c *Polyb. L. III. c. 33.*
d *Ibid. c. 34.*

ferenti per agros urbesque suas transitum darent. Quibus dictis tantus cum fremitu risus Gallorum ortus dicitur, ut vix a magistratibus majoribusque natu juventus sedaretur a. Responsumque legatis est, *Neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginiensium injuriam, ob quae aut Romanis, aut adversus Poenos sumant arma. Contra ea audire sese, gentis suae homines agris finibusque Italiae pelli a Populo Romano, stipendiumque pendere; & cetera indigna pati.* Atque eadem ferme in ceteris Galliae conciliis audivere. Hannibal itaque omnibus necessariis *A. U.* 535. firmatus initio veris copias ex hibernis educit peditum millia nonaginta, equitum duodecim, elatior etiam animo postquam audivisset, quomodo legatio Romanorum Carthagine fuisset excepta. Sed iis, quae inter Iberum amnem, & montes erant *Pyrenaeos*, subactis Hannoni cum parte copiarum eas regiones custodiendas tradit: ipse cum exercitu quinquaginta millium peditum, equitibus vero novies mille, quae omnes copiae erant validae, & ex continuis, quae in Hispania

a *Liv. L. XXI. c.* 20.

nia gesserant, bellis exercitatissimae, Pyrenaeum transit; & ad *Rhodanum* fluvium ducit [a]. Iter autem [b], quod a Carthagine nova ad Italiam & campos Circumpadanos ipsi conficiendum erat, fuit milliarium Romanorum mille centum & vigintiquinque: quae sunt horae itineris trecentae septuaginta quinque. Ejus adventus opportunitate statim deficiunt in Gallia Cisalpina Boji [c]: quanquam Romani, ut eos in fide retinerent, paulo ante duas validissimas colonias, Placentiam & Cremonam in eorum agros deduxissent [d]. Eadem contagio etiam Insubres traxit; qui *Mutinam* coloniam obsident: Triumviros ejus coloniae deducendae, quorum unus erat C. Lutatius Vir Consularis fide accepta ad colloquium egressos violata fide vinciunt, sperantes se ita obsides suos, quos sub exitum praecedentis belli dederant, recepturos esse. Perfidia Gallorum intellecta *L. Manlius*, qui regionibus illis praeerat, cum exercitu magno studio ad ferendam opem contendit. Eum Boji in saltu

a *Polyb. L. III. c.* 35. b *Ibid. c.* 39. c *Liv. L. XXI. c.* 25. d *Polyb. L. III. c.* 40.

saltu quodam ex insidiis circumvenientes plurimos caedunt; reliquos in vico *Taneto* obsident: quibus confestim *C. Atilius* Praetor [a] cum legione una auxilio mittitur. Interim Hannibal cum bona pace regulorum Gallorum per fines eorum exercitum ducebat. Jamque ad Rhodanum fluvium pervenerat, cum *P. Cornelius Scipio* Consul, qui ad ostium Rhodani Massiliae proximum castra habebat, vixdum satis crederet, Pyrenaeos montes ab eo esse superatos. Nam alter quidem hujus anni Consul *Ti. Sempronius Gracchus* cum classe bellum in Africam trajicere cogitaverat, tantis in Sicilia factis apparatibus, quasi ipsam Carthaginem primo appulsu fuisset obsessurus [b]: sed Hannibalem in Italiam adventare nunciato, confestim ad patriae opem ferendam revocatur [c].

§. VII. Hannibal porro, cum ad Rhodanum fluvium accessisset, ita ut quatuor dierum itinere ejus castra a mari abessent [d], statim copias trajicere conabatur: atque in eum finem magnam

§. 7. Quomodo Rhodanum trajecerit Hannibal.

a *Liv. L. XXI. c. 26.* b *Polyb. L. III. c. 41.* c *Ibid. c. 61.* d *Ibid. c. 42.*

magnam vim lintrium ab accolis emit, magnam *pontonum* (*genus est navium Gallicarum* a; quod etiam hodie eo nomine dicitur) multitudinem bidui spatio fabricari curat b. Cum vero ingentes copias barbarorum trans amnem conspexisset trajectionem impediturus Hannonem cum parte exercitus viginti quinque circiter milliaria supra castra sua flumen transire jubet, ut, cum opus facto esset, a tergo hostem adorirentur. Cumque ex signo, de quo convenerat, cognovisset Hannibal, eos transiisse, & haud procul jam abesse, etiam suos trajicere jubet, equis partim nando traductis c, elephantos vero ratibus transmittens. Ratem unam d ducentos longam pedes, quinquaginta latam a terra in amnem porrexerunt: quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus validis retinaculis parte superiore ripae religatam pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluae audacter velut per solum ingrederentur: altera ratis, atque lata, longa pedes cen-

a *Caes. de B. C. III.* 29. b *Liv. L. XXI. c.* 26. c *Polyb. L. III. c.* 43. *sqq.* d *Liv. Ibid. c.* 28.

centum, ad trajiciendum apta huic copulata eſt: & quum elephanti per ſtabilem ratem tanquam viam praegredientibus feminis, acti, in minorem applicatam trangreſſi eſſent, extemplo, reſolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahebatur. Ita primis expoſitis alii deinceps repetiti ac trajecti ſunt. Interim quingenti equites Numidae, quos caſtra Romanorum ſpeculatum Hannibal miſerat, ab ala equitum Romanorum fugatur, ingenti utrimque, majore tamen Numidarum [a], pro nunumero, caede: quod principium ſimul & omen belli, ut ſummae rerum proſperum eventum, ita haud ſane incruentam victoriam Romanis portendit.

§. VIII. Trangreſſo Hannibali Boji ſe itineris duces obtulerunt. Ille, qui cum Romanis, priuſquam in Italiam ventum foret, manus conſerere nollet, mediterranea Galliarum petit; ut ea parte, qua oritur Rhodanus, Alpes transgreſſus Italiam intraret: quod tamen perficere non potuit; cum per *Cottias*

§. 8. Iter Hannibalis per Alpes.

a *Polyb. Ibid. c.* 45.

Cottias potius & *Taurinas* Alpes in eam pervenerit. Plerique autem scriptores, qui monstrosum aliquid & inauditum proferre cupiunt, hoc iter Hannibalis ita describunt, ut nisi Deus, aut Heros aliquis e machina ipsi occurrisset, omnes incerti quo se verterent, fuissent perituri: cum certum sit & olim & hodie a magnis exercitibus Alpes saepe fuisse superatas. Quarto die postquam profectus erat Hannibal pervenit ad locum, ubi *Arar* Rhodanusque amnes diversi ex Alpibus decurrentes in unum confluunt. Mediis campis *Insulae* nomen erat inditum [a]. Incolebant prope *Allobroges*: apud quos regni certamine ambigebant fratres: quae res Hannibali in commodum vertit. Nam cum ad ipsum disceptatio esset rejecta, imperium majori restituit, quod senatus principumque sententiam futurum praeferserat. Inde *Druentiam* flumen trangressus cum bona pace incolentium ad Alpes pervenit. Hic tamen altitudo montium, nivesque prope coelo immixtae ingentem fecere terrorem: & si Galli, noctu praecipue, valles

a *Liv. d. l. c.* 31.

valles occultiores insedissent, ingentem fugam stragemque facere potuissent. Sed cum ex speculatoribus didicisset Hannibal, noctu tantum saltus illos ab hostibus insideri, cum exercitu ad ipsas illas angustias accedit; ibique castra communit. At quamprimum tumulis digressos montanos sensit, ipse prima vigilia ignibus in castris accendi jussis cum selecta expeditorum manu angustias silentio noctis evadit: atque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit. Itaque postridie quidem montani tumulos a Poenis occupatos vident [a]: verum cum in angustias tumultuari eos conspiciunt, equis maxime consternatis, multis ex locis simul in eos irruunt: quod videns Hannibal, & simul cogitans, nequicquam incolumem futurum exercitum, si jumentis & impedimentis exueretur, cum ea manu, qua angustias noctu occupaverat, e superiore loco in hostem decurrit; iisque in fugam versis otio suos traducit. Quin oppidum, unde impressionem fecerant hostes, desertum prope cepit; multos homines,

 equos-

a *Polyb. L. III. c. 51. Liv. d. l. c. 33.*

equosque, qui capti jam fuerant, recuperavit: ita ut per duos tresve dies pecoribus & frumento abundaret. Imo adeo perculit montanos, ut triduo aliquantum itineris conficere potuerit. Inde dolis etiam eum aggressi sunt barbari, missis, qui commeatum, amicitiam; duces itineris & obsides offerrent a. Accepit Hannibal, quae afferebantur, summa tamen cautione, ut inter fraudis suspectos. Nec multum processerat, cum in via insidiis apta undique coorti barbari eum aggrediuntur: & nisi Hannibalis providentia agminis extrema maxime firmata fuissent, ingens utique clades accepta foret. Sed etiam sic magna equorum jumentorumque multitudo periit. Atque ita nono tandem die in summa Alpium juga perventum est. Ibi biduo stativis habitis, jumenta multa equosque, qui aberraverant, recipit: eademque occasione usus est, cum jam in conspectu essent Circumpadani Italiae campi, ut praedam Italiae ipsiusque Romae quasi paratam ipsis ostenderet: eoque magis militibus firmatis opus erat, quod occidente

dente

a *Polyb. L.III. c.52. Liv. L.XXI.34.*

ente jam Vergiliarum ſidere (Plinius *Hiſtoriae naturalis L. II. c.* 47. & *L. XVIII. c.* 31. occaſum Vergiliarum refert ad III. Idus *Novembres*) omnia nive opplerentur. Inde poſtridie motis caſtris deſcendere coepit, ſed difficiliore multo, quam in adſcenſu fuerat, itinere; nive praeſertim & glacie iter moleſtius facientibus. Tandem, ſi fides Livio, vel potius iis, ex quibus ſua hauſit, annalibus, arboribus immanibus dejectis, & ſtrue ingenti lignorum facta, acetum in ardentia ſaxa infudit [a]; & in torrida incendio rupe anfractus modicis clivis mollivit, ut non jumenta ſolum, ſed etiam elephanti deduci poſſent. Quod autem ante dixi per Taurinas Alpes in Italiam perveniſſe Hannibalem, tum diſertis verbis teſtatur Livius, tum etiam multis & erudite, ut ſolet, probat *Lipſius epiſtolarum ad Belgas centuria I. Ep.* 93. vid. etiam *Theatrum ſtatuum Ducis Sabaudiae editum Hagae* 1700. *T. I.*

§. IX. Ita quinque menſium iter a Carthagine Nova emenſus, quin- *§. 9. Hannibalis in Italiam adventus.*

[a] *Juven. X. v.* 153.

to decimo die Alpibus ſuperatis a Circumpadanos Italiae campos & Inſubrum fines ingreſſus eſt Hannibal. Copiae, quae tum ipſi reſtabant incolumes, fuere ex Africanis peditum millia duodecim: ex Hiſpanis ad octo millia: equitum duntaxat ſex mille; ut quidem eas numerat Polybius; nam alii aliter & majores faciunt. Hic rurſus, ut paulo ante apud Allobroges fecerat, occaſione diſcordiarum inter *Taurinos* & Inſubres uti potuiſſet, niſi ex nimia fatigatione ad ſubitum otium transgreſſi ejus milites ea ipſa mutatione ad res gerendas minus idonei fuiſſent. Hic porro Scipio Conſul, qui diſceſſu Hannibalis ex caſtris ad Rhodanum audito navibus in Italiam contenderat, ſe ipſi ab Alpibus digreſſo objicit: ſuoque adventu Gallorum, qui Padum accolebant, defectionem ad Hannibalem prohibuit: (frater autem Conſulis, ut hoc obiter addamus, ab eo cum legionibus relictus fuerat, ut Hasdrubali ſeſe fortiter opponeret b) qui tamen Taurinorum urbem amicitiam recu-

a *Polyb. L. III. c. 56. Liv. L. XXI. c. 38.*
b *Polyb. d. l.*

recusantem vi expugnavit a. Mox Pado trajecto Consul castra ad *Ticinum* amnem admovit. Quae res utrumque ducem alterius admiratione imbuit: quod nempe Scipio in Gallia relictus iam obviam fieret descendenti ex Alpibus Hannibali; quodque Hannibal audacter adeo & feliciter Alpes trajecisset. Inde cum & Romanorum & Poenorum animi ab Imperatoribus suis egregiis adhortationibus ad certamen essent accensi b, Romani Ticinum ponte jungunt, exercitumque traducunt c: Hannibal vero nova etiam oratione suis animum addit, necessitate maxime vincendi aut moriendi proposita. Praeterea ingentia praemia strenuissimo cuique proponit, fide sua solemni jurejurando interposita; & praeda praeterea locupletissima ex subacta Italia ostensa. Ac praelio commisso victi sunt Romani, Consule etiam vulnerato; cujus periculum intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum est d. Hic erit *Scipio*, penes quem perfecti

a *Liv. Ibid. c.* 39. *Polyb. L. III. c.* 60.
b *Liv. Ibid. c.* 40. *sqq.* c *Polyb. d. l. c.* 64
d *Liv. d. l. c.* 46.

hujusce belli laus futura est; quique postea ex victoria *Africani* nomen meruit. Facile autem ex hoc primo praelio apparuit, equitatu meliorem esse Poenum; & ob id campos patentes, quales sunt inter Padum Alpesque, bello gerendo Romanis aptos non esse. Hi ergo proxima nocte silentio profecti [a] ad Placentiam Padum rursus transeunt ponte post se rescisso. Sexcentos tamen moratorum in ulteriore ripa Hannibal cepit: trajectoque Pado Romanis pugnae potestatem fecit. Sed nemine adversus eum prodeunte sex millia a Placentia castra communivit. Insequente nocte auxiliares Galli, qui in castris Romanorum erant [b], ad duo millia peditum & ducentos equites ad Hannibalem transfugiunt, vigilibus ad portas trucidatis: quos in civitatis quemque suas ad sollicitandos popularium animos dimisit. Boji etiam Tresviros coloniae deducendae initio belli a se interceptos ad Hannibalem misere. Scipio omnium Gallorum defectionem metuens (praesertim cum etiam Clastidium vicum, quo magnam frumenti

a *Polyb. Ibid. c.66.* b *Liv. L. XXI. c.48.*

menti vim comportaverant Romani praefectus ejus *Dasius* Brundusinus precio corruptus Hannibali tradidisset) silentio noctis ad *Trebiam* flumen in loca impeditiora castra movit collegam Sempronium ibi exspectaturus: qui paulo post cum exercitu adveniens, ut ex Sicilia accitus erat, collegae conjungitur [a]. Hic interim dum Scipio Hannibali oppositus est, ad Siciliam mari feliciter satis rem gesserat; Melita etiam insula, quae Carthaginiensium erat, capta.

§. X. Eo successu ferocior cum Hannibale confligere cupiebat; cum Consul alter equestri praelio uno & vulnere suo minutus rem trahi maluisset. Et opportune cupiditati Sempronii eveniebat, quod Galli [b] inter Trebiam & Padum incolentes adversus Numidas populabundos auxilium Romanorum implorassent. Ergo cunctante collega equitum partem maximam, cum peditibus aliquot & jaculatoribus mittit, qui Numidas in castra repellunt. Ipsi vicissim repulsi, cum omnes equites jaculatoresque iis *§. 10. Pugna ad Trebiam.*

Y 4 auxi-

a *Liv. Ibid. c.* 51. *Polyb. L. III. c.* 61. & 68.
b *Ibid. c.* 69. *Liv. Ibid. c.* 52.

auxilio misisset Sempronius Poenos iterum recedere cogunt: ita ut victoria penes Romanos esse videretur. Inde jam exsultans Sempronius ad certamen milites parari jubet, ne quicquam dissentiente Cornelio [a]. Cornelius enim prudenter reputabat, & militem tironem exercendo per hyemem meliorem futurum; & Gallos pro insita genti levitate rursus a Poenis defecturos: & denique se, ubi ex vulnere convaluisset, utilem patriae operam navare posse sperabat: eaedemque caussae faciebant, ut etiam Hannibal quamprimum acie decertare optaret. Cum ergo speculatores Galli, qui tutiores erant, quod in utrisque castris ex ea gente militabant, paratos pugnae esse Romanos nunciassent, locum insidiis circumspectare Poenus coepit, ubi fratrem suum *Magonem* cum mille equitibus, totidemque peditibus considere jubet [b]. Inde ad corporis curam & prandium jussu Hannibalis conversi sunt: qui oleum etiam per manipulos misit, ut ignibus ante tentoria factis artus mollirent

a *Liv. Ibid. c.* 53. *Polyb. Ibid. c.* 70.
b *Liv. Ibid. c.* 54. *sqq.*

lirent milites. Nam erat brumae tempus, & forte nivalis dies in locis Alpibus *Apenninoque* interjectis, propinquitate etiam fluminum ac paludum praegelidis. Interea, ut jejuni frigidique pugnarent Romani Numidis, ut castris eorum obequitarent, mandat: quos mox refugientes insecuti Romani fluvium etiam ingrediuntur; unde frigore simul & fame cito defecerunt [a]. Tum demum suos animis corporibusque alacres arma sumere jubet Poenus: atque ita fessi, jejuni & gelu torpentes a saturis & corpore curato alacribus superati sunt; licet non sine Poenorum caede [b]. Et vi frigoris etiam ex Poenis & homines multi & jumenta & elephanti prope omnes absumpti snnt. Ita quietis Poenis Scipio exercitum Placentiam perduxit. Alter Consul Sempronius per effusos ad praedandum hostes Romam elabitur; & creatis in annum sequentem Consulibus in hiberna redit: ubi continuis etiam expeditionibus Romanos exercebat Hannibal: quarum una ipse saucius pugna excessit.

 §. XI. In-

a *Polyb. Ibid. c.* 72. b *Ibid. c.* 74. *Liv. Ibid. c.* 56.

§. 11. *Res in Hispania gestae.*

§. XI. Interea Cn. Cornelius Scipio in Hispania Publii fratris legatus plurimos tam maritimos, quam mediterraneos cis Iberum Populos Romanae ditionis fecit clementiae potissimum fama: Hannonemque ei regioni praefectum coeso ejus exercitu capit, magna praesertim praeda potitus a, quod Hannibalis miles in iis castris omnes res sibi caras deposuisset. Sed vixdum eo digresso Hasdrubal *Illergetes* ad defectionem impulit b; quos paulo post ab auctore defectionis suae relictos Scipio rursus in jus ditionemque recepit; at pecunia ante mulctatos. *Ausetanos* praeterea & *Lacetanos* socios Poenorum vicit.

§. 12. *Praelium ad Trasimenum lacum.*

§. XII. In Italia Consulum designatorum alter C. Flaminius (de cujus contentione cum Senatu jam aliquid vidimus *Libr. praec. c. ult.* §. 5.) metuens, ne auspiciis ementiendis, Latinarumque feriarum mora, & consularibus aliis impedimentis in Urbe retineretur, clam simulato itinere privatus in provinciam abiit d: & circa

a *Liv. Ibid. c.* 60. *Polyb. Ibid. c.* 76. b *Liv. Ibid. c.* 61. c *Liv. L. XXII. c.* 2. & 3.

ca moenia Aretii in Etruria consedit. Nam forte ipsi bellum cum Hannibale & legiones, quae Placentiae hyemaverant, obvenerant. Hannibal vero, cum metueret, ne Galli, quos praedae populationumque spes conciverat, aegre ferrent, suas terras sedem belli esse, maturius ex hibernis moveri coactus est. Cumque duo essent itinera, quibus ad Consulem pergere posset, longius aliud & commodius, aliud propius, sed per paludes & propinquas lacuum voragines, breviorem viam insistit. Sed maximis difficultatibus itineris conflictatus, & non tantum multis hominibus jumentisque, verum etiam altero oculo vigiliis & nocturno humore privatus tandem emersit. Inde vastatis agris [a], quo magis iram Flaminio ad vindicandas sociorum injurias acueret, ipsum in locum lacu (*Trasimeno* ei nomen erat) ac montibus clausum illicit; atque ibi undique insurgentibus hostibus in medio caesi sunt Romani [b]. Ipse Consul fortiter pugnans lancea transfixus fuit. Cecidere in acie Romanorum quin-

a *Polyb. Ibid. c.* 82. b *Liv. L. XXII. c.* 5.

quindecim milllia. Sex millia ferme, qui ſtrenue facta eruptione per adverſos hoſtes evaſerant, poſtridie ſe dediderunt incolumem abitum pacti: ſed Punica religione ab Hannibale in vincula conjecta ſunt: qui vero Latini nominis eſſent captivi ſine precio dimiſſi ſunt; cum Hannibal ſe pro Latinorum libertate adverſus Romanos pugnaturum in Italiam veniſſe diceret [a]. Romae hoc nuncio accepto terrore cuncta repleta ſunt: praeſertim poſtquam *M. Pomponius* Praetor in concione fuiſſet faſſus [b], *Magno praelio victos fuiſſe Romanos.* Atque alia clades tertio poſt priorem die nunciata animos aegros majore adhuc ſollicitudine perculit. Quatuor millia equitum cum *C. Centenio Penula* Propraetore a *Servilio* Conſule ad collegam miſſa in Umbria ab Hannibale circumventa fuerant.

§. 13. Fabii res geſtae adverſus Hannibalem.

§. XIII. Itaque ſummo Urbis metu [c], cum Dictatorem dici placuiſſet; nec ad Conſulem, a quo ſolo rite dici poterat, facile literae, aut nuncius mitti poſſet, *Prodictator* a Popu-

a *Polyb. L. III. c.* 85. b *Liv. Ibid. c.* 7.
c *Liv. Ibid. c.* 8. *Nepos Hann. c.* 4.

Populo dictus est Q. Fabius Maximus Verrucossus, addito Magistro Equitum *M. Minucio Rufo*, qui anno Urbis 532. Consul fuerat. Hannibal interim per Umbriam *Spoletum* usque profectus ab ejus coloniae oppugnatione magna suorum caede repulsus est. Sed in Piceno praeda & populationibus milite recreato circa Luceriam & *Arpos* in Apulia consedit. Fabius a Diis Dictaturam orsus ex inspectione librorum Sibyllinorum sacra quaedam curari jubet. Rei maritimae curam Consuli Servilio mandat [a]. Inde ejusdem Servilii exercitu accepto [b], duabusque legionibus aucto recta ad hostem ducit: nullo tamen loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunae se commissurus. Hannibal, qui palam quidem, *victos tandem Martios animos Romanorum debellatumque*, increpabat, sed tacita cura incendebatur, quod cum prudentissimo duce sibi rem fore videret, omni ratione eum in aciem elicere, sed frustra, conatus est: quanquam ad irritandum eum etiam Beneventanum agrum depopulare.

a *Polyb. L. III. c.* 88.
b *Liv. d. l. c.* 11.

laretur, *Telesiam*que urbem caperet a. Deinde cum tres equites Campani, quos ad Trasimenum lacum ceperat Hannibal, spem ei Capuae potiundi fecissent, exercitum in agrum *Casinatem*, qui est in Latii & Campaniae limite, ducere statuit, ut exitum Romanis ad opem sociis ferendam intercluderet. At cum homo Poenus minus recte nomen Latinum itineris duci edidisset, hic pro *Casino Casilinum* duxit: quae urbs erat ad *Vulturnum* supra Capuam; nec prohibere poterat, quo minus Capuae auxilium ferrent Romani. Ergo spe sua frustratus Hannibal ad agrorum exustiones se convertit, Fabio per juga montis *Massici* exercitum ducente. Bellum enim trahere conveniebat Romanis; quod ingens commeatuum copia, & numerus hominum ad delectus ipsis adessent; a quibus minus paratus erat Hannibal b. Verum cum ibi sub oculis essent populationes, nec ulla mentio pugnae, Minucius Magister Equitum continuas apud milites ducesque habebat conciones, quibus cunctationem Fabii insectabatur. Hic, licet & Romae &

a *Ibid. c.* 13. b *Polyb. L. III. c.* 90.

& in caſtris cunctationem ſuam infamem eſſe ſciret, obſtinatus tamen eodem conſiliorum tenore aeſtatis reliquum extraxit: ita ut Hannibal jam hiberna circumſpectaret, quibus eo loco incommodis erat uſurus. Ergo fallaci conſilio (praeſertim cum per anguſtas valles iter faciendum eſſet) utendum] ratus boum cornibus, quos ad duo ferme millia inter ceteram praedam agebat, faces undiqne ex agris collectas, faſceſque atque arida ſarmenta praeligat [a]; iiſque ante ſigna actis cum miraculo primum attoniti, deinde inſidias rati vel fugerent, vel caſtris ſe continerent Romani exercitum traduxit. Elapſum in Apuliam Hannibalem ſequebatur Dictator Fabius: ſed ſacrorum cauſſa Romam revocatus Magiſtro equitum exercitum tradit praemonito, & precibus quidem, ne acie cum Hannibale decertaret [b]. Verum occaſionem praebente Hannibale monitorum Fabii oblitus conflixit, eo ſucceſſu, ut pari fere clade utrimque diſcederetur [c]: caſtra tamen Poenorum capta

a *Ibid. c.* 93. *Liv. L. XXII. c.* 16. b *Liv. Ibid. c.* 18. c *Ibid. c.* 24.

pta ſunt; ſed vacua, cum cuncta in altera caſtra amoveri jam curaſſet Hannibal [a]. Adeo tamen laeta hoc nuncio civitas fuit, ut legem ferente *M. Metilio* Tribuno plebis Dictatoris & Magiſtri equitum, quod nunquam antea, jus ſit aequatum. Suaſor ejus legis praecipuus erat *C. Terentius Varro*, qui anno priore Praetor fuerat, vir ſordido genere, patre quippe lanio ortus; ſed ad Conſulatus ſpem auram favoris popularis ex Dictatoris invidia petens. Dictator, poſtquam in caſtra advenit, obtinuit, ut legiones ſicut Conſulum mos eſſet, inter ſe dividerent, locum nempe remedio quaerens, ſi quid Minucii temeritate turbatum foret. Hannibal ſtatim eandem temeritatem captans miſit, qui tumulum inter duo caſtra medium occuparent, quinque millibus peditum, equitumque latebris opportune abditis [b]. Ita pugna orta primum ſatis bene res Romanis procedebat: ſed exortis repente inſidiatoribus animi Romanis collapſi ſunt. Tum demum Fabius cum ſuis legionibus accurrens victoriam Hannibali de

a *Polyb. L. III. c.* 103. b *Liv. Ibid. c.* 28.

de manibus extorquet. Minucius statim ut in castra reditum est convocatis militibus ad castra Fabii contendit, & culpam fassus eum militesque ejus patronos salutat: & deposito imperio, ut magisterium equitum rursus sibi concedat, supplex petit; Hannibale quoque tum demum sentiente, cum Romanis sibi, atque in Italia bellum esse. Atque ita vere rem Romanam *cunctando restituit* Fabius a; qui *scutum* inde *Populi* est dictus b; ut postea *Marcellus* ejusdem *Populi gladius* c. Hannibal vero Fabium *Paedagogum suum* d vocabat; quod se, *ut paedagogus discipulum* ubique sequeretur.

§. XIV. In Hispania Cn. Scipio Hasdrubalem secure agentem maritimo praelio vicit e: &, quod pulcherrimum ejus victoriae fuit, una levi pugna toto ejus orae mari potitur: ipsiusque Novae Carthaginis tecta injuncta muro portisque incendit. §. 14. *Res Hispaniae.*

Z

a *Cic. Cat. Maj. c.* 4. & *Virg. Aen. VI. v.* 847. *uterque ex Ennio.* b *Flor. II.* 6. c *Plut. Fabio Max. p. m.* 185. d *Id. Apophth. p. m.* 195. e *Polyb. L. III. c.* 95. *sqq. Liv. L. XXII. c.* 20. *sqq.*

dit. *Ebusum* inde insulam diripit; *Balearium* insularum legatos pacem petentes audit; populos Hispaniae amplius centum viginti obsidibus acceptis ditionis Romanae facit: cum interim etiam Servilius Consul mari bene rem gereret a: qui tamen in Siciliam reversus & in hostium insidias illapsus idoneam satis cladem passus est b. *Celtiberi* inde nobilissima Hispaniae gens, qui principes regionis suae legatos miserant, obsidesque dederant, Hasdrubalem duobus praeliis egregie vincunt c. Hoc statu rerum etiam P. Scipio Cnei frater Proconsul cum triginta longis navibus, & octo millibus militum magnoque commeatu in Hispaniam venit: cui *Abelox* nobilis Saguntinus, fidus antea Poenis, sed prosperis Romanorum in Hispania rebus mutatus obsides Hispanorum, qui Sagunti servabantur, per proditionem tradit.

Servilius in Italiam reversus cum collega *M. Atilio* Fabianis artibus ita Hannibalem exercuit, ut Galliam repetiturus fuisset, si insequentis anni Con-

a *Polyb. ibid. c.*96. b *Liv. d. l. c.* 31.
c *Ibid. c.* 21.

Consules iisdem artibus bellum gessissent a.

§. XV. Sequitur annus Urbis quingentesimus trigesimus septimus majore clade, quam unquam Romani acceperunt, funestus. Consules erant L. Aemilius Paullus & C. Terentius Varro; de cujus sordida origine jam diximus. Hi cum Dictator anno praecedente spem praebuisset, posse vinci Hannibalem b, majores quam unquam copias conscribunt c: nam octo legionibus rem geri placuit, attributis cuique legioni quinis hominum millibus, praeter sociorum auxilia. Horum multitudo, peditum quidem, numerum Romanarum legionum aequabat; equitum, ut plurimum, triplo major erat. Hiero quoque Syracusarum dominus, praeter mille sagittarios & funditores, ingentem etiam tritici hordeique vim miserat d. Utque majore religione militum animi tenerentur, quod nunquam antea factum erat, jurejurando a Tribunis militum adacti, *jussu Consulum conventuros, neque injussu abituros.* Interim

§. 15. Clades Cannensis. A. U. 537.

a *Liv. Ibid. c.* 32. b *Liv. Ibid. c.* 36.
c *Polyb. L. III. c.* 107. d *Liv. d. l. c.* 37.

rim Varro multis ferocibus concionibus optimates exagitabat; *arcessitum bellum in Italiam a nobilibus, mansurumque in visceribus Reipublicae, si plures Fabios imperatores haberet: se, quo die hostem vidisset, perfecturum.* Aemilius in concione modeste nihil aliud, quam „ mirari se dicebat, „ quomodo quis dux priusquam aut „ suum, aut hostium exercitum, lo- „ corum situm, naturam regionis „ nosset, jam nunc locatus in Urbe „ sciret, quae sibi agenda forent: se „ ex rebus consilia capturum. " Firmavit eum proficiscentem a, ut constanter in proposito perseveraret, Q. Fabius Maximus, *nullam Hannibali occasionem praebendam* dicens; *collegaeque temeritati, cum qua non minus ipsi certaminis, quam cum Hannibale futurum esset, summa prudentia obviam eundum.* Consul, *vera quidem quae diceret* fateri; sed haud facilia factu esse respondit. Maxime porro laetatus est Hannibal, Consules in castra venisse; cum vix decem dierum frumentum ipsi superesset. Temeritati Consulis materiam etiam fortuna de-

a *Liv. Ibid. c.* 39.

dedit [a]: cum tumultuario in prohibendis praedatoribus praelio longe superiores fuissent Romani [b]; Paullo tamen Consule metu insidiarum ab ulteriore prosecutione victores prohibente. Postridie Hannibal inescatum jam alterum Consulem non dubitans castra plena praedae relinquit, militibus trans proximos montes absconditis. Et statim Varro ad castra hostium diripienda duxisset, nisi & Aemilius praefectum ex sociis exploratum misisset; qui *profecto insidias esse* renunciavit; & ne sic quidem coeptis abstinenti Varroni obnunciare jussisset, *quod pulli auspicio non addixissent*. Hannibal detecta etiam a transfugis fraude in castra rediit. Cumque ob inopiam frumenti seditionem metueret, castra in calidiora Apuliae loca movere inde statuit. Secuti eum sunt, invito Paullo, Romani: &, ut ventum ad *Cannas* est, (ignobilis Apuliae vicus fuit [c], sed clade Romana nobilitatus) in conspectu Poeni bina castra communiunt. Ibi Varro die, quo sors imperii penes

a *Ibid. c.*41. b *Polyb. L.III. c.*110.
c *Liv. d. l. c.*43. *Flor. L.II. c.*6.

ipsum erat, nihil consulto collega, & vixdum orto sole a signum pugnae proposuit; ita ut Paullus b, licet non probaret, tamen adjutare consilium ejus cogeretur. Erant autem copiae utrimque c, Romanorum quidem peditum octoginta millia, equites supra sexies mille: Carthaginiensium vero pedites tantum quadragies mille, equitum decem millia. Romanis maxime incommodum evenit, quod ventus ipsis adversus multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum adimeret. Equites Romani d, postquam acrius quam diutius esset pugnatum, terga verterunt. At pedites diu ac saepe connisi per mediam Afrorum aciem ad ipsa eorum subsidia perveniunt. Sed dum ita incauti in medium irruerent, Poeni cornua extendendo eos a tergo clauserunt: ut ita fessi cum recentibus pugnare cogerentur; nec diu impetum hostium sustinere potuerunt. Haec in dextro cornu. Ad laevum vero quingenti ferme Numidae, praeter justa arma gladios occultos habentes, transfugarum

a *Polyb. d. l. c.* 113. b *Liv. Ibid. c.* 45.
c *Polyb. Ibid.* d *Liv. d. l. c.* 47.

rum specie adequitaverant; qui armis traditis a tergo Romanorum considere jubentur: verum hi, dum omnes certamini intenti sunt, aversam adoriuntur Romanorum aciem. Atque ita undique fugam fecere Romani; nisi quod parte alia pugnae Paullus Consul a, licet graviter vulneratus, diu rem sustinuit, multis etiam hostium manu sua caesis b. Postquam vero Romani fuga dilapsi essent, ab hostibus quis foret ignorantibus caesus est. Alter Consul cum septuaginta fere equitibus *Venusiam* est elapsus. Ad septuaginta millia, vel etiam ultra Romanorum sociorumque fortiter pugnantium hoc praelio caesa dicuntur. Qui vero in binis Romanorum castris erant strenue facta eruptione *Canusium* incolumes pervenerunt: quos postridie etiam ex iisdem castris quatuor millia peditum, & ducenti equites secuti sunt. Pervenere tamen, qui in praelio aut castris capti sunt, in Hannibalis potestatem tredecim fere millia. Ducum & procerum caesi dicuntur ambo Quaestores, unus & viginti Tribuni militum,

a *Liv. Ibid. c.* 49. b *Polyb. L. III. c.* 16.

octoginta praeterea Senatorii ordinis viri, in quibus Consulares quidam, Praetoriique, & Aedilicii. Hannibali victori cum ceteri gratulantes suaderent a, ut tanto perfunctus bello quietem caperet, *Maharbal, eum die quinto in Capitolio epulaturum* dixit, *si se cum equite praegressum confestim sequeretur* b. At cum Hannibal, *temporis opus esse ad consilium pensandum* respondisset, *Non omnia nimirum eidem Dii dederunt*, Maharbal inquit: *vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.* Crediturque ea mora Urbi atque Imperio saluti fuisse.

§.16. Ea, quae Cannensem cladem proxime secuta sunt.

§. XVI. Tota inde Italiae pars, quae *Magna Graecia* dicitur, *Capuani* praeterea aliique Hannibali se tradiderunt: quod tamen non ita intelligendum est, ut omnes statim defecerint; sed sequentibus deinceps annis, ut cuique populo facultas oblata est, ut sequentia docebunt c. Et cumulus afflictis Romanorum rebus accessit, quod *L. Postumius*, qui in Galliam Cisalpinam missus fuerat, cum universo exercitu occi-

a *Liv. Ibid. c.* 51. b *Cato & Caelius ap. Gell. Noct. Att. X,* 23. c *Polyb. L. III. c.* 118. *Liv. d. l. c.* 61.

cidione occisus fuisse nunciaretur [a]. Cum vero post tantam cladem de *deserenda Italia*, *& ad Regum aliquem tranfugiendo* consilia nobiles quidam juvenes agitarent, P. Scipio juvenis *fatalis Dux hujuscebelli* statim ad eos contendit, strictoque super capita eorum gladio jurare coëgit, *Rempublicam Populi Romani non deserturos*. Reliquiae caesi exercitus Venusiam ad Consulem convenerunt: qui se inde ad copias, quae cum Scipione Canusii erant, contulit; ita ut jam species aliqua Consularis exercitus esset. Romae clade audita summus, ut par est, luctus & consternatio fuit: & prima cura Deorum placandorum habita est. Inter alia sacrificia Gallus & Galla, Graecus & Graeca in foro boario sub terram vivi demissi sunt [b], ut antea bello Gallico factum fuerat. Placatisque satis, ut rebantur, Diis ad humanas etiam res curandas conversi sunt. Romam praesidii caussa ab Ostia mille & quingentos classiarios miserat Marcellus: qui ipse paucos post dies cum legione classis Canusium contendit. Dictator inde dictus *M. Junius*

a *Liv. XXII. 24.* b *Liv. Ibid. c. 75.*

de pace cum Romanis agendum esse censuit. At cum nota simultas ejus cum familia Barcina esset auditus nequaquam fuit: sed necessaria ad bellum porro gerendum expediri jussa sunt; quod tamen, ut in rebus laetis, segniter & otiose factum est.

§. 17. *Campani ad Hannibalem deficiunt.*

§. XVII. Hannibal demum ad victoriam persequendam conversus Neapolitanos quidem frustra tentavit. [a] Capuani vero artibus *Pacuvii Calavii*, nobilis & popularis hominis ad defectionem a Romanis inclinati sunt: nec aliud, ne extemplo deficerent, in mora fuit, quam quod connubium vetustum multas claras ac potentes familias Romanis miscuerat: quodque trecenti Equites, nobilissimus quisque Campanorum, Romanis militantes ad praesidia Sicularum urbium erant missi [b]. Ergo eorum parentes cognatique aegre pervicerunt, ut legati ad Consulem Romanum mitterentur. Hic summam Romanorum necessitatem fassus documentum fidei Campanorum petiit, ut triginta millia peditum, quatuor equitum ex Campania conscriberentur; pecunia insuper

a *Liv. L. XXXIII, c.* 1. b *Ibid. c.* 4.

per & frumentum praeberetur. Sed hac confeſſione Conſulis, qua magnitudo cladis oſtendebatur, uſi qui Capuae Hannibali ſtudebant, effecerunt, ut foedus cum Poeno pangeretur [a]. Praefectos etiam ſociorum, civeſque Romanos alios comprehenſos plebes Campana balneis includi juſſit; ubi fervore atque aeſtu interclusa anima foedum in modum exſpirarent. Ita nequicquam ſumma ope reſiſtente *Decimo Magio*, primario apud Capuanos viro, recipitur Hannibal [b]. Narratu dignum eſt, ipſius Calavii filium *Perollam* patri aperuiſſe conſilium, Hannibalem inter epulas interficiendi, ut eo ſanguine foedus cum Romanis iterum ſanciretur; nec niſi lacrymis & enixiſſimis patris precibus ab eo conſilio abduci potuiſſe [c]. At Hannibal curiam ingreſſus Decimum Magium ſibi dedi poſtulat: ſtatimque egreſſus eum comprehendi & capite obvoluto in caſtra perduci juſſit; indeque extemplo Carthaginem avehi. Sed tempeſtate delatus *Cyrenas*, & a cuſtodibus Alexandriam ad *Ptolemaeum* Regem deportatus eſt; ab eo-

a *Ibid.* c. 7. b *Ibid.* c. 10. c *Ibid.* c. 8. *ſq.*

eoque vinculis liberatus.

§. 18. *Bellum a Romanis reparatum.* §. XVIII. Romae interea summo animi ardore bellum reparabatur: nam praeter servos, de quibus diximus, etiam obaerati sceleratique armati sunt [a]: & cum vigintiquinque millibus armatorum ab Urbe Flaminius profectus est. Hannibal vero, Nola absque successu tentata; Nuceriam in deditionem acceptam diripit & incendit [b]. Nolam Marcellus Claudius, cum plebs Hannibalis tota esset, a Senatu Nolanorum accitus in fide retinuit, *L. Bantio* praesertim sibi conciliato. Erat hic sociorum ea tempestate nobilissimus eques, quem Cannensi praelio seminecem repertum Hannibal curatum cum donis domum remiserat. Hic Marcelli artibus adeo mollitus est, ut nemo deinde sociorum rem Romanam enixius juverit. Cumque etiam favori plebis Nolanae fideret Hannibal, Marcellus a Senatoribus Nolanis monitus aciem ita intra urbem instruxit, ut patefactis repente portis erumpens idoneam cladem Hannibali intulerit, atque ita docuerit, *vinci eum posse*. His factis Mar-

a *Liv. L. XXIII. c.* 4. b *Ibid. c.* 15.

Marcellus extemplo clausis portis, & quaestione de noxiis habita supra septuaginta damnatos proditionis securi percussit [a]. Motis ergo inde castris Hannibal *Acerras* (Campaniae oppidum erat ad *Clanim* fluvium) capit, direptamque incendit. Casilinum inde, paruam urbem, summa vi oppugnat: sed ipso pudore ab incepto desistere cogitur, castris tamen modicis communitis, ne omissa res videretur. Hinc Capuam in hiberna regressus est; ubi mollissimae urbis deliciis enervatus majorem otio & luxu exercitui suo cladem, quam antea ad Cannas ferro Romano acceperat, intulit: ita ut vere dixerit Marcellus, *Capuam Hannibali Cannas fuisse* [b]. Mitescente tamen hyeme ad oppugnationem Casilini rediit [c]: cum ejus incolae jam extremam famem paterentur. *Gracchus* quidem Magister Equitum, qui Romam profecto Dictatore Casilino assidebat, cum edicto Dictatoris per absentiam ejus aliquid gerere prohiberetur, complura tamen dolia frumento plena secundo amne Casilinum misit.

a *Ibid. c.* 17. b *Ibid. c.* 45. *Flor. L. II. c.* 6.
c *Liv. Ib. c.* 19.

misit. Sed etiam eo absumpto insolitis quibusvis alimentis usi tandem Hannibali se dedere coacti sunt: qui oppidum Campanis reddidit, praesidio tamen suo firmatum. Sicilia etiam & Sardinia hoc tempore vix retentae sunt, pecunia & frumento ab Hierone Rege, & sociis in Sardinia civitatibus benigne collato [a]. Inde ad curam Senatus supplendi conversi Patres *N. Fabium Buteonem Senatus supplendi caussa* faciunt Dictatorem *sine Magistro Equitum*, quod singulare in historia Romana exemplum est: quemadmodum etiam nunquam duo simul Dictatores in Republica fuerunt: eo enim magistratu Junius Pera adhuc fungebatur. Fabius primum legit eos qui post proximos Censores curulem magistratum cepissent: tum qui Aediles, Tribuni plebis, Quaestoresve fuerant: denique qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione omnium in Senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit.

§. XIX.

a *Ibid. cap.* 21. b *Ibid. c.* 23.

§. XIX. In Hiſpania interim nihilo ſegnius a duobus Scipionibus res ſunt geſtae a. Hasdrubal vero in Italiam exercitum ducere juſſus eſt; Himilcone Carthagine cum juſto exercitu ad tuendam Hiſpaniam miſſo b. Hasdrubal pecuniis a ſuae ditionis populis raptim exactis, iter ſtatim in Italiam ſuſcipit. Verum Scipiones reputantes, actum fore de Italia, quae vix Hannibalem ſuſtineret, ſi etiam Hasdrubal cum novo exercitu eo veniſſet, ſe ei objiciunt; copias ejus ſuperant; caſtra capiunt; atque inde diripiunt; ita ut vix ſatis tuto manendi in Hiſpania ſpes Hasdrubali ſupereſſet. Quae victoria ſummo gaudio Romae accepta fuit. §. 19. Res Hiſpaniae.

§. XX. Dum haec in Hiſpania geruntur, *Petellia* in Bruttiis, quae ſola in amicitia Romanorum permanſerat c, a Poenis expugnatur d: ſed non antequam fame vires ad ſtandum in muris, ferendaque arma deeſſent. Ita, ut ſoli ex ea regione *Rhegini* in fide erga Romanos, & poteſtatis ſuae ad ultimum manſerint. §. 20. Ad res Italiae reditum.

 §. XXI. An-

a *Ibid.* c. 26. b *Ibid.* c. 28. c *Ibid.* c. 20. d *Ibid.* c. 30.

§. 21. Gesta a. 538. §. XXI. Anno Urbis quingentesimo trigesimo octavo, ut majore vi bellum geri posset, Senatus decrevit, ut eo anno duplex tributum imperaretur: & comitia dilata sunt, donec Marcellus, qui ad exercitum missus fuerat, reversus foret: nam eum maxime Consulem in eum annum ob egregie in Praetura res gestas creari volebant: sed cum ingenti consensu creatus esset, augures, *vitio creatum videri* pronunciarunt; quod ineunti Consulatum tonuisset. Suffectus est ei Fabius Maximus tertium jam Consul: vulgoque Patres ita fama ferebant, *quod tum primum duo plebeji Consules* (Sempronius enim plebejus erat, aeque ac Marcellus) *facti essent, id Diis cordi non esse.* Carthaginienses etiam, ut res in Hispania lapsas restituerent, Magonem eo cum classe copiisque miserunt [a]: in Sardiniam vero, cum Sardi clam legationem Carthaginem misissent, *Hasdrubalem* cognomento *Calvum* deligunt ducem: qui tempestate vexatus ad Baleares Insulas ejicitur; sed interim *Titus Manlius* Sardiniae Praetor tanta clade Sar-

dos

a *Ibid. c.* 32.

dos affecit, ut debellatum eo praelio in Sardinia fuiſſet, niſi Hasdrubal, qui jam claſſem refecerat, ad ſpem rebellandi adveniſſet a. Verumtamen etiam Hasdrubal, licet copias cum Sardis junxiſſet, clara & memorabili pugna victus eſt captuſque: atque ita Sardinia eſt perdomita, ut exercitum inde deducere potuerit Manlius.

§. XXII. Ab altera parte Philippus Macedonum Rex occaſionibus intentus legatos ad Hannibalem miſerat b. Hi per Apuliam Capuam petentes media in praeſidia Romanorum illati ſunt. Ibi *Xenophanes* legationis princeps intrepide mentiens *a Philippo Rege ſe miſſum*, ait, *ad amicitiam ſocietatemque jungendam cum populo Romano; mandata habere ad Conſules & Senatum Populumque Romanum. Valerius*, qui Praetor iis caſtris praeerat, nova ſocietate tam clari Regis laetus hoſtem pro hoſpite comiter accipit. Ac Xenophanes ab eo digreſſus, qua proximum fuit, in caſtra Hannibalis pervenit, fœduſque his legibus cum eo facit. *Ut Philippus bellum pro ſua parte terra marique gereret; ubi debel-*

§. 22. Philippi Macedonis cum Hannibale fœdus.

a *Ib.* c. 33.

latum esset, Italia omnis cum ipsa Urbe Roma Carthaginiensium esset: perdomita Italia navigarent in Graeciam; bellumque cum quibus Regibus placeret gererent: quae civitates continentis, quae insulae ad Macedoniam vergunt, eae Philippi regnique ejus essent. Sed dum cum legatis Hannibalis revertitur Xenophanes a classe Romanorum intercipitur, a, & cum comitibus Romam perducitur. Et licet vix tolerarent Punicum bellum Romani; extemplo tamen agitaverunt, quemadmodum ultro bellum inferendo averterent ab Italia hostem b. Philippus vero omnium ignarus legationem alteram mittit ad Hannibalem; quae quidem prospere mandata tulit ac retulit: sed prius se aestas circumegit, quam movere ac moliri quicquam Rex posset. Tantum navis una cum legatis capta momenti fecit ad dilationem imminentis Romanis belli.

§. 23. Res Italiae.

§. XXIII. In Italia post Cannensem pugnam fractis partis alterius viribus, alterius mollitis animis segnius jam bellum erat, c cum Campani per

a *Liv. L. XXIII. c.* 34. b *Ib, c.* 38. c *Ib. c.* 35.

per se adorti sunt rem Cumanam suae ditionis facere, invitatis Cumanis, ut ad statum Campanis omnibus sacrificium venirent. Cumani rem Consuli Graccho nunciant: qui Campanos nocturnis sacris operantes invadit; & levissima sua jactura ingenti strage caedit: confestimque se providus vir in castra recepit; ita ut Hannibal frustra Campanis opem laturus accederet. Ut tamen precibus Campanorum satisfaceret Cumas oppugnat: sed fortiter se defendentibus Cumanis tandem in castra sua se recipere cogitur. [a] Et in Lucanis etiam Hanno Poenus a Proconsule *Ti. Sempronio Longo* victus in Bruttios recessit. Fabius quoque Consul, qui ad variorum prodigiorum procurationem Romam abierat, [b] tandem reversus cum collega Sempronio Graccho varias urbes Campaniae, quae defecerant, recipit: & Marcellum Proconsulem Nolam, ubi plebs, ut priore anno, adhuc consilia de caede principum & urbe Hannibali tradenda agitabat, in praesidium misit (Invaserat enim unus velut morbus omnes Italiae civi-

 tates,

a *Ib. c.* 39.

tates, ut plebes ab optimatibus dissentiret: Senatus Romanis faveret: plebs ad Pœnos rem traheret. a) Hic, cum inde agrum Samnitium ferro & igne vastaret, b Samnites legatos ad Hannibalem miserunt: qui se procul ab iis summoturum hostem pollicitus continuo Nolam oppugnaturus abscessit: & victus a Marcello Apuliae hiberna petiit c: cum etiam equites ejus mille ducenti septuaginta duo misti Numidae Hispanique ad Romanos transfugissent; quorum forti fideliqne opera in eo bello saepe usi sunt Romani. Apud Romanos etiam quieta inde stativa fuerunt d; & nuncii Romam allati de gemina Scipionum in Hispania victoria, qua adversus tres exercitus hostium prospere pugnaverant, Urbem exhilararunt: praesertim cum ita omnes fere Hispaniae populi ad Romanos defecerint.

§. 24. Res Siciliae. §. XXIV. In Sicilia, quae hoc tempore inter Romanos fere & Syracusanos divisa erat, obierat interim Hiero, fidelis Romanorum amicus e, re-

a *Id. XXIV. c.* 2. b *Id. XXIII. c.* 41. c *Ib. c.* 46. d *Ib. c.* 48. e *Id. L. XXIV. c.* 4.

relicto nepote impubere *Hieronymo.* Ejus ingenium ad cuncta vitia facile praecipitandum prospiciens avus voluisse dicitur *liberas Syracusas relinquere.* Sed precibus filiarum motus senex nonagenarius (illae enim nomen quidem regium penes puerum futurum rebantur, regimen omnium rerum penes se, virosque suos *Andronodorum* & *Zoilum*) tutores numero quindecim puero reliquit, fidem erga Populum Romanum ipsis commendans. Mortuo Hierone Andronodorus tutelam se deponere simulans, & *regni jam potentem esse* dictitans Hieronymum, in se unum omnium vires convertit. Nam reliquerat quidem, ut diximus, quindecim puero tutores Hiero, sed ex tribus inter eos praecipuis Andronodorus & Zoilus ad Poenos, tertius *Thraso* ad Romanos tendebant. Verum indicatur eodem tempore in tyrannum conjuratio, & inter conscios nominatus Thraso extemplo supplicio traditur [a]. Itaque mox a Romanis ad Hannibalem deficit Hieronymus [b]: sed paulo post a conjuratis occisus est, &

a *Polyb. exc. legat. n.* 1. b *Ibid. c.* 6.

Syracusae in libertatem revocantur; *Demarata* Hieronis filia Andronodori uxore frustra maritum, ut tyrannidem retineret, adhortante [a]; quippe qui in praesentia potius tempori cedendum esse arbitraretur, inter Praetores etiam istius anni cum reliquis plerisque tyranni interfectoribus adscitus. Sed haec jam in historiam anni sequentis excurrunt.

§. 25. *Gesta anni* 539. § XXV. Romae Anno Urbis quingentesimo trigesimo nono creati Consules fuerunt Q. Fabius Maximus quartum, M. Marcellus tertium: quanquam praerogativa tribus *T. Otacilium*, *M. Aemilium Regillum* Consules jam dixisset. Sed ipse Fabius, qui comitia habebat, oratione habita docuerat, Aemilium quidem, quod Flamen Quirinalis esset, ab sacris mitti non posse: Otacilium vero, licet sororis suae filiam uxorem haberet, atque ex ea liberos, tanto oneri esse imparem; praesertim cum hoc eodem anno classi praefectus negligenter admodum rem gessisset [b]. Praetor tamen idem creatus Otacilius eandem rursus provinciam, classem scili-

a *Ibid. c.* 22. b *Liv. L. XXIV. c.* 8.

ſcilicet Sicilienſem & oram maritimam obtinuit [a]; ut conſulatus negati, ſicut puto, ſolatium haberet. Et habemus in hoc Fabii facto *egregium invidiae ob Reipublicae utilitatem contemptae exemplum*; quod cum ſe haud dubie ſummum Imperatorem eſſe ſciret, operam Reipublicae negare noluerit. Conſulibus ambobus bellum cum Hannibale decrètum eſt, & duodeviginti legionibus id geri placuit. Fit, ſi quatuor millia tantum & ducentos in legione ſcribamus, numerus ſeptuaginta millium & ſexcentorum: quibus, ſi alterum tantum ſociorum, millia ſcilicet centum quinquaginta & unum, & praeterea ducentos addamus cum legitimo ſuo equitatu (qui in univerſum fuerit ſexdecim millium & ducentorum) *ſumma ſummarum* [b] erit ducentorum & quadraginta trium millium. Claſſis autem ſociis navalibus privata impenſa paratis completa eſt. Hannibal interim Nolam iterum fruſtra tentat [c] praeventus a Marcello Conſule, qui milites eo, praeſidium Senatui, miſerat.

a *Ibid.* c. 10. b *Ita loquitur Sen. epiſt.* 40. *f. ne quis barbarum putet.* c *Liv. Ib.* c. 13.

ſerat. Ti. Gracchus vero, qui legiones magna ex parte volonum haberet, libertatem Senatus permiſſu promittit ei, qui caput hoſtis e praelio retuliſſet. Ita alacriter adoriuntur hoſtem: ſed cum abſcindendo primum capita miles tempus tereret; deinde occupata dextra tenendo caput fortiſſimus quiſque pugnator eſſe deſiiſſet, *projicerent capita invaderentque hoſtem* Gracchus juſſit, *dubiam ſtrenuis viris libertatem non futuram* [a]. Verum, cum etiam ſic in dubium adhuc res adduceretur, poſtremo pronunciat, *nihil eſſe, quod de libertate ſperarent, niſi eo die fuſi fugatique hoſtes forent.* Atque ita demum victoriam obtinuerunt Romani. Praeda militibus eſt conceſſa excepto pecore, quod intra dies triginta domini cognoviſſent. Reverſo Beneventum exercitu milites permittente Graccho a *Beneventanis* epulo in publico excepti ſunt, volonibus pileatis: cujus rei memoriam pictura in aede Libertatis dedicata ad poſteros Gracchus propagavit. Alter interea Conſul Marcellus Hannibalem tertium jam ad Nolam accedentem

a *Ibid.* c. 25.

tem repulit [a]; putavitque cladem ad Cannas acceptam hosti reddi potuisse, si Claudius Nero noctu circumire hostium agmen jussus mandata exsequi potuisset.

Romae interea Censores ad mores civium regendos, castigandaque vitia erant intenti [b]: & nota gravissima, relatione nempe inter aerarios, affecerunt Metellum quaestorem cum ceteris, qui post pugnam Cannensem deserendae Italiae consilium sumpsissent: eademque animadversione in eos sunt usi, qui captivorum ex itinere regressi clam in castra Hannibalis, solutum quod juraverant redituros, rebantur. Nec mitiores fuerunt adversus eos, qui absque justa vacatione quadriennio non militassent: cui militum generi non, priusquam Italia pulsus hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat. Cumque Censores ob inopiam aerarii locationes consuetas non facerent, qui similia redimere solebant, *paratos se redemptionibus* dixerunt; *neminemque pecuniam, nisi bello confecto ab aerario esse repetiturum.* Ita etiam domini volonum,

a *c.* 17. b *Ibid. c.* 18.

num, quos ad Beneventum Sempronius manu emiſerat, ſervorum pretia non ante quam cum Carthaginienſibus debellatum foret, accepturos eſſe affirmarunt. Inde pupillares quoque pecuniae, deinde viduarum in publicum conferri coeptae; cum nuſquam tutius eas ſanctiuſque, quam in publica fide, deponere poſſe cenſerent. Eadem benignitas manavit in caſtra; ut, non eques, non centurio ſtipendium acciperent; mercenariumque increpantes vocarent, qui accepiſſet. Foris etiam Reſpublica egregie eſt geſta, Caſilino, multiſque aliis in Samnio urbibus a Fabio Conſule captis [a].

§. 26. *Res Siciliae.* §. XXVI. In Sicilia cum adhuc grave bellum eſſet, Marcello alteri Conſuli ea provincia decreta eſt; ubi Andronodorus continua uxoris compellatione incitatus tandem tyrannidem Syracuſarum occupare ſtatuit [b]; ſed Praetorum ſeniorumque conſilio interfectus fuit; ut etiam uxor ejus, Hieronis filia, ne quis ex ſtirpe regia ſupereſſet. Eadem de cauſſa etiam *Harmoniam Gelonis* filiam, quae nupta erat

a *Ibid. c.* 20. b *Ibid. c.* 24.

erat *Themistio* necarunt. Sed miseranda magis mors fuit *Heracleae* alterius Hieronis filiae, & duarum filiarum ejus virginum [a]: illam post irritas preces a penetralibus abstractam jugulant: has per aedes fugientes non nisi multis vulneribus, & cum omnia jam sanguine replessent confecerunt. Comitiis inde habitis, factione populari, inter Praetores creati sunt *Hippocrates* & *Epicydes* Carthagine nati; sed oriundi ab Syracusis, exule avo, Poeni ipsi materno genere [b]. Hi, postquam Punicam classem *Pachynum* accessisse allatum est, omni ratione ab Romanis avertere Syracusas conati sunt: imo Hippocrates, qui transfugis mercenariisque erat praepositus [c], primo furtivas incursiones in provinciam Romanam instituens, inde in praesidium ab *Appio* missum cum caede multorum impetum fecit. Epicydes vero *Leontinos* etiam a Syracusanis Romanisque abalienavit: quos tamen statim recepit Marcellus. Sed ipsae Syracusae mox eorundem dolo in antiquam servitutem reciderunt, cum fictis literis,

a *Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 6. c *Ibid. c.* 29.

Eadem aestate bellum cnm' Philippo Rege jam ante suspectum motum est. Ad *Marcum* enim *Valerium* Praetorem classi Calabriae litoribus praesidentem legati a sociis civitatibus *Orico* & *Apollonia* venerunt, *a Philippo se oppugnari querentes, quod a societate Romanorum desciscere noluissent*. Vera autem ratio suberat, quod facilis inde in Italiam esset trajectus. Oricum, quod jam ceperat Philippus, statim receptum est: ab Apollonia vero magno suo damno repulsus regnum repetiit.

In Hispania hoc anno varie bellatum est [a]: & a neutra parte multum ad summam rei profectum; nisi qnod Romanis tamen magis favisse belli aleam dicant eorum scriptores. Saguntum certe oppidum, quod caussa belli esset, octavum jam annum sub hostium potestate esse, verecundia tandem cepit Romanos. Itaque vi pulso Poenorum praesidio id oppidum receptum est.

§. 27. *Gesta A.* 540. §. XXVII. Annus Urbis quingentesimus quadragesimus Consules habuit *Q. Fabium Maximum* magni istius Fabii

a *Liv. Ibib. c.* 4.

Fabii Cunctatoris filium, & Ti. Sempronium Gracchum iterum: eoque anno primum ludos scenicos Romae esse actos memoriae produnt [a]. Memorandum etiam hic est, antequam ad res gestas hujus anni accedamus, Fabium patrem legatum a Senatu ad filium Consulem in castra venisse: cumque ex duodecim lictoribus, qui Consulem praecedebant, undecim verecundia majestatis patris Fabii silentes eum praetervehi fuissent passi, plenus irae sedere perseveravit [b]: donec Consul *animadvertere proximum lictorem* jussit: tum demum desiliens, *Experiri*, inquit, *volui*, *Fili*, *satin' scires*, *Consulem te esse*. Profectus hinc Consul Arpos oppugnare instituit [c]; eamque urbem nocturna invasione cepit; civibus colloquio magis quam armis, *ut Punicum praesidium emitteretur*, persuasis. *Aternum* etiam Lucaniae oppidum (ita saltem videtur: nam fuit aliud ejusdem nominis in Piceno) a *Sempronio Tuditano* Praetore est expugnatum: dum in Bruttiis etiam *Consentini* & *Thurini* in fi-

 dem

a *Liv. Ibid. c.* 43. b *Ibid. c.* 44. *Val. Max. L. II. c.* 2. *ex.* 4. c *Liv. Ibid. c.* 46.

dem Populi Romani redirent. Et plures rediissent, nisi *L. Pomponius Vejentanus* sociorum praefectus temere cum Hannone congressus & victus fuisset a.

In Hispania Scipiones, cum & multos veteres reciperent socios, & novos adjicerent, in Africam quoque spem extenderunt. Cum *Syphace* ergo Nunidarum Rege, qui Carthaginiensibus hostis factus fuerat, foedus fecerunt b: & ex tribus Romanorum legatis unus apud Syphacem permansit, qui Romano more militare pedites Numidas doceret. Contra *Gala Massylorum* in eadem Numidia Rex Carthaginiensibus se statim junxit: filiusque ejus *Masanissa* Syphacem magno praelio vicit. Sed (quod in transcursu notandum est) Syphax paulo post ex amico hostis Romanorum factus est: Masanissa vero constantissime deinceps eorum amicitiam coluit.

§. 28. *Gesta A.* 541. §. XXVIII. Anno Urbis quingentesimo quadragesimo primo, quo Consules fuerunt Q. Fulvius Flaccus tertium, & *Ap. Claudius Pulcher* fraus scele-

a *Liv. L. XXV. c.* 1. b *Id. L. XXIV. c.* 48.

scelerata *M. Postumii Pyrgensis*, qui cum Pomponio illo Vejentano, quem modo ab Hannibale captum diximus, publicum conduxerat, *Sp.* & *L. Carviliis* Tribunis plebis innotuit [a]. Hi, cum res necessarias mari ad exercitus portandas redemissent, & ementiti erant falsa naufragia; &, si quae facta erant fraude eorum facta erant, non casu: nam in veteres naves paucis & parvi pretii rebus impositis, cum mersissent eas in alto, *multiplices fuisse merces* ementiebantur. Carvilii ergo ducentum millium aeris mulctam M. Postumio dixerunt; diemque ejus mulctae certandae. Sed publicani consilium plebis vi turbarunt: de quo cum Consules ad Senatum retulissent, *vimque eam contra Rempublicam factam esse* Senatus decrevisset, Carvilii, omissa mulctae certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt: cumque non adfuisset, exilium ei, bonis publicatis, confirmatum est. Qui tumultum excitaverant, quidam in carcerem conjecti sunt; plerique in exsilium abierunt.

Eodem anno *P. Cornelius Rufinus*

a *Id. L. XXV. c. 3.*

Praetor ex *Marcii* carminibus, librorumque Sibyllinorum responso, *ludos Apollinares peregrini hostis ex Italia pellendi caussa* primus fecit a. Hinc *Sibulla* cognominatus dicitur; idemque postea corrupto vocabulo *Sulla* b; qui Sullae *Felicis* Dictatoris proavus fuit.

Effulgere quoque hoc anno in Republica coepit P. Cornelius Scipio, ille qui postea *Africanus* est dictus, Aedilis Curulis a Populo factus, licet ei legitima ad petendum aetas nondum esset c.

Sed, ut tandem ad administrationem bellicam hujus anni accedamus, cum Consules aegre delectum conficerent d, Senatus Triumviros binos creari jussit; *qui undique ingenuos, si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, milites facerent, etiamsi non militari aetate essent.* Nec tamen, licet inopia militum Respublica laboraret, Cannensis cladis, quae in Siciliam relegatae erant, reliquiis enixe, *ut pugnandi saltem cum hostibus copia ipsis fieret*, flagitantibus Senatus Rem-

a *Liv. Ib. c.* 12. b *Macr. Sat. L. I. c.* 17. c *Liv. d. l. c.* 2. d *Liv. Ib. c.* 5.

Rempublicam committendam censuit. Marcello tamen Proconsuli permisit, *faceret, quod e Republica fideque sua duceret: dum ne quis eorum munere vacaret: neu dono militari virtutis ergo donaretur: neu in Italiam reportaretur, donec hostis in Italia esset* [a].

Hoc anno Tarentus urbs opulentissima ab Hannibale ex insidiis capta fuit. *Phileas* erat Tarentinus vir inquieti animi. Hic obsides Tarentinos, qui Romae in laxiore custodia habebantur, inde eduxit. Verum ex itinere retracti, & virgis caesi, de saxo dejecti sunt. Hujus atrocitas poenae praeter alios *Philemenum* quendam, nobilem Tarentinum, permovit, ut cum Hannibale consilia de prodenda ipsi urbe iniret patriae suae libertatem pactus, & Romani praesidii traditionem pollicitus [b]. Specie autem venandi, cujus rei cupidus jam olim noscebatur, cum saepe egregia captura, tam ferarum, quam praedae hostilis rediret, assueverat portarum custodes, ut quocunque noctis tempore sibilo signum dedisset, porta aperiretur. Rebus ita praeparatis

a *Ibid.* c. 7. b *Liv. Ibid.* c. 8.

tis Hannibal castra propius Tarento admovit: Philemenusque portula assueta venationem inferens armatos secum induxit; quorum ope effracta porta maxima agmen sub signis irrupit. Postridie Romana hospitia direpta sunt a; cum Tarentinis jussisset Hannibal, ut foribus nomen suum inscriberent. Inde arcem obsedit: sed cum in obsidione parum spei esse videretur, quamdiu mari potirentur Romani, Hannibal Tarentinorum naves, quae clausae portu a Romanis tenebantur, machinis admotis per terram in mare deduxit; & ante ipsum portum anchoras jecit. Nec tamen arcem expugnare potuit: quae retenta est, donec post tres annos Tarentum a Fabio reciperetur.

Interea, cum ambo Consules in Samnio essent, & circumsessuri Capuam viderentur b, Campanis de inopia frumenti quaerentibus diem, quo illud peterent, prodixit Hanno. Hoc Beneventani, cum comperissent, Consulibus, enunciant. Ergo Fulvius Consul expedito agmine profectus castra Hannonis prima luce oppugnat: sed for-

a *Ibid. c.* 10. b *Ibid. c.* 13.

fortius resistentibus Poenis absistendum esse; & jam revocabat copias, cum primus *Vibius* praefectus cohortis Pelignae; inde etiam *Valerius Flaccus* Tribunus militum signa signiferis adempta trans vallum hostium trajiciunt: (erat apud Romanas mortis poena constituta in milites, qui signa amisissent [a]) atque ita undique connisi hostium castra irrumpunt, multisque caesis & captis ingenti etiam praeda potiuntur. Haec tamen victoria non fuit impedimento, quin Thurini & *Metapontini* ad Hannibalem defecerint, moti ira in Romanos ob obsides nuper interfectos [b]. *Flavius* quoque partis Lucanorum, quae adhuc cum Romanis stabat, Praetor non satis habens ipse transire, neque trahere ad defectionem Lucanos, Graccho Proconsuli persuadet, *suo consilio omnium Populorum, qui ad Hannibalem defecerant, Praetores statuisse, in amicitiam Populi Romani redire; modo veniae impetrandae certos eos redderet. Ergo cum ipso Proconsule eos colloqui malle.* Gracchum inde fraudem abesse ratum cum lictoribus atque una

a *Vid. Liv. L. II. c.* 59. b *Id. L. XXV. c.* 15.

modo turma equitum in locum colloquio destinatum praegressum in insidias praecipitat: ubi undique statim hostibus circumfusus, pugna tamen egregia edita, cum suis occiditur: cujus morte tanquam exauctorati volones, qui vivo Graccho summa fide stipendia fecerant ab signis decesserunt [a]. Imo plura ad haec vulnera res Romana hoc eodem anno accepit. *M. Centenius Penula* primi pili centurio, modico exercitu a Senatu impetrato, quo se & hostis & regionum peritum brevi operae pretium facturum jactaverat [b], (quod utrum stolide magis promissum, quam stolide creditum fuerit, incertum videtur) Hannibalem aggressus cum omni fere sua multitudine periit. *Cneus Fulvius* denique Praetor in Apulia militum impetu & sua stultitia tractus [c] cum Hannibale imprudenter manus conseruit ita ut ex duodeviginti millibus hominum, duo millia haud amplius evaserint. Unde anno sequente a Tribuno plebis *Sempronio* perduellionis accusatus Tarquinios exsulatum

a *Liv. Ibid. c.* 20. b *Ibid. c.* 19.
c *Ibid. c.* 21.

tum abiit [a]. Nec fracti tamen his cladibus Romanorum animi; praesertim, quia Consules, ubi summa rerum esset, ad id locorum prospere gererent [b]. Imo Capuam, *Claudio Nerone* Praetore etiam accito, arctissima obsidione clausam oppugnarunt, Hannibale interim spe solvendae obsidionis Campanos lactante.

§. XXIX. At in Sicilia praeter cetera egregie res gesta est, Syracusis denique expugnatis [c]. Et primo quidem Marcellus, cum nec vi posse capi videret urbem terrestri ac maritimo situ inexpugnabilem; nec fame, quam prope liberi ab Carthagine commeatus alerent, per transfugas proditionem composuit: sed, re ad Epicydem delata, conscii omnes cum cruciatu necati sunt. Inde alia spes urbis potiundae excepit. *Damasippus* quidam Lacedaemonius, missus ab Syracusis ad Philippum Regem, captus a Romanis erat. De hujus redemptione cum ageretur (& jam tum *Aetolorum*, cujus gentis socii erant Lacedaemonii, amicitiam affectabant

§. 29. *Syracusae captae.*

 Roma-

a *Id. L. XXVI. c.* 3. b *Id. L. XXV. c.* 22.
c *Ibid. c.* 23.

Romani, probe intelligentes bello adversus Philippum eam magno sibi usui fore) loco inter castra & urbem medio Romanus quidam numerando lapides muri altitudinem conjectura propemodum assecutus fuerat. Et opportune transfuga nunciavit diem festum Dianae per triduum agi, vinumque largiter plebi divisum esse. Ergo moenia nocte scalis admotis ingressi sunt Romani, portisque sub lucem effractis Marcellum cum omnibus copiis immiserunt: qui ubi ex superioribus locis urbem omnium fere ea tempestate pulcherrimam considerasset, partim gaudio, partim cogitatione, *momento horae ea omnia ad cineres reditura*, illacrymasse dicitur. Sed ex pluribus quasi urbibus, portis etiam & muris distinctis, Syracusae constabant; *Acradina* nempe, *Naso*, sive *Insula*, (*Dores* νᾶσον pro νήσῳ dicunt) *Tyche* & *Neapoli*; unde *Tetrapolis*, sive *quadruplex urbs*, quandoque veteribus dicitur [a]. Primo autem illo nocturno impetu Tychem tantum & Neapolim Marcellus ceperat [b]; mili-

a *Cic. in Verr. L. IV. c.* 53. b *Liv. Ibid. c.* 25.

militibusque diripienda dederat; quorum rapinis nullus ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Inde *Euryalus* arx est dedita; ad quam occupandam cum omnes aversi essent, classisque Romana propter vim tempestatis stare ad anchoras non posset, *Bomilcar* noctu cum magna parte classis aufugit: partem majorem Epicydi & Syracusanis reliquit: sed cum centum navibus post paucos dies rediit. Marcellus vero Acradinam, spe ad inopiam omnium rerum inclusos redacturum, circumsedit. Et licet Himilco & Hippocrates cum Bomilcare & novis copiis reversi essent, tamen satis contra omnia providit Marcellus. Accessit & pestilentia: quae tamen magis Poenos, quam Romanos affecit; quod hi diu circumsedendo Syracusas coelo aquisque assuerant magis. Ita ut Carthaginienses cum ipsis Ducibus Hippocrate & Himilcone ad internecionem omnes perierint [a]. Sed Bomilcar Carthaginem profectus cum maxima inde classe rediit: verum, postquam tendere ad se Romanas navas

a *Ibid.* c. 27.

Romani, probe intelligentes bello adversus Philippum eam magno sibi usui fore) loco inter castra & urbem medio Romanus quidam numerando lapides muri altitudinem conjectura propemodum assecutus fuerat. Et opportune transfuga nunciavit diem festum Dianae per triduum agi, vinumque largiter plebi divisum esse. Ergo moenia nocte scalis admotis ingressi sunt Romani, portisque sub lucem effractis Marcellum cum omnibus copiis immiserunt: qui ubi ex superioribus locis urbem omnium fere ea tempestate pulcherrimam considerasset, partim gaudio, partim cogitatione, *momento horae ea omnia ad cineres reditura*, illacrymasse dicitur. Sed ex pluribus quasi urbibus, portis etiam & muris distinctis, Syracusae constabant; *Acradina* nempe, *Naso*, sive *Insula*, (*Dores* νᾶσον pro νῆσον dicunt) *Tyche* & *Neapoli*; unde *Tetrapolis*, sive *quadruplex urbs*, quandoque veteribus dicitur [a]. Primo autem illo nocturno impetu Tychem tantum & Neapolim Marcellus ceperat [b]; mili-

a *Cic. in Verr. L. IV. c.* 53. b *Liv. Ibid. c.* 25.

militibusque diripienda dederat; quorum rapinis nullus ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Inde *Euryalus* arx est dedita; ad quam occupandam cum omnes aversi essent, classisque Romana propter vim tempestatis stare ad anchoras non posset, *Bomilcar* noctu cum magna parte classis aufugit: partem majorem Epicydi & Syracusanis reliquit: sed cum centum navibus post paucos dies rediit. Marcellus vero Acradinam, spe ad inopiam omnium rerum inclusos redacturum, circumsedit. Et licet Himilco & Hippocrates cum Bomilcare & novis copiis reversi essent, tamen satis contra omnia providit Marcellus. Accessit & pestilentia: quae tamen magis Poenos, quam Romanos affecit; quod hi diu circumsedendo Syracusas coelo aquisque assuerant magis. Ita ut Carthaginienses cum ipsis Ducibus Hippocrate & Himilcone ad internecionem omnes perierint [a]. Sed Bomilcar Carthaginem profectus cum maxima inde classe rediit: verum, postquam tendere ad se Romanas navas

[a] *Ibid. c.* 27.

ves vidit, Sicilia relicta Tarentum petiit. Epicydes, qui ad eum venerat, ut ad fortunam praelii navalis tentandam eum permoveret, tanta repente ſpe deſtitutus Agrigentum navigat. Tum demum legati ad Marcellum miſſi ſunt, qui de pace agerent. Verum, cum illi impetrabilem ſatis Imperatorem Romanum inveniſſent, mercenarii ab Hiſpania milites pacem rurſus turbarunt; quod, ne Romanis traderent, metuerent a: igitur arreptis cum transfugis ſimul, qui merito etiam ſibi metuebant, armis Praetores multoſque Syracuſanorum, omnia, quae in promptu erant diripientes, obtruncant. Sed legati a Marcello reverſi mercenariis, *nihil eſſe, quod ſibi a Romanis metuerent* nunciarunt: imo unus ex eorum Praefectis *Mericus* ſtationem ſuam Romanis prodidit Marcellus capta Naſo & parte Acradinae receptui cecinit, ne regiae opes, quarum fama major, quam res erat, diriperentur. Mox transfugis ſpatio fugae dato, urbs ditiſſima Marcello tradita, & ab eo militi diripienda data eſt, tertio anno poſt-

a *Ibid. c.* 29.

postquam obsideri coepisset: in qua praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine fuisset: illudque primum initium mirandi Graecarum artium opera Romanis fuit [a]. Archimedes dicitur in ipso tumultu captae urbis formis, quas in pulvere descripserat, intentus ab ignaro milite quis esset, interfectus fuisse; aegre ferente Marcello & memoriam ejus propinquosque honorante: quippe qui jam antea edixerat, ut capiti ejus parceretur [b]. Syracusis captis legati ex omni ferme Sicilia missi ad Marcellum venerunt. Civitates, quae, aut non desciverant, aut ante captas Syracusas in amicitiam redierant, ut socii fideles accepti: quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi a victore leges acceperunt. Inde etiam Hannonem & Epicydem bellum reparantes fundit; & victor Syracusas revertitur.

§. XXX. In Hispania, ubi per biennium nihil admodum memoria dignum erat gestum [c], Scipiones, cum triginta millia Celtiberorum sibi jun- *§. 30. Res Hispaniae.*

a *Ibid. c.* 3. b *Val. Max. L.VIII. c.* 7. *ex* 7. *Plut, Marcell. p.* 308. c *Liv. L. XXV. c.* 32.

junxissent, debellari posse credebant. Ergo vires ita dividunt, ut P. Cornelius duas partes copiarum, Cneus tertiam haberet, cum auxiliis Celtiberorum. Cum his Hasdrubal magna mercede paciscitur, ut copias abducerent, & domestico bello se avocari ad sua defendenda praetexerent. Egregium omnibus documentum, *ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris, suarumque propriae virium in castris habeant* a. Sed sustentare nihilominus hostes potuisse videtur, nisi interim etiam frater Scipionis Publius in praelio adversus *Indibilem Suessetanorum* regulum, quem prohibere voluerat, ne se Poenis conjungeret, cum maxima exercitus parte cecidisset. Verum jam duplicato Carthaginiensium exercitui impar etiam ipse victus & occisus est: licet de genere mortis ejus non satis constet, cum quidam primo hostium impetu eum caesum dixerint: alii, perfugisse in turrim, ibique cum fores exussissent Poeni fuisse interfectum b. Periisse jam Romanis videbantur Hispaniae, cum *L. Marcius* eques Romanus

a *Ibid. c.* 33. b *Ibid. c.* 36.

manus fortiter provincias eas conservavit; collectisque ex fuga militibus, quibusdam de praesidiis deductis, & junctis copiis antea divisis, haud contemnendum exercitum fecit: suffragiisque militaribus summa imperii ad eum delata fuit. Et tantum animorum hoc militibus addidit, ut non tantum Hasdrubalem reliquias exercitus Scipionum aggredientem repulerint; sed ut etiam bina hostium castra nocte ac die expugnaverint, hostibus ubique, velut omni metu abjecto securius agentibus a. Quibus cladibus invicem illatis quietae aliquamdiu res in Hispania fuere. Senatui tamen non placuit, quod Marcius imperio, non Populi jussu, non ex auctoritate Patrum dato, *Propraetor Senatui*, scripserat: nec, *Propraetori L. Marcio*, rescribi placuit b.

§. XXXI. Anno Urbis quingentesimo quadragesimo secundo omnis vis belli in Capuam vertebatur c: ubi, cum Campani equestribus praeliis saepe victores essent, cum pedestribus vince- *§. 31. Gesta A. 542.*

a *Ibid. c.* 39. b *Id. L. XXVI. c.* 2. c *Ibid. c.* 4.

vincerentur, Equites Romani in equos suos velites singulos acceperunt, qui & vehi post equites, & desilire perniciter ubi signum datum esset, assuefacti sunt. Atque ita equitatu etiam superior Romanus fuit. Hannibal autem, licet arce Tarentina potiri cuperet, tamen, ut sociorum animos sibi servaret, Capuam obsidione liberandam statuit. Ergo exercitu raptim in Campaniam ducto castra Romana ingenti impetu invasit, cum ab alia parte totum fere praesidium eruptionem faceret: sed fortissime undique pugnantibus Romanis ab oppugnandis eorum castris suos avertit Hannibal: alii vero levi duntaxat pugna pugnatum volunt, Hannibalemque linguae Latinae gnaros immisisse [a], qui Consulum verbis juberent, *fugere in proximos montes, quoniam castra capta forent.* Quod speciem veri vix habet: neque enim illi erant Romani, qui hominibus ignotis jubentibus paruissent. Cum tamen se nihil proficere videret Hannibal subiit animum impetus caput ipsum belli Romam petendi; ejusque consilii Campanos

certas

a *Ibid. c.6.*

certas facit [a]. Hoc nuncio Romam ellato Q. Fulvius Proconsul literis Senatus monitus, relicto ad Capuam collega Ap. Claudio, cum parte exercitus Romam contendit, ubique circa viam expositis benigne commeatibus exceptus, cum milites interea alius alium, *ut adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam hortarentur.* Romae interea matronae undique in publicum effusae, crinibus passis aras verrentes, Deorum opem implorabant. Senatus in foro magistratibus praesto est, si quid consulere velint; ac praesidia undique locis opportunis ponuntur. Inter haec Hannibal ad Anienem fluvium tribus millibus passuum ab Urbe castra admovit [b]: cumque pugna commissa Consules etiam transfugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille & ducenti erant, eo ire jussissent, atque illi per mediam urbem decurrentes visi essent, tantum terrorem praebuerunt, ut, nisi castra Punica extra Urbem fuissent, effusura se omnis pavida multitudo fuerit. Sed secundo equestri praelio summoti sunt hostes.

 Postri-

a *Ibid.* c. 8. b *Ibid.* c. 10.

Postridie & item tertio die, cum acies instructae starent, foedissima tempestate diremptae sunt: ita ut in religionem ea res apud Poenos verteretur, diceretque Hannibal, *potiundae Urbis Romae modo mentem sibi non dari, modo fortunam.* Aliis etiam rebus spes ipsius minuta est: ut cum audivit, *milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos dum ipse Urbi assideret: quodque per eos dies agerb, in quo castra habebat, venerit, nihil ob id diminuto pretio.* Ergo castra non tantum ab Urbe (intra cujus muros jam hastam emiserat. Plin. *H. N. XXXIV.* 6.) sed ad ipsum fretum Siculum retulit. Inde Campanis animus fractus est [a]; & Capua Romanis dedita; postquam Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, cum viginti septem Senatoribus venenum sumpsisset. Senatores reliqui, quidam *Teanum*, plures Cales in custodiam missi sunt. Cumque facilis impetrandae veniae Claudius, durioris sententiae Fulvius auctor esset, Appiusque rem ad Senatum rejiciendam censeret, Fulvius cum duobus millibus

a *Ibid. c.* 12.

bus equitum noctu Teanum profectus Campanorum captivos securi percussit: idemque mox supplicium de iis, qui Calibus erant, sumpturus proficiscitur. Hic, cum producti Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma veniens literas a Praetore ipsi tradidit: quas cum non resolutas in gremio reposuisset *lictorem lege agere*, jubet; peractoque demum supplicio Senatusconsultum, quo illud prohibebatur, inspexit. Inde octuaginta adhuc Campani Senatores interfecti a: trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi: alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati variis casibus interierunt. Multitudo alia civium Campanorum venundata. Urbs tectis servatis aratorum opificiumque sedes facta: & ager omnis tectaque publica Populo R. addicta. Corpus autem nullum civitatis incolis permissum: nec Senatus, nec plebis consilium, nec magistratus. Praefectus tantum juri reddendo quotannis Capuam missus fuit. Cumque de hac severitate Romae questi essent Campani, additum

a *Ibid.* c. 16.

tum potius aliquid ei, quam demptum fuit [a].

§. 32. *Res Hispaniae.* §. XXXII. Hinc Claudius Proconsul cum exercitu in Hispaniam profectus est [b]: & fauces saltus in quo castra habebat Hasdrubal occupavit. Hasdrubal caduceatore misso pollicitus est, *si inde mitteretur*, *se omnem exercitum ex Hispania abducturum*: quod laeti acceperunt Romani. Sed, dum aliquot dies de legibus palam disceptando absumit, interea noctu per partes exercitum ex saltu emittit: & demum nubiloso die observato, feriatum Carthaginiensibus esse caussatus, colloquium differt; & sine ullo tumultu cum equitibus & elephantis in tutum evadit, nequicquam eum insequente Nerone. Hispaniae tamen populi, qui defecerant, ad Romanos redibant: nec ulli novi deficiebant. Romae, cum Proconsulem creari placuisset, qui in Hispaniam mitteretur, nec quisquam nomen suum profiteretur, progressus subito P. Cornelius illius, qui in Hispania ceciderat, filius, quatuor & viginti ferme annos natus, se petere professus est,

a *Liv. Ib. c.* 34. b *Ibid. c.* 17.

est, summoque consensu, *imperium ei esse in Hispaniam* Populus jussit. Cujus Scipionis tanta fuit virtus, ut, *divinae stirpis virum esse* vulgo crederetur: quam suspicionem arte quadam etiam augebat. Nec minorem famam apud hostes in Hispaniam intulit.

§. XXXIII. In Graecia *M. Valerius Laevinus* cum Aetolis, qui spe *Acarnaniae* potiundae ducebantur, adversus Philippum Regem faedus pangit [a]; quod *offensivum & defensivum* dicerent hodie Latinoglossomastiges. Eoque foedere Romanis promissum fuit, *daturos operam, ut urbes* Corcyra *tenus ab* Aetolia *incipienti, & Acarnaniam Aetoli haberent: praeda omnis Romanorum esset.* Praeterea *Zacynthum, Oeniadas, Nasumque* Acarnanum captas Aetolis contribuit: dum Philippus ab altera parte, ut fines, dum in Graeciam proficiscitur, quietos haberet, vicinos comprimere studet. Sed legationibus Acarnanum, quos premebant Aetoli, bellum id omittere coactus est: & rursus reditu Aetolorum ex Acarnania audito & ipse

§. 33. *Res Graeciae.*

a *Liv. Ib. c.* 24.

ipse *Pellam* (regia haec erat Macedoniae urbs) regreditur. Laevinus *Anticyram*) jam etiam expugnaverat, cum Consulem se creatum intellexit [a]: at morbo impeditus serius spe omnium Romam venit.

§. 34. *Gesta A.* 543. §. XXXIV. Nam Anno Urbis quingentesimo quadragesimo tertio, cum Populus *T. Manlium Torquatum* Consulem crearet [b], oculorum ille valetudinem excusavit: nec sententiam mutante praerogativa, *neque se mores eorum, neque eos suum imperium laturos*, testatus est: proinde redirent in suffragium. Quo facto Valerius cum M. Claudio Marcello quartum Consul creatus fuit: Siciliaque & classis Marcello, Italia, & cum Hannibale bellum Laevino evenit [c]. Sed cum Siculorum legati, qui de administratione Marcelli conquesturi Romam venerant, ea sorte velut exanimati essent, generoso animo sortem suam cum collega mutavit Marcellus: quin, dum de postulatis Siculorum Consul alter referret [d], ipse in Capitolium ad delectum discessit. Senatus

a *Liv. Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 22. c *Ibid. c.* 29. d *Ibid. c.* 32.

natus legatis auditis, *rata habenda esse, quae egisset Marcellus* decrevit: *mandaturum tamen Senatum Laevino Consuli, quod sine jactura Reipublicae fieri posset, fortunis ejus civitatis consuleret.* Legati porro perbenigne appellati suppliciter veniam a Marcello petierunt, *atque urbem Syracusas in fidem clientelamque reciperet.* Hinc Marcelli postea *Patroni Siciliae* appellati sunt; & festum *Marcelléa* in eorum honorem est celebratum [a]. Inde, cum stipendium militi, homines supplemento remigum deessent, plebsque exhausta aperte utrumque onus recusaret [b], ex sententia Laevini Consulis Senatores voluntaria collatione extemplo omne aurum, argentum, aes signatum ad *Triumviros mensarios* in usum Reipublicae summo studio contulerunt: consensum eum Senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs.

Hoc anno Hannibal, cum videret Capuae expugnatae exemplum multorum Italiae populorum animos a se avertisse [c]: nec praesidiis omnes tenere

 nere

a *Cic. L. II. in Verr. c.* 21. b *Liv. d. l. c.* 35.
c *Ibid. c.* 38.

vincerentur, Equites Romani in equos suos velites singulos acceperunt, qui & vehi post equites, & desilire perniciter ubi signum datum esset, assuefacti sunt. Atque ita equitatu etiam superior Romanus fuit. Hannibal autem, licet arce Tarentina potiri cuperet, tamen, ut sociorum animos sibi servaret, Capuam obsidione liberandam statuit. Ergo exercitu raptim in Campaniam ducto castra Romana ingenti impetu invasit, cum ab alia parte totum fere praesidium eruptionem faceret: sed fortissime undique pugnantibus Romanis ab oppugnandis eorum castris suos avertit Hannibal: alii vero levi duntaxat pugna pugnatum volunt, Hannibalemque linguae Latinae gnaros immisisse [a], qui Consulum verbis juberent, *fugere in proximos montes, quoniam castra capta forent.* Quod speciem veri vix habet: neque enim illi erant Romani, qui hominibus ignotis jubentibus paruissent. Cum tamen se nihil proficere videret Hannibal subiit animum impetus caput ipsum belli Romam petendi; ejusque consilii Campanos certas

a *Ibid. c.6.*

certas facit [a]. Hoc nuncio Romam ellato Q. Fulvius Proconsul literis Senatus monitus, relicto ad Capuam collega Ap. Claudio, cum parte exercitus Romam contendit, ubique circa viam expositis benigne commeatibus exceptus, cum milites interea alius alium, *ut adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam hortarentur*. Romae interea matronae undique in publicum effusae, crinibus passis aras verrentes, Deorum opem implorabant. Senatus in foro magistratibus praesto est, si quid consulere velint; ac praesidia undique locis opportunis ponuntur. Inter haec Hannibal ad Anienem fluvium tribus millibus passuum ab Urbe castra admovit [b]: cumque pugna commissa Consules etiam transfugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille & ducenti erant, eo ire jussissent, atque illi per mediam urbem decurrentes visi essent, tantum terrorem praebuerunt, ut, nisi castra Punica extra Urbem fuissent, effusura se omnis pavida multitudo fuerit. Sed secundo equestri praelio summoti sunt hostes.

 Postri-

a *Ibid. c.* 8. b *Ibid. c.* 10.

Postridie & item tertio die, cum acies instructae starent, foedissima tempestate diremptae sunt: ita ut in religionem ea res apud Poenos verteretur, diceretque Hannibal, *potiundae Urbis Romae modo mentem sibi non dari, modo fortunam.* Aliis etiam rebus spes ipsius minuta est: ut cum audivit, *milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos dum ipse Urbi assideret: quodque per eos dies agerl, in quo castra habebat, venerit, nihil ob id diminuto pretio.* Ergo castra non tantum ab Urbe (intra cujus muros jam hastam emiserat. Plin. *H. N. XXXIV.* 6.) sed ad ipsum fretum Siculum retulit. Inde Campanis animus fractus est [a]; & Capua Romanis dedita; postquam Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, cum viginti septem Senatoribus venenum sumpsisset. Senatores reliqui, quidam *Teanum*, plures Cales in custodiam missi sunt. Cumque facilis impetrandae veniae Claudius, durioris sententiae Fulvius auctor esset, Appiusque rem ad Senatum rejiciendam censeret, Fulvius cum duobus millibus

a *Ibid. c.* 12.

bus equitum noctu Teanum profectus Campanorum captivos securi percussit: idemque mox supplicium de iis, qui Calibus erant, sumpturus proficiscitur. Hic, cum producti Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma veniens literas a Praetore ipsi tradidit: quas cum non resolutas in gremio reposuisset *lictorem lege agere*, jubet; peractoque demum supplicio Senatusconsultum, quo illud prohibebatur, inspexit. Inde octuaginta adhuc Campani Senatores interfecti a: trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi: alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati variis casibus interierunt. Multitudo alia civium Campanorum venundata. Urbs tectis servatis aratorum opificiumque sedes facta: & ager omnis tectaque publica Populo R. addicta. Corpus autem nullum civitatis incolis permissum: nec Senatus, nec plebis consilium, nec magistratus. Praefectus tantum juri reddendo quotannis Capuam missus fuit. Cumque de hac severitate Romae questi essent Campani, additum

a *Ibid. c.* 16.

tum potius aliquid ei, quam demptum fuit [a].

§. 32. *Res Hispaniae.* §. XXXII. Hinc Claudius Proconsul cum exercitu in Hispaniam profectus est [b]: & fauces saltus in quo castra habebat Hasdrubal occupavit. Hasdrubal caduceatore misso pollicitus est, *si inde mitteretur, se omnem exercitum ex Hispania abducturum*: quod laeti acceperunt Romani. Sed, dum aliquot dies de legibus palam disceptando absumit, interea noctu per partes exercitum ex saltu emittit: & demum nubiloso die observato, feriatum Carthaginiensibus esse caussatus, colloquium differt; & sine ullo tumultu cum equitibus & elephantis in tutum evadit, nequicquam eum insequente Nerone. Hispaniae tamen populi, qui defecerant, ad Romanos redibant: nec ulli novi deficiebant. Romae, cum Proconsulem creari placuisset, qui in Hispaniam mitteretur, nec quisquam nomen suum profiteretur, progressus subito P. Cornelius illius, qui in Hispania ceciderat, filius, quatuor & viginti ferme annos natus, se petere professus est,

a *Liv. Ib. c.* 34. b *Ibid. c.* 17.

est, summoqne consensu, *imperium ei esse in Hispaniam* Populus jussit. Cujus Scipionis tanta fuit virtus, ut, *divinae stirpis virum esse* vulgo crederetur: quam suspicionem arte quadam etiam augebat. Nec minorem famam apud hostes in Hispaniam intulit.

§. XXXIII. In Graecia *M. Valerius Laevinus* cum Aetolis, qui spe Acarnaniae potiundae ducebantur, adversus Philippum Regem faedus pangit a; quod *offensivum & defensivum* dicerent hodie Latinoglossomastiges. Eoque foedere Romanis promissum fuit, *daturos operam, ut urbes* Corcyra *tenus ab* Aetolia *incipienti, & Acarnaniam Aetoli haberent: praeda omnis Romanorum esset.* Praeterea *Zacynthum, Oeniadas, Nasumque* Acarnanum captas Aetolis contribuit: dum Philippus ab altera parte, ut fines, dum in Graeciam proficiscitur, quietos haberet, vicinos comprimere studet. Sed legationibus Acarnanum, quos premebant Aetoli, bellum id omittere coactus est: & rursus reditu Aetolorum ex Acarnania audito & ipse §. 33. *Res Graeciae.*

a *Liv. lb. c. 24.*

ipse *Pellam* (regia haec erat Macedoniae urbs) regreditur. Laevinus *Anticyram*) jam etiam expugnaverat, cum Consulem se creatum intellexit [a]: at morbo impeditus serius spe omnium Romam venit.

§. 34. *Gesta A.* 543. §. XXXIV. Nam Anno Urbis quingentesimo quadragesimo tertio, cum Populus *T. Manlium Torquatum* Consulem crearet [b], oculorum ille valetudinem excusavit: nec sententiam mutante praerogativa, *neque se mores eorum, neque eos suum imperium laturos*, testatus est: proinde redirent in suffragium. Quo facto Valerius cum M. Claudio Marcello quartum Consul creatus fuit: Siciliaque & classis Marcello, Italia, & cum Hannibale bellum Laevino evenit [c]. Sed cum Siculorum legati, qui de administratione Marcelli conquesturi Romam venerant, ea sorte velut exanimati essent, generoso animo sortem suam cum collega mutavit Marcellus: quin, dum de postulatis Siculorum Consul alter referret [d], ipse in Capitolium ad delectum discessit. Senatus

a *Liv. Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 22. c *Ibid. c.* 29. d *Ibid. c.* 32.

natus legatis auditis, *rata habenda esse, quae egisset Marcellus* decrevit: *mandaturum tamen Senatum Laevino Consuli, quod sine jactura Reipublicae fieri posset, fortunis ejus civitatis consuleret.* Legati porro perbenigne appellati suppliciter veniam a Marcello petierunt, *utque urbem Syracusas in fidem clientelamque reciperet.* Hinc Marcelli postea *Patroni Siciliae* appellati sunt; & festum *Marcellea* in eorum honorem est celebratum [a]. Inde, cum stipendium militi, homines supplemento remigum deessent, plebsque exhausta aperte utrumque onus recusaret [b], ex sententia Laevini Consulis Senatores voluntaria collatione extemplo omne aurum, argentum, aes signatum ad *Triumviros mensarios* in usum Reipublicae summo studio contulerunt: consensum eum Senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs.

Hoc anno Hannibal, cum videret Capuae expugnatae exemplum multorum Italiae populorum animos a se avertisse [c]: nec praesidiis omnes te-

a *Cic. L. II. in Verr. c.* 21. b *Liv. d. l. c.* 35.
c *Ibid. c.* 38.

nere posset, ad spolianda, quae tueri nequibat, inclinavit: quo facto non tantum eorum, qui indigna patiebantur, alienabantur animi; sed etiam aliorum, ad quos illud exemplum pertinebat, Sed praeter omnes alios meretur notari casus urbis Salapiae (*Apuliae oppidum Hannibalis meretricio amore inclytum* vocat Plinius *Hist. Nat. L. III c.* 11.) cum praesidio Punico Marcello traditae. Principes ejus urbis, *Dasius* Hannibalis, *Blasius* Romanis amicus erat. Hic urbem Marcello prodere cupiens sine Dasio tamen adjutore transigere rem non poterat. Ergo, cum eum de proditione appellasset, hic Hannibali rem aperit. Cum vero Hannibal utrumque arcessivisset, dum aliud quid pro tribunali agit, Blasius iterum ad proditionem Dasium sollicitat [a]. Hic autem, velut in re manifesta, exclamans nemini tamen fidem fecit: sed quo audacior res erat, minus similis veri visa est; *aemulationemque profecto atque odium esse*, judicabant. Ita deinde dimissi sunt: nec Blasius abstitit tam audaci incepto, donec pervicit, ut urbs

a *Vid. simile quid ap. Tac. Anu. XV.* 58. *f.*

urbs traderetur. Quod tamen sine certamine fieri non potuit: cum longe fortissimi equitum toto Punico exercitu ibi in praesidio essent. Nec deinde unquam Poenus, quo longe plurimum valuerat, equitatu superior fuit. Inde Marcellus *Maroneam* & *Meles* de Samnitibus vi cepit [a]. Verum post paucos dies Cn. Fulvius Proconsul ad *Herdoneam*, Hirpinorum prope fines Apuliae oppidum, incautius agens ab Hannibale, qui magnis itineribns ex Bruttiis eo contenderat, cum exercitu fusus fuit: ipse Fulvius cum duodecim tribunis militum cecidit. Herdoneam, quod defecturam eam fuisse ad Romanos sciret, incendit occiditque principes, qui cum Fulvio occulta colloquia habuisse comperti sunt. Qua clade nihil territus Marcellus Hannibalem ad *Numistronem* in Lucanis superatum recedere coëgit: atque inde per Apuliam exercitum ducentem prosecutus levibus aliquot praeliis, quae ferme omnia Romanis secunda fuerunt, vexavit: dum Flaccus Proconsul, Campanorum conjuratione com-

a *Liv. L. XXVII. c.* 1.

comperta, omnes, qui in noxa erant, necari curat: amicitia etiam eo anno cum Syphace Rege firmata a: & legati Alexandriam ad renovandam cum *Ptolemaeo Cleopatraque* regibus amicitiam missi. Sub finem anni, cum Consul Laevinus ex Sicilia ad comitia habenda revocatus esset, literae a *M. Valerio Messala* praefecto classis, quem speculatum praedatumque in Africam Laevinus miserat, de ingenti, Poenorum ad bellum apparatu allatae sunt; ita, ut Dictatore comitiorum habendorum caussa dicto extemplo in provinciam redire Laevinus juberetur. Cumque Consul, se M. Valerium Messalam in Sicilia dicturum affirmasset, plebiscito jussus est, *Q. Fulvium, qui tum ad Capuam erat, Dictatorem dicere.* Sed Valerio clam in Siciliam profecto a collega ejus Marcello dictus est: qui Q. Fabium Maximum quintum, Q. Fulvium Flaccum quartum Consules creavit: Tribunis plebis nequicquam magistratus continuationem prohibentibus.

§. 35. *Res Siciliae.* §. XXXV. In Sicilia Laevinus Con-

a *Ibid. c.* 4.

Consul, postquam res Syracusanas nova pace inconditas composuisset [a]; Agrigentum *Mutinae* Numidarum Praefecti proditione cepit; cui Mutinae ex invidia imperium eripuerat Hanno. Sed hic jam cum Epicyde relicta Romanis Sicilia in Africam trajicit; quae mox universa in Romanorum ditionem concessit: & in provinciae formam redacta *horreum Populi* Romani dici coepit [b]. Cato *cellam penariam reipublicae Romanae*, & *nutricem plebis* vocavit [c]: Cicero denique *Siciliam*, *Sardiniam*, *Africam tria frumentaria subsidia Reipublicae* [d]. Quod autem hoc tempore Siciliam provinciam factam dicimus, de universa Sicilia est intelligendum, Hieronis etiam regno comprehenso: nam post primum bellum Punicum pars Siciliae, quae Poenis erepta erat, jam in provinciae formam erat redacta [e]. Quod ergo quidam Sardiniam primam Populi Romani provinciam factam fuisse dixerunt patet intelligendum

a *Liv. L. XXVI. c.* 40. b *Strabo L. VI. n.* 273. c *Cic. Verr. L. II. c.* 2. d *pro L. Manil. c.* 12. e *Vid. S. L. II. c.* 2. §. 3. & 6. *Vell. Paterc. L. II. c.* 38.

gendum esse respectu habito ad totam Siciliam, non ad ejus partem [a].

§. 36. *Carthago nova capitur.*

§. XXXVI. In Hispania Scipio ipsam Carthaginem Novam, Poenorum in ea provincia caput, oppugnare statuit [b]: urbem tum opulentam, obsidesque praeterea totius Hispaniae servantem: tum, quod Scipioni quidem maximum erat, opportune sitam ad bellum in Africam trajiciendum. Cepit autem urbem militibus per stagnum ductis [c], unde aqua aestu & acri septrentione erat abstracta: simulque praeda insigni & maximo illo apparatu bellico potitus est [d]. Obsides benigne allocutus suis quosque restituendos curavit. Mulieres interea, dum id curaretur, spectatae integritatis viro tradidit: tuerique haud secus verecunde ac modeste, quam hospitum conjuges ac matres jussit. Erat inter captivas virgo egregia forma a militibus ad Scipionem, ut de praeda eam eximiam haberet ducta [e]. At Scipio statim ut audivit *Allucio* principi Celtiberorum adolescenti despon-

a *Vid. On. Panvin. de Imp. R. c.* 14. b *Liv. Ibid. c.* 42. c *Ibidi c.* 45. d *Ibid. c.* 47. 49. e *Ibid. c.* 50.

ponsatam parentibus sponsaque ab domo accitis eam reddidit: addiditque sponso dotalia dona, satis magnum auri pondus, quod ad redimendam virginem parentes ejus domo attulerant [a]. His laetus donis adolescens brevi cum delectis M & CCCC equitibus ad Scipionem rediit: qui amicum *C. Laelium* cum Magone Poenorum duce, & quindecim Senatoribus, qui simul cum eo capti erant, nuncium victoriae Romam misit. Et cum aliquot dies exercendis navalibus pedestribusque copiis absumpsisset, *Tarraconem*, quo conventum sociis edixerat, profectus est.

§. XXXVII. Anno Urbis quingentesimo quadragesimo quarto Latini aliique socii fremere in conciliis coeperunt [b], „se jam decimum annum „stipendiis & delectibus exhauriri; „multos in acie, multos morbo absumi; octavum jam annum in Sicilia „senescere Cannensem militem; si „quotannis novi legantur, veteres „non redeant, brevi neminem superfuturum. Itaque, antequam ad „ulti- §. 27. *Gesta A.* 544.

a *Polyb. L. X. c.* 19. b *Liv. L. XXVII. c.* 9.

„ ultimam solitudinem perveniant, „ delectum esse negandum. De pace „ profecto cogitaturos esse Roma- „ nos, si consentientes in hoc socios „ viderint." Ita duodecim ex triginta coloniis Populi Romani negaverunt, *esse unde milites pecuniamque darent*. Reliquiae duodeviginti, *quicquid imperaretur, enixe facturos*, largiter promiserunt, iisque solemni maxime modo & in Senatu, & apud Populum gratiae actae: reliquarum ullam mentionem, ita ut nec dimitterentur, nec retinerentur, fieri Patres vetuerunt. Ea tacita castigatio maxime ex dignitate Populi Romani visa est. Consulibus aurum vicesimarium, quatuor millia pondo auri, quod in sanctiore aerario ad ultimos usus servabatur, promptum est. Inde ad bellum profectus Fabius (quem Sempronius Censor ejus anni modo Principem Senatus legerat, *vel Hannibale judice se hoc facturum* professus) scribit ad Marcellum, *detineret Hannibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret; qua urbe hosti adempta, nihil habiturum, ubi in Italia consisteret* a. Iis literis excitatus Mar-

a *Liv. Ibid. c.* 12.

Marcellus, qui jam ſponte ſua aviliſſimus pugnandi erat, & in animum induxerat, *neminem ducem Romanum tam parem Hannibali, quam ſe, eſſe*, caſtra contra Hannibalem movet; totiſque copiis cum eo pugnat; ſed ita, ut aequo Marte diſcederetur. Poſtridie vero ab Hannibale vincitur. At militibus graviſſima oratione caſtigatis tertium eos in aciem educit, ita ut mirabundus Hannibal, *cum eo ſibi hoſte rem eſſe*, diceret, *qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poſſet* b. Eaque pugna Hannibalem multis caeſis in caſtra compellit; cujus aciem etiam elephanti maxime turbaverant, cum pilis in eos confertim conjectis in fugam verſi eſſent. Nocte proxima Hannibal Bruttios petiit: ſed undique ejus res in Italia jam retro cedebant. Fulvius enim alter Conſul Hirpinos, Lucanos, Volſcentes praeſidiis Hannibalis traditis in deditionem recipit. Fabius vero *Manduria* in Salentinis vi capta Tarentum obſidet. Forte autem praefectus praeſidii Bruttiorum, quod Hannibal Tarentinis dederat, captus erat amore muliercu-lae,

a *Ibid. c.* 14. *Plut. Marc. p.* 313.

lae, cujus frater in exercitu Fabii mi-litabat: hic blanditiis muliebribus permotus locum, cujus custodiae e-rat praepositus, Romanis prodit; qua ita ingenti praeda & Syracusanam fere aequante potiti sunt. Sed generoso animo ea abstinuit Fabius, interroganti-que scribae, *quid fieri signis vellet?* (ingentis magnitudinis Dii e-rant, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) *Deos iratos Tarentinis relinqui* jussit. Murum inde, qui urbem ab arce dirimebat, disjicit. A Metapontinis mox arcessitus fuit, tanquam se ipsi tradituri essent: sed fraus Hannibalis suberat; quae irrita fuit; quod auspicanti Fabio auspex, ut insidias caveret praedixerat.

§. 38. *Res Hispaniae.* §. XXXVIII. Hasdrubal in Hispania cernens, quotidie res Romanorum tacitis incrementis augescere, dum multi Hispanorum ad eos transeunt [a], dimicare quamprimum statuit: nec recusavit Scipio. Ergo ad *Baeculam* urbem ad manus ventum est; & victus Hasdrubal praemissis elephantis ad Pyrenaeum tendit [b].

Scipio,

a *Liv. Ib. c.* 17. b *Ib. c.* 19. *Polyb. L. X. c.* 36.

Scipio, ut solebat, Afris captivis venditis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit: quo facto tantum sibi amorem conciliavit, ut a circumfusa Hispanorum multitudine *Rex* appellaretur [a]. At aversatus est Scipio regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile; *nomenque Imperatoris, quo se milites sui appellassent, maximum sibi esse*, dixit. Inter captivos Afros vero puerum adultum invenit *Massivam* nomine Masinissae sororis filium: quem donis ornatum & laetum ad suos dimisit [b]. Reliquum aestatis recipiendis in fidem Hispaniae populis absumpsit. Hoc circiter tempore etiam videtur evenisse egregium exemplum fiduciae Scipionis: cum nempe oppidum *Badiam* nomine obsideret, & jus quodam die in castris sedens diceret, litigantibus *vadimonium in diem perendinum in arcem istius oppidi promittere* jussit: & die tertio, in quem *vadari* jusserat, in arce ejusdem oppidi jus dixit [c]. Poenorum interim duces *Hasdrubal Gisgonis* fi-

 lius

a *Polyb. Ibid. c.* 35. b *Polyb. Ibid. c.* 18. & 37. c *Val. Max. L. III. c.* 7. *n.* 1. *Plut. Apophth. p. m.* 196. *Gell. L. VII. c.* 1.

lius & Mago ad Hasdrubalem Hannibalis fratrem de bello consulturi cum venissent, placuit, ut dum Hasdrubal Gisgonis cum exercitu penitus in *Lusitaniam* abiret, Mago in Baleares ad conducenda mercede auxilia trajiceret. Haec eo anno in Hispania acta a.

§. 39. *Res A. U.* 545. §. XXXIX. Sub finem ejusdem anni Marcellus a *Bibulo* Tribuno plebis accusatus est ducti data opera cum Hannibale belli, quippe qui exercitu suo bis caeso aestiva Venusiae sub tectis ageret. Hic vero commemoratione rerum suarum Tribunum ita obruit, ut non rogatio solum de imperio ei abrogando antiquaretur; sed postero die cum ingenti consensu Consul crearetur, addito collega *T. Quinctio Crispino*, qui tum Praetor erat. Marcellus, antequam etiam Consulatum iniret, exercitu ex Apulia accito Hetruscos bellum cogitantes oppressit: & anno sequente *C. Hostilius Tubulus* obsidibns ab *Aretinis* captis quiescere eos coëgit b.

Ergo Anno quingentesimo quadragesimo quinto ambo Consules ad bellum

a *Liv. L. XXVII. c. 20.* b *Liv. Ib. c. 24.*

lum . cum Hannibale profecti sunt: quibus cum sese haud parem futurum crederet Hannibal ad suas artes conversus insidiis locum quaerebat. Et primo quidem partem Tarentini praesidii [a], quae *Locros* oppugnatum ducebatur, in itinere locatis insidiis intercipit. Inde tumulum sylvestrem, qui inter sua & Consulum castra erat, clam noctu occupat. Consules vero ejus rei ignari cum equitibus haud amplius ducentis & viginti ad eundem collem (nam castello eum firmandum esse plerique censuerant) exploratum proficiscuntur: cumque in insidias devenissent, Marcellus quidem cum plerisque suorum caesus est; Crispinus vero duobus jaculis ictus aufugit; & paucos post dies ex vulnere mortuus est [b]. Hannibal autem Marcelli annulo simul cum corpore potitus, fuerat [c]: eoque literas Marcelli nomine compositas obsignaverat: quibus *Salapitanis* mandabat, se nocte proxima Salapiam venturum. At jam Crispinus proximas civitates monuerat, ne quibus literis Marcelli

a *Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 33. *Plut. Marc. p. m.* 315. c *Liv. d. l. c.* 28.

comperta, omnes, qui in noxa erant, necari curat: amicitia etiam eo anno cum Syphace Rege firmata [a]: & legati Alexandriam ad renovandam cum *Ptolemaeo Cleopatraque* regibus amicitiam missi. Sub finem anni, cum Consul Laevinus ex Sicilia ad comitia habenda revocatus esset, literae a *M. Valerio Messala* praefecto classis, quem speculatum praedatumque in Africam Laevinus miserat, de ingenti, Poenorum ad bellum apparatu allatae sunt; ita, ut Dictatore comitiorum habendorum caussa dicto extemplo in provinciam redire Laevinus juberetur. Cumque Consul, se M. Valerium Messalam in Sicilia dicturum affirmasset, plebiscito jussus est, *Q. Fulvium, qui tum ad Capuam erat, Dictatorem dicere.* Sed Valerio clam in Siciliam profecto a collega ejus Marcello dictus est: qui Q. Fabium Maximum quintum, Q. Fulvium Flaccum quartum Consules creavit: Tribunis plebis nequicquam magistratus continuationem prohibentibus.

§. 35. *Res Siciliae.* §. XXXV. In Sicilia Laevinus Con-

a *Ibid. c.* 4.

Consul, postquam res Syracusanas nova pace inconditas composuisset a; Agrigentum *Mutinae* Numidarum Praefecti proditione cepit; cui Mutinae ex invidia imperium eripuerat Hanno. Sed hic jam cum Epicyde relicta Romanis Sicilia in Africam trajicit; quae mox universa in Romanorum ditionem concessit: & in provinciae formam redacta *horreum Populi* Romani dici coepit b. Cato *cellam penariam reipublicae Romanae*, & *nutricem plebis* vocavit c: Cicero denique *Siciliam, Sardiniam, Africam tria frumentaria subsidia Reipublicae* d. Quod autem hoc tempore Siciliam provinciam factam dicimus, de universa Sicilia est intelligendum, Hieronis etiam regno comprehenso: nam post primum bellum Punicum pars Siciliae, quae Poenis erepta erat, jam in provinciae formam erat redacta e. Quod ergo quidam Sardiniam primam Populi Romani provinciam factam fuisse dixerunt patet intelligendum

a *Liv. L. XXVI. c.* 40. b *Strabo L. VI. n.* 273. c *Cic. Verr. L. II. c.* 2. d *pro L. Manil. c.* 12. e *Vid. S. L. II. c.* 2. §. 3. & 6. *Vell. Paterc. L. II. c.* 38.

gendum esse respectu habito ad totam Siciliam, non ad ejus partem a.

§. 36. *Carthago nova capitur.* §. XXXVI. In Hispania Scipio ipsam Carthaginem Novam, Poenorum in ea provincia caput, oppugnare statuit b: urbem tum opulentam, obsidesque praeterea totius Hispaniae servantem: tum, quod Scipioni quidem maximum erat, opportune sitam ad bellum in Africam trajiciendum. Cepit autem urbem militibus per stagnum ductis c, unde aqua aestu & acri septrentione erat abstracta: simulque praeda insigni & maximo illo apparatu bellico potitus est d. Obsides benigne allocutus suis quosque restituendos curavit. Mulieres interea, dum id curaretur, spectatae integritatis viro tradidit: tuerique haud secus verecunde ac modeste, quam hospitum conjuges ac matres jussit. Erat inter captivas virgo egregia forma a militibus ad Scipionem, ut de praeda eam eximiam haberet ducta e. At Scipio statim ut audivit *Allucio* principi Celtiberorum adolescenti despon-

a *Vid. On. Panvin. de Imp. R. c.* 14. b *Liv. Ibid. c.* 42. c *Ibidi c.* 45. d *Ibid. c.* 47. 49. e *Ibid. c.* 50.

ſponſatam parentibus ſponſaque ab domo accitis eam reddidit: addiditque ſponſo dotalia dona, ſatis magnum auri pondus, quod ad redimendam virginem parentes ejus domo attulerant [a]. His laetus donis adoleſcens brevi cum delectis M & CCCC equitibus ad Scipionem rediit: qui amicum *C. Laelium* cum Magone Poenorum duce, & quindecim Senatoribus, qui ſimul cum eo capti erant, nuncium victoriae Romam miſit. Et cum aliquot dies exercendis navalibus pedeſtribuſque copiis abſumpſiſſet, *Tarraconem*, quo conventum ſociis edixerat, profectus eſt.

§. XXXVII. Anno Urbis quingenteſimo quadrageſimo quarto Latini aliique ſocii fremere in conciliis coeperunt [b], „ ſe jam decimum annum „ ſtipendiis & delectibus exhauriri; „ multos in acie, multos morbo abſumi; octavum jam annum in Sicilia „ ſeneſcere Cannenſem militem; ſi „ quotannis novi legantur, veteres „ non redeant, brevi neminem ſuperfuturum. Itaque, antequam ad „ ulti- *§. 27. Geſta A. 544.*

a *Polyb. L. X. c. 19.* b *Liv. L. XXVII. c. 9.*

„ ultimam solitudinem perveniant;
„ delectum esse negandum. De pace
„ profecto cogitaturos esse Roma-
„ nos, si consentientes in hoc socios
„ viderint." Ita duodecim ex triginta coloniis Populi Romani negaverunt, *esse unde milites pecuniamque darent*. Reliquiae duodeviginti, *quicquid imperaretur, enixe facturos*, largiter promiserunt, iisque solemni maxime modo & in Senatu, & apud Populum gratiae actae: reliquarum ullam mentionem, ita ut nec dimitterentur, nec retinerentur, fieri Patres vetuerunt. Ea tacita castigatio maxime ex dignitate Populi Romani visa est. Consulibus aurum vicesimarium, quatuor millia pondo auri, quod in sanctiore aerario ad ultimos usus servabatur, promptum est. Inde ad bellum profectus Fabius (quem Sempronius Censor ejus anni modo Principem Senatus legerat, *vel Hannibale judice se hoc facturum* professus) scribit ad Marcellum, *detineret Hannibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret; qua urbe hosti adempta, nihil habiturum, ubi in Italia consisteret* a. Iis literis excitatus Mar-

a *Liv. Ibid. c. 12.*

Marcellus, qui jam ſponte ſua aviꝺiſſimus pugnandi erat, & in animum induxerat, *neminem ducem Romanum tam parem Hannibali, quam ſe, eſſe*, caſtra contra Hannibalem movet; totiſque copiis cum eo pugnat; ſed ita, ut aequo Marte diſcederetur. Poſtridie vero ab Hannibale vincitur. At militibus graviſſima oratione caſtigatis tertium eos in aciem educit, ita ut mirabundus Hannibal, *cum eo ſibi hoſte rem eſſe*, diceret, *qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poſſet* b. Eaque pugna Hannibalem multis caeſis in caſtra compellit; cujus aciem etiam elephanti maxime turbaverant, cum pilis in eos confertim conjectis in fugam verſi eſſent. Nocte proxima Hannibal Bruttios petiit: ſed undique ejus res in Italia jam retro cedebant. Fulvius enim alter Conſul Hirpinos, Lucanos, Volſcentes praeſidiis Hannibalis traditis in deditionem recipit. Fabius vero *Manduria* in Salentinis vi capta Tarentum obſidet. Forte autem praefectus praeſidii Bruttiorum, quod Hannibal Tarentinis dederat, captus erat amore muliercu-lae,

a *Ibid. c.* 14. *Plut. Marc. p.* 313.

lae, cujus frater in exercitu Fabii militabat: hic blanditiis muliebribus permotus locum, cujus custodiae erat praepositus, Romanis prodit; qui ita ingenti praeda & Syracusanam fere aequante potiti sunt. Sed generoso animo ea abstinuit Fabius, interrogantique scribae, *quid fieri signis vellet?* (ingentis magnitudinis Dii erant, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) *Deos iratos Tarentinis relinqui* jussit. Murum inde, qui urbem ab arce dirimebat, disjicit. A Metapontinis mox arcessitus fuit, tanquam se ipsi tradituri essent: sed fraus Hannibalis suberat; quae irrita fuit; quod auspicanti Fabio auspex, ut insidias caveret praedixerat.

§. 38. *Res Hispaniae.* §. XXXVIII. Hasdrubal in Hispania cernens, quotidie res Romanorum tacitis incrementis augescere, dum multi Hispanorum ad eos transeunt [a], dimicare quamprimum statuit: nec recusavit Scipio. Ergo ad *Baeculam* urbem ad manus ventum est; & victus Hasdrubal praemissis elephantis ad Pyrenaeum tendit [b]. Scipio,

a *Liv. Ib. c.* 17. b *Ib. c.* 19. *Polyb. L. X. c.* 36.

Scipio, ut solebat, Afris captivis venditis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit: quo facto tantum sibi amorem conciliavit, ut a circumfusa Hispanorum multitudine *Rex* appellaretur [a]. At aversatus est Scipio regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile; *nomenque Imperatoris, quo se milites sui appellassent, maximum sibi esse*, dixit. Inter captivos Afros vero puerum adultum invenit *Massivam* nomine Masinissae sororis filium: quem donis ornatum & laetum ad suos dimisit [b]. Reliquum aestatis recipiendis in fidem Hispaniae populis absumpsit. Hoc circiter tempore etiam videtur evenisse egregium exemplum fiduciae Scipionis: cum nempe oppidum *Badiam* nomine obsideret, & jus quodam die in castris sedens diceret, litigantibus *vadimonium in diem perendinum in arcem istius oppidi promittere* jussit: & die tertio, in quem *vadari* jusserat, in arce ejusdem oppidi jus dixit [c]. Poenorum interim duces *Hasdrubal Gisgonis* fi-

 lius

a *Polyb. Ibid. c.* 35. b *Polyb. Ibid. c.* 18. & 37. c *Val. Max. L. III. c.* 7. *n.* 1. *Plut. Apophth. p. m.* 196. *Gell. L. VII. c.* 1.

lius & Mago ad Hasdrubalem Hannibalis fratrem de bello consulturi cum venissent, placuit, ut dum Hasdrubal Gisgonis cum exercitu penitus in *Lusitaniam* abiret, Mago in Baleares ad conducenda mercede auxilia trajiceret. Haec eo anno in Hispania acta a.

§. 39. *Res A. U.* 545. §. XXXIX. Sub finem ejusdem anni Marcellus a *Bibulo* Tribuno plebis accusatus est ducti data opera cum Hannibale belli, quippe qui exercitu suo bis caeso aestiva Venusiae sub tectis ageret. Hic vero commemoratione rerum suarum Tribunum ita obruit, ut non rogatio solum de imperio ei abrogando antiquaretur; sed postero die cum ingenti consensu Consul crearetur, addito collega *T. Quinctio Crispino*, qui tum Praetor erat. Marcellus, antequam etiam Consulatum iniret, exercitu ex Apulia accito Hetruscos bellum cogitantes oppressit: & anno sequente *C. Hostilius Tubulus* obsidibns ab *Aretinis* captis quiescere eos coëgit b.

Ergo Anno quingentesimo quadragesimo quinto ambo Consules ad bellum

a *Liv. L. XXVII. c.* 20. b *Liv. Ib. c.* 24.

lum. cum Hannibale! profecti sunt: quibus cum sese haud parem futurum crederet Hannibal ad suas artes conversus insidiis locum quaerebat. Et primo quidem partem Tarentini praesidii a, quae *Locros* oppugnatum ducebatur, in itinere locatis insidiis intercipit. Inde tumulum sylvestrem, qui inter sua & Consulum castra extat, clam noctu occupat. Consules vero ejus rei ignari cum equitibus haud amplius ducentis & viginti ad eundem collem (nam castello eum firmandum esse plerique censuerant) exploratum proficiscuntur: cumque in insidias devenissent, Marcellus quidem cum plerisque suorum caesus est; Crispinus vero duobus jaculis ictus aufugit; & paucos post dies ex vulnere mortuus est b. Hannibal autem Marcelli annulo simul cum corpore potitus, fuerat c: eoque literas Marcelli nomine compositas obsignaverat: quibus *Salapitanis* mandabat, se nocte proxima Salapiam venturum. At jam Crispinus proximas civitates monuerat, ne quibus literis Marcelli

a *Ibid. c.* 26. b *Ibid. c.* 33. *Plut. Marc. p. m.* 315. c *Liv. d. l. c.* 28.

nomine compositis crederent. Salapitani itaque sexcentis ferme intromissis cataractas dejecerunt; atque inde reliquos absterruerunt a muris. Re igitur infecta discedens Hannibal *Cincium* Propraetorem, qui Locrorum urbem summa vi oppugnabat, obsidionem solvere coëgit.

Hac aestate etiam M. Valerius Proconsul in Africam trajiciens agros vastavit: & dum revertitur bene cum classe Punica pugnavit [a].

§. 40. *Res Graeciae.*

§. XL. In Graecia Philippus Achaeis adversus *Machanidam* Lacedaemoniorum tyrannum & Aetolos opem ferens bis prospero eventu pugnavit [b]. Venerunt quidem legati ab Rege Aegypti *Ptolemaeo Philopatore*, *Rhodiis*que & Atheniensibus & *Chiis* ad dirimendum inter Philippum & Aetolos bellum: sed Aetoli adventu *Attali* Asiae Regis & classis Romanae ferociores facti victori Philippo conditiones pacis ultro tulerunt: quod indigne ferens Rex dimisso concilio ad *Nemaeos* ludos celebrandos discessit. Et obiter repulsis Romanis, qui inter *Corinthum* & *Si-*

cyonem

a *Liv. Ibid. c.* 29. b *Liv. Ibid. sqq.*

cyonem agros vastabant, ad ludos reversus per flagitia Regio more eos celebravit. Inde Achaeorum auxiliis instructus ad *Elim* (*Elei* a ceteris Acheis hoc bello seorsim sentiebant) cum Eleis, Aetolis, Romanisque, quos iis accessisse ignorabat, pugnavit: nec nisi fuga summum periculum evasit; & paulo post nuncio de irruptione barbarorum in Macedoniam accepto hoc bellum omittere coactus est.

§. XLI. Anno Urbis quingentesimo quadragesimo sexto T. Manlius Torquatus, quem paucis ante obitum diebus Crispinus Consul Dictatorem dixerat, Consules creavit C. Claudium Neronem [a], & *M. Livium*, qui postea *Salinator* dictus est; quod vectigal novum *ex salaria annona* in Censura statuisset [b]. Hic ante duodecim annos damnatus fuerat, quod praedam Illyricam inique divisisse diceretur; ut notatum est *supra ad finem* §. 3. atque inde omni coetu hominum caruerat. Itaque etiam nunc non nisi omnibus adnixis Consulem se creari passus est: & auctore Senatu cum col- §. 41. *Res* *A.* 546.

 lega

a *Liv. Ib. c.* 34. b *Vid. Ib. c.* 29, & 37.

lega Nerone, cum quo capitales inimicitias exercuerat, in gratiam rediit. Inde terrore belli duplicato (nam jam descendisse in Italiam Hasdrubal nunciabatur) delectus acrius, quam unquam habitus fuit [a]; pleraumque etiam coloniarum vacationibus neglectis. Ordinandi exercitus potestatem liberam Senatus Consulibus fecit: quo facto statim in provincias exierunt ea mente, ut hostes in unum vires conferre non paterentur, & Claudius quidem Hannibali, Livius Hasdrubali oppositus fuit. Opportunum autem evenit, ut tardius ex hibernis moveret Hannibal, qui haud quaquam tam maturum fratris transitum exspectaverat recordando, quae ipse in transitu Alpium per quinque menses exhausisset. Transiit tamen omni spe celerius & expeditius Hasdrubal; sed obsidendo verius, quam oppugnando Placentiam tempus trivit. Ipsius Hannibalis porro exercitui C. Hostilius Tubulus terribilem tumultum intulit, quatuor millibus ex eo occisis: sed majore mox clade ab ipso Claudio ad *Grumentum* Lucaniae urbem

a *Ibid. c.* 38.

urbem afficitur a; ubi supra octo hostium millia occisa dicuntur. Hannibal inde castris praedae relictis noctu in Apuliam contendit, nusquam vestigiis ejus absistente Nerone.

§. XLII. Verum inter haec literae ab Hasdrubale ad Hannibalem missae a Claudio Consule intercipiuntur; quibus in Umbria se fratri occursurum significabat c. Hic Nero audax consilium cepit cum sex millibus peditum & mille equitibus de toto exercitu delectis citatissimo itinere ad collegam tendendi; literis ad Senatum scriptis, ut interim tutelae Urbis provideret: nec ante consilium militi suo aperuit, quam jam satis longum intervallum ab hoste fecisset c. Praemiserat autem, qui nunciarent, ut ex agris urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent; equos jumentaque alia producerent, ut vehiculorum fessis copia esset. Cuncta ea summa alacritate curata sunt: & agmen etiam in ipso itinere voluntariis auctum. Nocte clam castra collegae, quae ad *Senam* erant, ingressus Claudius, ita excipitur, ut

§. 42. *Egregia Neronis adversus Hasdrubalem expeditio.*

 castra

a *Ib. c.* 41. *sq.* b *Ib. c.* 43. c *Ib. c.* 45.

castra dilatari nihil opus foret. Postridie Nero summa ope orare institit, *ut confestim signum pugnae proponeretur, ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent.* Hasdrubal anxius, quod putaret, non nisi profligato Hannibale Consulem provincia sua excedere fuisse ausum, statim vigilia prima inde discedere coepit: sed desertus ab itineris ducibus haud multum processit. Ergo, postquam pugnandum vidit, acie ad *Metauri* fluminis ripam instructa, Romanos excepit: sed toto fere exercitu amisso, (quoniam nihil spei restare cerneret) ne cladi superesset. in cohortem Romanam se immisit: & ibi, ut tantis ducibus patre fratreque dignum erat, fortiter pugnans cecidit: quinquaginta sex millia hostium hoc praelio occisa; octo ferme Romanorum sociorumque interfectis. Ita ut tanta satias caedis atque sanguinis victores ceperit, ut postero die Gallos Liguresque, quos temere abeuntes una equitum ala immissa delere potuisset, *superesse nuncios & hostium cladis & Romanae virtutis* siverint. Majus

a *Polyb. L. XI.* b *Liv. Ibid. c.* 49.

Majus quam unquam gaudium hujus victoriae nuncius Romae fecit [a]: atque ita statum civitatis movit, ut jam inde haud secus, quam in pace, civilia quaevis inter se negotia gerere, & contractus celebrare auderent. Nero ea nocte, quae pugnam secuta est, citatiore quam venerat, agmine reversus die sexto ad stativa sua pervenit, caputque statim Hasdrubalis ante hostium stationes projici jussit. Hannibal tanto ictus luctu, *agnoscere se fortunam Carthaginis* fertur dixisse: atque ita, contractis omnibus, quae poterat, copiis, in Bruttium agrum, extremum Italiae angulum, concessit. Sub finem aestatis Consuli utrique ex provincia evocato Senatus frequens triumphum decrevit [b]: sed inter eos ita convenit, *ut quoniam in provincia M. Livii, & ejus auspiciis res gesta foret; quodque Livius cum exercitu Romam venisset, Claudius exercitum de provincia deducere non potuisset, M. Livium quadrigis Urbem ineuntem milites sequerentur, C. Claudius equo sine militibus inveheretur* [c]. Livius pecu-

 niae

a *Ibid. c.* 51. b *Liv. L. XXVIII. c.* 9.
c *Val. Max. L. IV. c.* 1. *ex.* 9.

niae in aerarium tulisse Consules dicit, *sestertium tricies: octoginta millia aeris.* Sunt Philippaeorum 75800. Polybius vero *L. XI. trecenta talenta*, Philippaeorum 180000., & amplius.

§. 43. *Res Hispaniae.* §. XLIII. In Hispaniam Hanno novo cum exercitu transgressus, & Magoni junctus par priori bellum renasci fecit. Sed a *Silano* Scipionis legato victus est peropportuna victoria: cum ingens bellum excitare potuisset, si Celtiberorum gentem excire & ad arma sollicitare populos Poenorum ducibus licuisset. Ita Scipio spem debellandi nactus adversus Hasdrubalem Gisgonis pergit: qui statim exercitum omnem passim in civitates dimittit. Ita dissipato bello Scipio per fratrem *Lucium Oringin* urbem iis partibus opulentissimam expugnat: &, fratre cum Hannone ceterisque nobilibus captivis Romam misso, in hiberna concessit. Et mari etiam Laevinus Proconsul classem Punicam fudit fugavitque a.

§. 44. *Res Graeciae.* §. XLIV. Philippum Regem *Demetriade* adierunt legati Acarnanum, Achaeorum, *Boetorum*, aliorumque Grae-

c *Liv. Ibid. c. 4.*

Graeciae Populorum, querentes de injuria animisque Aetolorum Romana Attalique Regis societate fidentium a. *Thraces* simul Illyriique imminere Macedoniae nunciabantur. Philippus, quantum quidem fieri potuit, statim omnibus rebus locisque providit: nec prohibere tamen potuit, quin *Oreum* munitam *Euboeae* urbem *Platoris*, qui a Philippo illi urbi praepositus fuerat, proditione caperent Romani & Attalus: qui mox etiam *Chalcidem* ejusdem Insulae urbem, sed frustra, tentarunt. *Opuntiorum* vero urbem cepit b: quam accurrens celeriter Philippus recepit, dum Attalus vix fuga elaberetur: qui mox, audito, *Prusiam Bithyniae* Regem in fines suos trangressum, in Asiam trajecit. Mox Philippus *Thronio* Locrorum *Epicnemidiorum* urbe, aliisque ignobilioribus potitus Eleis, quos minabatur Machanidas, auxilio profectus est: inde varia itinera ad firmandos in fide Graecorum animos suscipit, frustra classem Poenorum exspectans.

§. XLV. Anno Urbis conditae quin- §. 45. *Res* *A.U.* 547.

a *Ibid. c.* 5. b *Liv. Ibid. c.* 7.

quingentesimo quadragesimo septimo Consules fuerunt *Q. Caecilius Metellus*, *L. Veturius Philo*, creati maxime hortatu Livii, qui ad comitia habenda Dictator factus egregiis eos laudibus ob res in legatione se Consule bene gestas extulerat [a]. Hi Senatu jubente, cum jam sine metu rursus in agris, qui cultoribus erant destituti, habitari posset, plebem eo remigrare compulerunt: cujus rei mentio primum a legatis *Placentinorum* & *Cremonensium* facta fuerat; qui se res suas ob infrequentiam colonorum adversus Gallos tutari non posse fuerant questi. Itaque etiam horum civibus, ut in colonias suas reverterentur, edictum fuit [b]. Cum Hannibale hoc anno nihil gestum fuit; qui exercitum suum in agro Bruttio mira industria, cum ab domo nihil mitteretur, sustinebat: nec minore diligentia in omnium saepe rerum inopia seditiones in exercitu ex omnium gentium colluvione mixto prohibebat [c].

§. 46. *Hispaniae res.* §. XLVI. In Hispania Scipio Hasdrubalem & Magonem cum Masinissa Numi-

a *Liv. L. XXVIII. c.* 9. b *Liv. Ibid. c.* 19. c *Ibid. c.* 12. *Polyb. L. XI. c.* 17.

Numidarum Rege, qui Romanos castra ponentes invaserant, in fugam egit a. Et licet ita audentiores Romani, timidiores Poeni facti essent, hi tamen ab excursionibus equitum levisque armaturae non cessabant. Sed mox utrique omnes copias, idque, cum a neutris pugna inciperetur, per aliquot dies in aciem educebant: ita ut Poenus semper prior copias castris educeret, prior fessis stando signum receptui daret. Jamque hoc in utrisque castris sermonis erat, obstinateque credebatur, ita ut instructi stetissent pugnaturos. Scipio vero, ubi pugnare visum fuit, omnia de industria mutavit: & vixdum certa luce viros equosque bene curatos & pransos in aciem eduxit. Sedulo tamen diem extraxit, ut sera pugna esset b: ita ut aestu simul & labore, tum etiam fame ac siti confecti Poeni tandem in fugam se undique effunderent. Castris tamen se defensuri fuerant, nisi transitio sociorum fuga ut tutior videretur, fecisset. In ipsa fuga etiam plurimi trucidati sunt: & ipse tandem Hasdrubal relicto exercitu nocte

Gades

a *Polyb. Ibid. c.* 19. b *Liv. d. l. c.* 15.

Gades perfugit. Masinissa hac clade permotus Carthaginiensium partes deseruit: atque ita tandem tertio decimo post bellum initum anno, quinto autem postquam Scipio in provinciam venerat, in Hispania debellatum est. Inde Scipio ad pacem cum Syphace *Masaesylorum* Rege firmandam in Africam duabus quinqueremibus trajecit. Forte eodem tempore, & in eundem portum cum septem triremibus Hasdrubal invectus est: sed tumultum in regio portu ciere non ausus ad Regem pergit. Ibique (quia ita cordi erat Regi) in eodem lecto Scipio atque Hasdrubal accubuerunt [a]. Scipio foedere cum Syphace icto die quarto Carthaginem Novam reversus est: atque *Illiturgin* urbem, quae post caesos Scipiones, interfectis etiam perfugis, ad Poenos defecerat, licet fortiter se defendentem, cepit, feminisque etiam & infantibus caesis diruit [b]. *Castulone* vero proditione potitus mitius victoria usus est. Alias inde urbes per legatos in deditionem accipit. Sed *Astapae* cives, praecipuo in Romanos odio cla-

a *Liv. Ibid. c.*18. b *Ibid. c.*20.

clari [a], eruptione facta dimicantes ceciderunt: dum interim conjuges ac liberi eorum a quinquaginta juvenibus, quibus id mandatum erat, occiderentur; qui deinde urbe etiam incensa medio incendio se injecerunt. Marcium inde postquam Gades misisset, cum spe ejus urbis per proditionem potiundae (quae tamen spes eum refellit [b]) ipse in gravem morbum incidit [c]: cujus rei fama, tantum in uno viro momenti erat, non tantum Hispanorum multos ad defectionem compulit; sed gravissimam etiam in exercitu Romanorum, qui ad *Sucronem*, praesidium cis Iberum gentibus, erat, seditionem concitavit: praesertim cum etiam morte Scipionis falso credita animi militum occoecarentur. Verum postquam vivere eum nunciatum est, stupenti jam seditioni Tribuni militum septem ab ipso Scipione missi supervenerunt. Hi placido sermone animos permulserunt, stipendium non ad diem datum, fraudatosque se praeda *Illiturgitanorum* querentium. Tranquilliorem etiam seditio-

a *Ibid.* c. 20. b *Ibid.* c. 30. *sq.* c *Ibid.* c. 24.

ditionem fecit,quod Hiſpani poſtquam vivere Scipionem allatum eſt, ab rebellando deſtiterunt. Tum edixit Scipio, ut ad ſtipendium petendum convenirent Carthaginem. Illi,cum ſeditionem nec atrocem, neç atroci poena dignam putarent, eo, ſed univerſi, quo tutiores eſſent, iverunt. Curaverat interea Scipio, ut exercitus, qui Carthagine erat, ſummo mane, tanquam in expeditionem iturus, proficiſceretur; ſed non ultra portas proceſſit; & mox, qui pridie venerant, in concionem ad Imperatorem vocati ſunt. Ibi armati a portis reducti inermem concionem circumfuderunt: mox Scipio ſevera oratione eos allocutus quinque hominum, qui principes ſeditionis fuerant, ſupplicio omnem tumultum compoſuit; renovato inde jurejurando in verba P. Scipionis, ſtipendioque ad nomen ſingulis perſoluto [a]. *Mandonius* interea & Indibilis Hiſpanorum reguli defectionem a Romanis agitantes ſuſpenſi quieverant, dum, quid de ſeditione ſtatueretur, ſcirent. At audito noxiorum ſupplicio populares rurſus ad arma vocarunt. Scipio, alacri oratio-

a *Ibid. c.* 29.

oratione excitatis suis militibus, ad eos contendit: eosque vi armorum pacem petere coëgit [a]. Inde Oceanum versus proficiscitur, ut cum Masinissa, qui Gadibus erat, colloqueretur. Masinissa & ipse ejus colloquii cupidus permittente Magone tanquam ad depopulandos proximos Hispanorum agros in continentem trajicit; amicitiamque & foedus cum Scipione firmat: atque ita, populatus tamen proximos agros, ne sine caussa trajecisse in continentem videretur, Gades rediit. Mago, desperatis in Hispania rebus, jussu Senatus Carthaginiensium in Italiam cum classe navigare contendit [b]: sed quum Carthaginem Novam praeterveheretur, ejus urbis tentandae libido eum cepit. Verum magna inde clade repulsus, & Gadibus exclusus minorem Balearium sine certamine in potestatem redigit, ibique hibernavit.

§. XLVII. Scipio autem provincia legatis tradita Romam abiit: triumphique spem tentavit magis, quam pertinaciter petiit [c]. Mox frequen- *§. 47. Historia A. U. 548. Res Italiae.*

Ee tissi-

a *Ibid. c.* 34. b *Ibid. c.* 36. c *Liv. Ibid. c.* 38.

tissimis Comitiis Consul creatus fuit. Sed cum Africam novam provinciam extra sortem P. Scipioni destinari homines fama ferrent a, nec id consilium primoribus Patrum placeret, ceteris mussantibus, Q. Fabius Maximus multis rationibus dissuadere conatus est. Post multas altercationes Scipioni Sicilia provincia decreta est: permissumque, si id e Republica esse censeret, ut in Africam trajiceret a. Alteri Consuli *Crasso*, quem cura sacrorum, quod Pontifex Maximus esset, in Italia retinebat, Bruttii & Hannibal provincia data est. Cumque Scipioni, ut delectum haberet, negatum esset, voluntarios milites, permittente Senatu, in provinciam duxit. Necessaria in classem a sociis libenter collata sunt; cum eam impensae Reipublicae futuram Scipio negasset. Eadem aestate Mago ex minore Balearium insula in Italiam trajecit: curaque Patribus injecta, ne grave inde bellum oriretur, M. Livio Proconsuli & *Cn. Servilio* Praetori ejus rei prohibendae negotium datum est. Scipio posteaquam in Siciliam

a *Ibid.* c. 40. b *Ibid.* c. 45.

liam venit, ex principibus Siculorum trecentos juvenes, qui secum in Africam trajicerent, legit [a]: cumque gravem eam militiam ipsis fore sciret, *renunciari sibi*, dixit, *quosdam eam militiam horrere:* & jussit, *ut libere sibi faterentur*. Hoc postquam unus facere est ausus, jussit Scipio, ut arma equumque, & cetera militiae instrumenta uni ex trecentis juvenibus (quos florentes aetate & virium robore inermes circa se habebat ex voluntariis militibus lectos) traderet. Atque ita sine publica impensa praestantissimam alam equitum formavit. Inde, ut Siculos paratiores ad bellum adjuvandum faceret, etiam Syracusanis res suas restituit. *C.* vero *Laelium* in Africam praedatum mittit. Sed interim occasio oblata est Locros urbem recipiendi [b] ope fabrorum quorundam, qui assueti erant mercede apud Poenos opus in arce Locrorum facere. Hi a Romanis capti, *arcem se tradituros* promiserant. Sed, cum unam jam arcem cepissent Romani, supererat etiam altera. Ergo suis Hannibal, Romanis etiam Scipio auxilio venit.

 Tan-

a *Id. L. XXIX. c.* 1. b *Ibid. c.* 6.

Tandem vero cessit Hannibal: ejusque mandato Poeni, qui in arce erant, ad eum confugerunt.

§. 48. *Pleminii Locrensium praefecti facinus.*

§. XLVIII. Scipio rerum Locrensium ordinatione ad Senatum Romam remissa *Q. Pleminium* legatum suum urbi praefecit [a]. At hic absque ullo divinarum humanarumve rerum respectu rapinis, crudelitate, libidine omnia complet; eadem etiam militibus suis licentia concessa: imo Tribunos rapinas prohibere volentes virgis caedi jubet. Hoc vero ipsi jam milites indigne tulerunt; & impetu in legatum facto toto corpore hostiliter lacerant; & naso quoque auribusque decisis exsanguem relinquunt. Interim tamen Scipio Locros advectus Pleminium noxa liberat; Tribunos, ut Romam mitterentur, in vincula conjicit. Sed simul ac abiisset Scipio, Pleminius Tribunos crudelissima morte interficit: ut etiam *Locrensium* principes, quos ad conquerendas injurias ad Scipionem profectos audiverat. Tandem Locrenses ad ipsum Senatum Romam legatos mittunt acerbe de injuriis Pleminii conquestu-

a *Ibid.* c. 8.

questuros. Eos Q. Fabius rogavit, *detulissent ne eas querelas ad P. Scipionem* [a]? & cum, *detulisse, sed frustra*, respondissent, *Pleminium vinctum Romam deportandum; ac Scipioni imperium abrogandum* censuit: qui praeterea accusabatur, *quod molliter & licenter vivendo omnem militarem disciplinam corrumperet*. Ergo ex Q. Metelli sententia Tribuni plebis duo cum *M. Pomponio* Praetore, cui Sicilia provincia sorte evenerat, & decem legati missi sunt, qui praesentes de omnibus rebus judicarent. Ab his, sive, ut alii tradunt, ab ipso Scipione Pleminius & seditionis principes in catenas conjecti sunt [b]. Sacra pecunia a Pleminio militibusqve ejus rapta in thesauris reposita, & sacrum piaculare factum: leges denique, & Senatus Locrensibus redditus: iisque permissum, ut de Scipione publice quererentur. Reliqua a Locrensibus grato animo accepta. Scipionem excusarunt, ut lenitate magis, quam malitia in hac re usum. Venientibus Syracusas legatis non verbis, sed factis Scipio se purgavit; cum cuncta

a *Ibid. c.* 19. b *Ibid. c.* 21.

summa disciplina & ordine in Sicilia fieri comperissent. Pleminium Livius *L. XXIX. c.* 22. prius in vinculis mortuum dicit, quam judicium Populi de eo perficeretur: & *L. XXXI. c.* 12. tanquam clarum poenae exemplum eum proponit: at Idem *L. XXXIV. c.* 44. narrat, Pleminium comparasse homines, qui pluribus simul locis Urbis nocte incendia facerent, eumque tum demum in inferiorem demissum carcerem, necatumque: quae indigna sane tanti nominis Historico est oscitantia; ut egregie olim observavit vir summi *judicii*, nec minoris doctrinae Jacobus Perizonius [a]: cujus semper gratissimo animo recordor. Legatorum de Scipione relatio adeo animos mutavit, ut Senatus primo quoque tempore in Africam ei trajiciendum esse censeret.

§ 49. *Res Hispaniae.* §. XLIX. In Hispania hoc anno absentia Scipionis Indibilem & Mandonium ad bellum conciendum perpulit [b]. Sed ab Romanis Imperatoribus *L. Lentulo* & *L. Manlio Acidino* victi sunt, Indibili in acie caeso

a *Animadv. Hist. c.* 8. b *Liv. L. XXIX. c.* 1.

so [a]. Mandonius ejus frater aliique principes a suis comprehensi, & Romanis ad supplicium sunt traditi: atque ita pax Hispaniae populis est reddita; quae tamen diuturna non fuit [b].

§. L. Res Graeciae biennio jam neglexerant Romani; ita ut Philippus Aetolos a Romanis desertos, quibus voluit conditionibus ad petendam pacem subegerit. Unde liquet, inique questos fuisse Romanos, quod sine eorum auctoritate, adversus foedus, pacem cum Rege fecissent [c]; ut pluribus docet Celeberr. Perizonius *Animadv. Hist. cap. 9.* Hoc autem anno, *P. Sempronius* Proconsul, successor imperii missus *Sulpicio*, Epirotarum & Acarnanum legatis & magistratibus intercedentibus, pacem cum Philippo sanxit; quam Populus Romanus eo libentius jussit, quia, verso in Africam bello, omnibus aliis in praesentia bellis levari volebant. Hac pace Romani pedem in Graecia fixerunt, Illyrici loca quaedam sibi pacti. *Atintania* vero (etiam haec §. 50. *Res Graeciae.*

 gens

a *Ibid. c.* 3. b *Vid. Appian. de bell. Hisp. n.* 266. *& Infr. ad A. U.* 556. c *Liv. L. XXIX. c.* 12.

gens (Illyrica est) Philippo concessa.

Etiam hoc porro ad historiam hujus anni addendum, in libris Sibyllonis inventum fuisse carmen [a], *hostem alienigenam pelli Italia posse, si Mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret.* Ergo legatis ad Regem *Attalum* missis sacer lapis, quem *matrem Deum* incolae *esse* dicebant, traditus est: isque Romae a *P. Scipione* Cnei F., ejus qui in Hispania ceciderat [b], hospitio exceptus est. Oraculum enim Delphicum ad Attalum proficiscentibus responderat, „ Quum Romam „ Deam devexissent, tum curarent, „ ut eam, qui vir optimus Romae „ esset, hospitio exciperet. " Isque Senatus judicio P. ille Scipio judicatus fuerat. In ejus Deae honorem ludi, *Megalesia*, instituti [c].

§. 51. *Historia* *A. U.* 549. §. LI. Hoc anno dempto jam graviore a bello metu duodecim coloniis, quae auxilia negaverant [d], indictum est, *ut, quantum quaeque militum plurimum dedisset, duplicatum ejus summae numerum peditum daret, & equites centenos vicenos.* Tum jussum, *ut*

a *Ibid. c.* 10. b *Ibid. c.* 14. c *Juven. S. XI. v.* 191. d *Vid. Supr.* §. 36.

ut in iis coloniis censu ex eadem formula, qua Romae, ageretur a. Pecuniae quoque a privatis in Rempublicam collatae quod fuerat, tribus pensionibus persolvi placuit b. Eodem anno Censura acta est. Censorum alter Nero collegam M. Livium, *quia Populi judicio esset damnatus, equum vendere* jussit c: eademqee nota Livius Claudium notavit, *quod falsum adversus se testimonium dixisset; quodque non sincera fide secum in gratiam rediisset.* Haec fere domi eo anno acta sunt.

§. LII. Porro Carthaginienses trajecturum jam in Africam Scipionem exspectantes Syphacem Regem a societate Romana abducunt d: qui nuptiis cum Hasdrubalis filia celebratis per legatos Scipionem hortatus est, „ ut procul ab Africa bellum cum „ Carthaginiensibus Romani gere„ rent: si non abstineat terra Africa „ Scipio, sibi necessarium fore pro „ patria dimicare. " Scipio propere legatos remittit, monetque Syphacem, *ne Deos conventorum testes fallat.* Simul, quae prima dies cursum navi- *§. 52. Trajectus Scipionis in Africam.*

 bus

a *Liv. Ibid. c.* 15. & 37. b *Ibid. c.* 16. c *Ibid. c.* 37. d *Liv. d. l. c.* 23.

bus daret in Africam trajicere parat: tertioque postquam e Sicilia solverat, die Africam tenuit a. Magnum terrorem adventus Scipionis Carthaginiensibus attulit: praesertim cum nec exercitum, nec ducem, quem ipsi opponerent; haberent. Romanis statim ac appulerunt laetissimus Masinissae adventus accidit b. Hujus autem viri singulare erga Romanos studium meretur, ut ejus historiam paulo latius hic explicemus. Et vidimus jam eum in Hispania pro Poenis militasse: dum autem in eo est, pater ejus Gala mortem obiit: cujus regnum ad fratrem Regis *Oesalcem* nomine pervenit; eoque non diu post mortuo ad hujus filium majorem *Capusam:* qui in praelio adversus *Mezetulum* quendam, tutorem *Lacumacis* minoris Oesalcis filii se dicentem, cecidit. Masinissa interea reversus cum quingentis Numidis *Thapsum* urbem impetu capit: Lacumaces ad Syphacem aufugit. Inde Masinissa, cum plurimi Numidae ad eum confluxissent, Lacumacem cum tutore & Syphacis auxiliis vincit: & regno recuperato

a *Ibid. c.* 27. b *Ibid. c.* 29.

perato Lacumacem & Mezetulum promiſſis ad ſe allicit. Sed Syphax inſtigantibus Poenis bellum ei infert; eumque acie vincit: qui cum haud multis elapſus montem praedis agendis opportunum occupat. Inde a *Bocchare* Praefecto regio pulſus in valle arcta includitur [a]: unde cum quinquaginta haud amplius equitibus ſe eripuit. Verum mox iterum circumventus cum quatuor tantum equitibus, ipſe quoque ſaucius, evaſit. Sed ex his ipſis duo, dum amnem tranſeunt, gurgite rapiuntur: ipſe periiſſe creditus cum duobus reliquis inter virgulta emerſit. At ſtupenda hinc audacia, cum in ſpelunca vulnera curaſſet, regnum repetiit: atque in ipſo itinere, haud plus quadraginta equitibus collectis, tanto favore excipitur, ut intra paucos dies ad decem millia militum colligeret, & regnum reciperet. Sed iterum a Syphace filioque ejus *Vermina* victus cum ſexaginta equitibus ad minorem Syrtim pervenit: & ad Romanorum adventum vagando inter vicinas gentes tempus conſumpſit; quo adventu intellecto

a *Ibid.* c. 32.

bus daret in Africam trajicere parat: tertioque postquam e Sicilia solverat, die Africam tenuit a. Magnum terrorem adventus Scipionis Carthaginiensibus attulit: praesertim cum nec exercitum, nec ducem, quem ipsi opponerent; haberent. Romanis statim ac appulerunt laetissimus Masinissae adventus accidit b. Hujus autem viri singulare erga Romanos studium meretur, ut ejus historiam paulo latius hic explicemus. Et vidimus jam eum in Hispania pro Poenis militasse: dum autem in eo est, pater ejus Gala mortem obiit: cujus regnum ad fratrem Regis *Oesalcem* nomine pervenit; eoque non diu post mortuo ad hujus filium majorem *Capusam:* qui in praelio adversus *Mezetulum* quendam, tutorem *Lacumacis* minoris Oesalcis filii se dicentem, cecidit. Masinissa interea reversus cum quingentis Numidis *Thapsum* urbem impetu capit: Lacumaces ad Syphacem aufugit. Inde Masinissa, cum plurimi Numidae ad eum confluxissent, Lacumacem cum tutore & Syphacis auxiliis vincit: & regno recuperato

a *Ibid. c.* 27. b *Ibid. c.* 29.

perato Lacumacem & Mezetulum promiſſis ad ſe allicit. Sed Syphax inſtigantibus Poenis bellum ei infert; eumque acie vincit: qui cum haud multis elapſus montem praedis agendis opportunum occupat. Inde a *Bocchare* Praefecto regio pulſus in valle arcta includitur [a]: unde cum quinquaginta haud amplius equitibus ſe eripuit. Verum mox iterum circumventus cum quatuor tantum equitibus, ipſe quoque ſaucius, evaſit. Sed ex his ipſis duo, dum amnem tranſeunt, gurgite rapiuntur: ipſe periiſſe creditus cum duobus reliquis inter virgulta emerſit. At ſtupenda hinc audacia, cum in ſpelunca vulnera curaſſet, regnum repetiit: atque in ipſo itinere, haud plus quadraginta equitibus collectis, tanto favore excipitur, ut intra paucos dies ad decem millia militum colligeret, & regnum reciperet. Sed iterum a Syphace filioque ejus *Vermina* victus cum ſexaginta equitibus ad minorem Syrtim pervenit: & ad Romanorum adventum vagando inter vicinas gentes tempus conſumpſit; quo adventu intellecto

a *Ibid.* c. 32.

cto mox se, ut dictum est, Scipioni adjunxit. Hujus equites jam alam equitum Carthaginiensium cum praefecto suo ceciderant a: & mox rursus Scipio cum Masinissa simul *Hannonem Hamilcaris* filium, quem iterum equitatui per novum delectum comparato praefecerant, segniter agentem ingenti clade afficit, ipso quoque duce caeso. Ita laetis initiis Scipio sedem opportunam belli querebat: & ad oppugnandam *Uticam* omnes belli vires convertit. Sed adventantibus cum magnis copiis Hasdrubale & Syphace post quadraginta ferme dierum obsidionem irrito incepto inde abscedere coactus est. Ita in hyberna concessit.

§. 53. *Res Italiae.* §. LIII. In Bruttiis P. Sempronius Consul tumultu verius, quam pugna victus *P. Licinium* Proconsulem cum exercitu accivit; & ferocem recenti victoria Hannibalem fudit b. Dum interea alter Consul *M. Cornelius* in Etruria ex Senatusconsulto quaestiostiones de iis, qui res novare studuerant, severiter habet: urbesque varias, qua vi, qua voluntate in deditionem recipit. §. LIV.

a *Ibid.* c. 29. & 34. b *Ibid.* c. 36.

§. LIV. Anno Urbis quingentesimo quinquagesimo, qui belli Punici erat decimus sextus, in Italia quidem nihil memoria dignum est gestum; praesertim cum Hannibal hoc anno domum revocaretur. Ergo omnis civitas in Africam & Scipionem erat versa [a]. Ad eum undique summa copia necessaria quaevis comportabantur. Scipio autem, dum in hybernis, est, cum Syphace de reconciliatione egit: &, licet primo conditiones, quas ferebat Syphax, (ut nempe, Romani Africa, Poeni Italia exirent) vix auribus admitteret; mox tamen hanc caussam probabilem suis commeandi in hostium castra libenter amplexus est: eaque ratione lignea ferme & straminea tota eorum castra esse accepit. Cum vero jam omnia probe nota sibi habere videretur, renunciato, *nullam aliam, quam relictis Carthaginiensibus, Syphaci pacis spem esse*, inducias tollit. Inde media nocte hostium castra invadit; & tam ea, in quibus Rex, quam altera, in quibus Poeni tendebant, ignibus conjectis incendit: atque ita tum igne, tum ferro, §. 54. Res A.U. 550.

a *Liv. L. XXX. c.* 3.

ferro, bina castra una clade delet: ita ut quadraginta millia hominum aut caesa, aut flammis hausta dicantur a. Oppida tria in deditionem accepta paratum hujus victoriae praemium fuere. Nec segniter tamen Syphax Poenique reparant bellum. Sed a Scipione, qui simul Uticae obsidionem non negligebat, facilius etiam quam prius sunt victi, cum maxima pars novus miles esset. Celtiberi tamen, qui mercede conducti Scipionem bene de se & de gente sua meritum ultro oppugnatum venerant, obstinate pugnantes moriebantur b. Inde Scipio *Tunetem* (quindecim millia ferme passuum Carthagine is locus aberat) relictum fuga custodum occupat, in ipsam jam Carthaginem intentus. Classis vero Poenorum interea Uticam petiit, ut eam obsidione liberaret c: sed industria potissimum Scipionis faciente ita accepti sunt, ut nihil aliud quam sex onerarias abstraherent. Major tamen quam pro re laetitia Poenis fuit: maxime cum apparuisset, haud procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum a praefectis foret.

a *Liv. Ibid. c. 6.* b *Ibid. c. 8.* c *Ibid. c. 10.*

ret. Syphax interea exercitu ingenti quidem, sed prope incondito parato Laelio & Masinissae obviam venit a: at praelio equestri commisso, cum fugam suorum sistere conaretur, capitur. Mox Masinissa ad *Cirtham* caput regni Syphacis missus Regem vinctum civibus suis ostendit: quo spectaculo partim pavore moenia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quaerentium patefactae portae. Intranti vestibulum victori *Sophonisba* uxor Syphacis Hasdrubalis Poeni filia occurrit, precibusque ita delinivit, ut non tantum, *Romanis se eam non traditurum esse*, promitteret; sed etiam, ut promissi fidem facilius praestare posset, eam eodem die nuptiis sibi junxerit, quo integrum non foret Laelio, aut Scipioni durius, velut in captivam, consulere. Syphax ad Scipionem perductus, *insanisse quidem se, cum arma adversus Populum Romanum cepisset*, fatebatur: *sed initium furoris fuisse*, addebat, *cum Carthaginiensem matronam domum accepisset*: *Nec cautiorem esse Masinissam, qui etiam stultius, atque*

que

a *Ibid. c. 12.*

que intemperantius eam quam se, dixerit. Scipioni magna super haec cura incenso Masinissa supervenit: quem egregiis laudibus frequenti Praetorio celebratum, mox in secretum abductum, admonet „ de omnibus, quae „ Syphacis fuissent Senatus Populi- „ que Romani judicium esse debere; „ proinde etiam conjugem ejus Ro- „ mam oportere mitti. „ Masinissa lacrymis obortis Scipionem oravit, „ ut, quantum res sineret, fidei suae „ temere obstrictae consuleret, pro- „ misisse enim, sese in nullius pote- „ statem eam traditurum. " Et ab colloquio digressus venenum mox Sophonisbae mittit; quod illa impavide hausit a. At Scipio, ut a praesenti motu animum Masinissae averteret, postridie pro concione *Regem* eum appellat, eximiisque laudibus & donis ornat: cum praeterea Rex in spem propinquam erigeretur, sublato Syphace, omnis Numidiae potiundae. Carthaginienses jam improsperis rebus perculsi solemnem de pace legationem ad Scipionem mittunt. His leges pacis Scipio dixit: *Captivos,* &

a *Ibid. c.* 15.

& perfugas, & fugitivos restituant: exercitus ex Italia & Gallia deducant: Hispania abstineant: insulis omnibus, quae inter Italiam atque Africam sunt, decedant: naves longas, praeter viginti, omnes tradant: tritici quingenta, hordei trecenta millia modium. Pecuniam praeterea alii *magnam*, alii *duplex stipendium* imperatum tradunt. Ad pacem his conditionibus petendam legati Romam sunt missi. Eo multis ante diebus advenerat cum Syphace, aliisque captivis Laelius [a]; legatosque Masinissae in Senatum introduxit. His responsum est, „ regium nomen a Scipione Masinissae datum „ a Senatu ipsi confirmari: " donaque, quae Regi ferrent, decreta. Poenorum vero legati nihil aliud petierunt [b], quam, „ ut in ea pace, „ quae postremo Consule Lutacio fa„cta esset, manere liceret. " Sed cum a senioribus, qui foederibus interfuerant, alia alii interrogarentur, nec meminisse per aetatem dicerent legati, in Laevini sententiam, qui, *speculatores, non legatos venisse*, arguebat, discessum; legatique prope sine

Ff respon-

a *Ibid. c.* 17. b *Ibid. c.* 22.

responso dimissi. Per induciarum autem tempus *Cn. Octavius* a Propraetor cum classe in Africam navigans tempestate in conspectum Carthaginis delatus est: & navium, nautarum fuga desertarum, magna pars Carthaginem puppibus tracta est. At Scipio legatos de violatis induciis questuros ad Poenos mittit: qui & in urbe concursu Populi prope violati: &, dum redeunt, a classe Hasdrubalis quinqueremem, ut incolumes evaderent, in terram immittere compulsi sunt. Legatos tamen Carthaginiensium, qui cum Laelio & *Fulvio* Roma supervenerant, illaesos dimisit Scipio. Haec eo anno in Africa gesta.

§. 55. Res Italiae. §. LV. In agro Insubrium Gallorum Mago Poenus a *P. Quintilio Varo* Praetore, & M. Cornelio Proconsule praelio, quod anceps elephanti fecerant, victus est b: & mox, cum legati a Carthagine primo quoque tempore in Africam trajicere jussissent, navibus conscensis, superata vixdum Sardinia ex vulnere moritur. In Bruttiis multi populi, senescere Punicum bellum cernentes, ad Romanos defecere:

a *Ibid. c. 24.* b *Liv. Ibid. c. 18.*

cere: & Consul Servilius quinque millia ex exercitu Hannibalis cecidit, si Valerio Antiati, ambiguae fidei scriptori, creditur. Ipse denique Hannibal a Senatu suo revocatus, Deos hominesque accusans, *quod obtrectatione & invidia Senatus Carthaginiensis, non a Populo Romano victus esset*, ex diutina possessione Italiae vix destractus est. Ob vacuam demum sexto decimo anno hostibus Italiam supplicationes decretae.

§. LVI. Anno Urbis quingentesimo quinquagesimo primo erexerant omnium animos Scipio & Hannibal velut ad supremum certamen comparati duces. Et Poenus quidem, tum aliis rebus, tum fiducia maxime Scipionis percellebatur [a]. Hic enim speculatores Hannibalis a custodibus exceptos per castra, qua vellent, circumduci, atque ita ad Hannibalem retro dimitti jussit. Ergo aequiora impetrari posse ratus, si integer, quam si victus peteret pacem, colloquium Scipionis expetiit. Ubi congressi sunt omnis ante se memoriae, omnium gentium maximi duces, paulisper alter

[§. 56. *Anni 551. res gestaa & belli Punici II. finis.*]

 alte-

a *Liv. Ibid. c. 29.*

alterius conſpectu, admiratione mutua prope attoniti conticuere. Inde pacis conditiones tulit Hannibal, Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam, quicquid inſularum toto inter Africam Italiamque continetur mari, Romanis cedens. Sed cum Scipio etiam aliquid ad ea, in quae antea conventura pax videbatur, adjiciendum cenſuiſſet, infecta pace ad ſuos ſe recipiunt. Poſtero die acie concurritur: & poſt ſatis pertinax praelium ſuperati ſunt Carthaginienſes [a]. Hannibal, quum *Adrumetum* confugiſſet, inde Carthaginem accitus rediit ſexto ac trigeſimo poſt anno, quam puer inde profectus erat: & faſſus eſt in curia, *non praelio modo ſe, ſed bello victum: nec ſpem ſalutis alibi, quam in pace impetranda eſſe.* Scipio terrorem indique perculſae Carthagini admovendum ratus Cn. Octavium terreſtri itinere eo legiones ducere jubet: ipſe claſſe ab Utica profectus portum Carthaginis petit: quod tamen deprimendi magis hoſtis cauſſa, quam noſcendi in praeſentia faciebat: atque adeo mox Uticam rediit; cum jam

a *Ibid. c.* 35.

jam legati cum infulis ramisque oleae auctore Hannibale pacis petendae caussa ad eum venissent; quos Tunetem ad responsum accipiendum venire jussit. Ibi, licet justa ira ob recencentem perfidiam ad delendam Carthaginem omnes stimularet, tamen, cum reputarent, quanta res obsidio tam validae urbis foret; cumque ipse Scipio vereretur, ne, si sibi successor mitteretur, penes eum finiti belli fama foret, ad pacem omnium animi sunt versi. Ergo conditiones pacis dictae, quarum praecipuae fuerunt, „ut „liberi suis legibus viverent Poeni; „finesque, quos ante bellum, tene„rent; perfugas fugitivos, capti„vos redderent; naves rostratatas, „praeter decem triremes, elephan„tosque traderent; bellum injussu „Populi Romani ne gererent; Ma„sinissae res redderent, foedusque „cum eo facerent; decem millia ta„lentum argenti: descripta pensio„nibus aequis, in annos quinquagin„ta persolverent. " Has conditiones quum in concione edidissent legati, *Gisgo* quidem pacem dissuasit;

 Hanni-

a *Liv. Ibid*, *c*. 37.

Hannibal vero indigne intempestivam adeo orationem ferens, Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit [a]. Fremitu inde populi orto, factum excusavit, quod per diuturnam absentiam morum urbanorum imprudens esset. Ita rursus legati Romam missi sunt: ubi jam ad nuncium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat: sed horum adventu finem tandem lugubri bello impositum constitit [b]. Hasdrubal princeps legationis Punicae, qui pacis semper auctor fuerat, cum reliquis legatis in Senatum introductus modesta oratione, collegae ejus etiam miserabili Senatum flexere [c]: licet unus Senatorum infestus perfidiae Carthaginiensium succlamasse feratur, *per quos Deos faedus ituri essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent?* cui responderit Hasdrubal, *per eosdem, qui tam infesti essent foedere violantibus.* Ita inclinatis ad pacem animis, cum etiam Populus eam jussisset, Senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem cum Popu-

a *Polyb. L. XV. c.* 17. b *Liv. d, l. c.* 40.
c *Ibid. c.* 42.

Populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Atque ita, quibus ante dictum est, legibus pax est facta septimo decimo anno, quam initum bellum esset [a]. Scipio triumpho omnium clarissimo Urbem invectus est [b]: & *Africani* cognomine, *A.U.* 552. sive militari favore, sive populari aura, primus Imperator nomine victae a se gentis nobilitatus. *Magnum* etiam proprio cognomine fuisse probat Doctiss. Perizon. Animadv. Hist. c. 1. Syphacem cum aliis captivis ante currum triumphantis ductum, Polybius [c] auctor est, eumque post aliquod tempus in custodia obiisse; Livius Tibure haud multo ante mortuum dicit; & publico funere fuisse elatum. Secutus est Scipionis currum pileo capiti imposito *Q. Terentius Culleo* Senator, quem captivitate liberaverat [d]. Hic male ab Orosio cum *Terentio* comoediarum scriptore confunditur: cum hic anno demum Urbis quingentesimo sexagesimo natus

 sit

a *Ibid. c.* 44. b *Vid. Vaillant. de fam. R. gente Cornelia n.* 12. c *L. XVI. c.* 12. d *Liv. d.l. c.* 43. *&* *L. XXVIII. c.* 55. *sq.*

ſit a. Inuſitatos pro hac victoria honores Populus Scipioni decernere voluit: perpetuum Conſulatum & Dictaturam: ſtatuas iu comitio, in roſtris, in curia, in Capitolio, in cella Jovis: utque imago ejus triumphali ornatu e templo Jovis Optimi Maximi exiret. Sed omnes prohibuit Scipio b, modeſtiae exemplo memorando in tanta felicitate. Quam tamen felicitatem ipſi perpetuam non fuiſſe in ſequentibus videbimns.

CAPUT SECUNDUM.

Bellum Macedonicum primum cum Philippo Rege.

§. 1. *Origo belli Macedonici.*

§. 1. Vidimus jam capite praecedente §. 22. Philippum Macedoniae Regem (qui *Demetrii* filius, *Antigoni Gonatae* Nepos, *Demetrii Poliorcetae* Pronepos, *Antigoni* Aſiae, poſt Alexandrum magnum, Regis Anepos fuit) cum Hannibale foedus aduerſus Romanos feciſſe; & §. 26. bellum jam ab eo contra Romanos fuiſſe

a *Vid. Tanaq. Fxbri epiſt. II. n.* 10. b *Vá Max. L. IV. c.* 1. *ex.* 6.

fuisse motum. Et §. 33. diximus, Romanos etiam cum Aetolis foedus adversus Regem pepigisse: imo §. 40. & 44, narravimus. bellum jam cum eo fuisse gestum; sed pacem cum eo fuisse factam §. 50. adjunximus. At cum jam bellum cum Carthaginiensibus esset confectum, legati Philippi Romam venerunt [a], partim purgantes, quae Romani de populatione sociorum questi fuerant [b]; partim ultro accusantes, & socios Populi Romani, & multo infestius *M. Aurelium*, qui cum duobus aliis legatis ad Regem missus fuerat [c], ut qui bello Regem lacessivisset; partim denique postulantes, ut Macedones & Dux eorum *Sopater*, qui apud Hannibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Sed, cum *M. Furius* ex Macedonia ad id ipsum missus, „ nihil aliud egisse Au-„ relium, quam ne impune in socio-„ rum agros transcenderent popula-„ tores; & Sopatrum mandatu regio „ Hannibali auxilio missum fuisse, " retulisset, responsum est legatis, *Bel-*

 lum

a *Liv. L. XXX. c.* 40. b *Ibid. c.* 43.
c *Ibid. c.* 26.

lum quaerere Regem; &, si pergat propediem inventurum; &, quod socios Populi Romani injurias fecerit; &, quod hostes auxilio & pecunia juverit; gratumque facere M. Aurelium, quod socios Populi Romani armis tueatur. Sub idem fere tempus, & ab Attalo Rege [a], & Rhodiis legati venerunt nunciantes, Asiae quoque civitates sollicitari. Athenienses praeterea etiam auxilium contra Philippum petierunt [b]. Sed vera belli caussa Romanis fuit, quod metuerent, ne Graecis subactis bellum, Pyrrhi exemplo, Philippus in Italiam transferret [c]: quae an justa caussa belli suscipiendi sit, aliorum esto judicium [d]. Cum ergo Patres bellum cum Philippo gerendum esse decreuissent, *P. Sulpicius* Consul ex Senatusconsulto legem ad Populum tulit [e], *Vellent, juberent, Philippo Regi ob injurias illatas sociis Populi Romani bellum indici.* Sed ab omnibus ferme centuriis ea rogatio antiquata est; tum quod bello fessi essent homines, tum, quod *Q. Baebius*

a *Liv. L. XXXI. c. 2.* b *Ibid. c. 14.* c *Vid. Zonar. T. II.* d *Vid. Grot, de I. B. P. L. II. c. 22.* e *Liv. Ibid. c. 6.*

bius Tribunus plebis, *bella ex bellis a Patribus seri* criminaretur, *ne pace unquam frui plebs posset*. Ergo Consul comitia de integro habuit; & cum luculenta prius oratione bellum suasisset, omnes centuriae, *Uti rogarat*, bellum jusserunt [a]. Ut vero querelae privatorum, qui pecuniam Reipublicae ante annos quindecim [b], & iterum ante annos decem [c] Reipublicae mutuam dederant, tollerentur, Senatus decrevit [d], *ut agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret*. Inde Sulpicius, cui bellum cum Philippo evenerat, in Macedoniam trajecit: & statim *C. Claudium Centonem* Atheniensibus auxilio misit. Hi a Philippi ducibus obsidebantur, quod duos juvenes Acarnanes, qui imprudentes, cum non essent initiati, sacris *Cereris* interfuerant, occidissent. Attalus contra, immodicis honoribus ab Atheniensibus exceptus [e] amicitiam cum iis firmavit: & foederi isti etiam Rhodii accesserunt; ita ut hi belli confecti gloriam habere potuissent,

a *Liv. L. XXXI. c.* 8. b *Vid. Liv. L. XXIII. c.* 49. c *Id. L. XVI. c.* 36. d *Id. L. XXXI. c.* 13. e *Ibid. c.* 15.

ſent, ſi ſtatim inſtitiſſent Philippo per eorum cunctationem vires colligenti. Verum hoc negligentes eam gloriam Romanis conceſſerunt. At Philippus tot hoſtibus imminentibus nihil territus plurima Thraciae loca occupat. *Abydi* vero cives, cum nullas aequas conditiones a Philippo impetrare potuiſſent, exitu Saguntinorum ſimili perire ſtatuerunt a. Sed, cum poſt pertinaciſſimam pugnam paucos ex juventute ſupereſſe cernerent, *Abydenorum* Principes, ſacerdotes cum infulis ad urbem dedendam Philippo mittunt: apud quem etiam interea *M. Aemilius* legatus Romanorum fruſtra pro Abydenis interceſſerat. Verum, dum de his agitur, tanta rabies Abydenorum multitudinem invaſit, ut ſe proditos a ſacerdotibus eſſe rati, conjuges, liberos, ſeque ipſos interficerent. Romani contra duce Claudio Chalcidem Euboeae caput, exſulibus quibuſdam cuſtodiam ejus urbis negligi indicantibus, ceperunt, idoneâ quoque praeda potiti. Et, ſi tantum militum Romanis fuiſſet b, ut & Chal-

a *Ibid. c.* 17. *Polyb. L. XVI. c.* 16. b *Liv. Ibid. c.* 23.

Chalcis teneri, & non deseri praesidium *Athenarum* potuisset, magna res principio statim belli, Chalcis & *Euripus* adempta Regi forent: qui Athenas inde & *Eleusinem* frustra tentavit; *Achaeos* etiam incassum ad integrandum bellum hortatus [a]. Ergo ira incensus, cum etiam nequicquam iterato Athenas oppugnasset, in Boeotiam recessit. Consul Sulpicius interea per *L. Apustium* legatum *Antipatriam* Macedoniae urbem, & alia in potestatem redigit: & cum *Pleurato* Illyrico, *Amynandro Athamanum* Rege, *Dardanis*que foedus jungit. Nec Philippus segnius, tum ipse, tum per filium *Persea* bellum apparabat: sed ab Consule non parabatur, sed gerebatur jam in ipsa Macedonia bellum [b]: & multi vici, oppidaque, partim voluntate, partim metu in potestatem redigebantur. Ac velitationibus etiam plerumque superior Romanus erat: imo tandem, cum paulo majoribus copiis concurrissent, fugientibus Macedonibus parum abfuit, quin ipse Rex equo delapsus opprimeretur [c]. Saluti fuit eques, qui equum suum Regi

a *Ibid. c.* 25. b *Ibid. c.* 33. c *Ibid. c.* 37.

Regi tradidit; ipse ab hostibus urgentibus confossus periit. Cum vero fama esset Pleuratum Dardanosque jam in Macedoniam transcendisse, misso ad Consulem caduceatore, qui inducias ad sepeliendos caesos peteret, noctu, silente agmine abiit. Consul confestim eum est insecutus, multisque locis vastatis & captis Apolloniam Illyrici urbem, unde orsus bellum erat, copias reduxit [a]. His successibus Aetoli, qui paulo ante Macedonum, Romanorumque legatos dubio responso dimiserant [b], Romanis restituti sunt [c]: sed cum opimos Thessaliae campos effusi popularentur, a Philippo caesi, & in Aetoliam refugere sunt coacti: atque ita, cum Dardanos quoque repressisset Philippus, damna a Romanis accepta restituit [d]. Classis Romana & Attali interea varias urbes & insulas diripuit: Oreum vero validam Euboeae urbem, multis operibus oppugnatam Romani simul & Attalus cepere: atque ita finita aestate utrimque in hyberna concessum est [e].

§. II. Eo-

a *Ibid.* c. 40. b *Ibid.* c. 32. c *Ibid.* c. 41.
d *Ibid.* c. 43. e *Ibid.* c. 47.

§. II. Eodem anno varii Gallorum Populi Placentia direpta Gremonam obsidebant duce Hamilcare, qui de Hasdrubalis exercitu in iis locis substiterat [a]. Super qua re cum legati Romanorum ad Carthaginiensium Senatum querelas detulissent, responsum est, „ Nihil ultra facere posse „ Carthaginienses, quam ut exilio „ mulctarent Hamilcarem bonaque „ ejus publicarent. " [b] At L. Furius Purpureo Praeter ingenti Gallos strage caecidit; ipso etiam Hamilcare in praelio interfecto [c]. Et licet Consul *C. Aurelius* ad confectum bellum in provinciam cum venisset, iram adversus Praetorem haud clam tulerat, huic tamen Romam reverso triumphus a frequenti Senatu decretus est: cujus gloriae ambitione perlectus, ut videtur, *Cn. Baebius Tamphilus* [d], qui Praetor anno sequente Galliam provinciam acceperat, temere ingressus Gallorum Insubrium fines prope cum toto exercitu est circumventus. L. Lentulus ejus anni Consul cum multis probris increpitum Romam abire jussit:

§. *Bellum Gallicum.*

a *Liv. L. XXXI. c.* 10. b *Ibid. c.* 47.
c *Ibid. c.* 21. d *Id. L. XXXII. c.* 7.

ſit: neque ipſe tamen memorabile quicquam geſſit.

§. 3. *Res Hiſpaniae.* §. III. Etiam in Hiſpania a Proconſule *C. Cornelio Cethego* magnus Hiſpanorum hoſtium exercitus fuſus eſt a.

§. 4. *Belli cum Philippo continuatio.* §. IV. Anno Urbis quingenteſimo quinquageſimo quarto *P. Villius Tappulus* Conſul in Macedoniam profectus

A. U. 554. ſeditionem militum veteranorum compoſuit, qui finem tandem militandi ſibi fieri petebant, quando labore ac vulneribus jam eſſent confecti b, de miſſione eorum ad Senatum ſcripturum ſe eſſe pollicitus. Sed antequam ipſe Conſul aliquid memoria dignum efficere potuerat, ſucceſſor ejus jam in Corcyram inſulam adveniſſe nunciabatur c.

A. U. 555. Erat hic *T. Quinctius Flamininus*, qui ex quaeſtura Conſulatum petens obtinuerat, nequicquam impedire conatis Tribunis plebis. Et nondum triginta annos natum Conſulem fuiſſe factum dicit Plutarchus d: nec diſſentit Livius e, cum triginta ferme & trium annorum fuiſſe ſcribit, quando tertio poſt anno Philippo Rege debellato

a *Id. L. XXXI. c.* 49. c *Liv. L. XXXII. c.* 3. c *Ibid. c.* 6. d *in ejus vitae init.* e *L. XXXIII. c.* 33.

bellato libertatem Graeciae promulgaret. Huic maturius [a], quam priores soliti erant Consules, quum in Macedoniam transmisisset [b], placuit quamprimum Regem aggredi, ne, ut antea, dum Rex se difficultate locorum tuetur, sine ullo effectu aestas extraheretur. Sed quadraginta dies abiere, dum quomodo id fieret non satis expediebat. Interea Epirotae frustra, rogante Philippo, pacem componere tentarunt; cum durae nimis Philippo conditiones a Consule propositae viderentur. Itaque abrupto colloquio ductu pastoris quatuor millia peditum, & trecentos equites mittit [c], qui supra caput hostium montium anfractus occuparent: cumque tertio die verticem, quem petierant, tenere se fumo significassent, ipse castra regia adoritur; & suis e summis jugis decurrentibus Regem castris, quae ad *Aoum* fluvium erant exuit. Rex, cum Thessaliam se diutius tenere non posse sensisset, variis ejus oppidis evastatis in Macedoniam transcendit: reliqua fere Thessaliae a

a *Plut. Ibid. p.m.* 370. b *Liv. L. XXXII. c.* 9. c *Ibid. c.* 11. *Plut. d. l.*

Romanis, Aetolis & Acarnanibus expugnantur, diripiunturque, ut Livius narrat [a]. Plutarchus vero a direptione prohibuisse suos Consulem dicit; eaque moderatione motas Thessaliae urbes ad eum defecisse. Mari quoque *L. Quinctius* frater Consulis cum Attalo Rege & Rhodiis simul junctis copiis [b] *Eretriam*, vetustam, amplam & probe munitam Euboeae urbem summa vi oppugnatam, dum cum Attalo Rege de pace agentes segnius munia belli obeunt incolae, expugnat: ut & *Carystum* aliam ex validis Euboeae urbibus. Sed *Atracem* urbem (nam, *longiorem Atrax oppugnationem habuit* cum *Jo Fr. Gronovio* apud *Liv. L. XXXII. c.* 17. ex *c.* 15. *praecedenti* legendum videtur pro, *longe atrociorem o. h.*) post longam oppugnationem Consul relinquere coactus est [c]: & in *Phocidem* conversus ejus regionis loca quaedam cepit; ac in iis praecipuam Anticyram ad commodum hybernandi usum. Hinc Consul, ut Achaeos sibi foedere adjungeret; legatis missis pollicitus est, „ si ab Rege „ ad

a *Ibid. c.* 13. *sqq.* b *Liv. Ibid. c.* 16.
c *Ibid. c.* 17. *& sq.*

„ ad Romanos defeciſſent, Corin„ thum iis in antiquum gentis con„ cilium contributurum." Idque poſt multas in concilio Achaeorum altercationes obtinuit [a], Dymaeis tamen, *Megalopolitanis* & *Argivis* privatis ex cauſſis ſocietatem Romanam aſpernantibus. Et L. quidem Quinctius cum Attalo Achaeorumque auxiliis Corinthum magno opere oppugnavit: ſed, cum praeſidium a Philippo accepiſſent Corinthii, oppugnationem omiſit. Et Argivorum civitas per quoſdam principes regio praefecto prodita: ubi, qui Achaeorum urbi nuper impoſito praeſidio praeerat, *Aeneſidemus*, cum incolumitatem Achaeis ſuis pactus eſſet, cum paucis clientibus interfici voluit [b]. At Conſul interim *Elatiam* in Phocide capit: nec ultra memorabile quid in Graecia hoc anno geſtum eſt.

§. V. In Italia magna vis ſervorum, quae cum obſidibus Carthaginienſium, ut principum liberis, erat, ſimul cum aliis mancipiis Afris diuturno hoc bello captis conjurationem fecit [c], *§. 5. Res Italiae.*

 miſſis

a *Ib. c.* 23. b *Ib. c.* 25. c *Liv. L. XXXII. c.* 26.

missis etiam qui aliis locis servitia concitarent. Sed, cum duo servi eam conjurationem *L. Cornelio Merulae* Praetori Urbano aperuissent, hic jussu Senatus ad eam conjurationem quaerendam atque opprimendam profectus *Setiam* de plurimis supplicium sumpsit.

§. 6. *Res Graeciae A.U.* 556.

§. VI. Anno Urbis quingentesimo quinquagesimo sexto cum Consules Italiam Macedoniamque sortiri pararent, intercedentibns Tribunis plebis, quia Quinctium a bello, quod proxima aestate perfecturus videbatur [a], avocari e Republica non esse censebant, Senatus T. Quinctio imperium prorogavit, donec successor ei venisset: quod jam antea a Senatu per literas petiisse Quinctium dicit Plutarchus [b], quas cum legatis Philippi in Senatu de pace coram acturis miserat [c]: illudque amicis propinquisque summa vi ut tenderent mandasse addit Livius [d]. Quinctio certe liberum arbitrium pacis ac belli permissum; cum legati regii, quod de Demetriade, Chalcide, Corintho (quae

a *Ibid. c.* 28. b *vita Quinctii p. m.* 372. *C.*
c *Ibid. c.* 36. *sq.* c *Ibid. c.* 32.

(quae loca si Rex teneret libera Graecia esse non poterat [a]) nominatim quicquam sibi mandatum negassent, infecta pace essent dimissi. Nam petierat Philippus, ut cum T. Quinctio colloqui liceret: idque praesentibus Romanorum sociis factum erat [b]: sed cum sociis praesertim conditiones a Philippo latae minus placuissent, hoc tamen impetraverat, ut legatos, quos diximus, ad Romanos mittere liceret: sed ea lege, ut Phocide ac *Locride* continuo praesidia deduceret [c]. Itaque Philippus ex responso legatis dato cum acie decernendum videret [d], Argos *Nabidi* Lacedaemoniorum tyranno, ut ejus amicitiam sibi conciliaret, per *Philoclem*, qui Argis & Corintho praeerat, tradi ipsis Argivis invitis fecit. Sed ejus beneficii immemor tyrannus mittit ad Quinctium & Attalum, qui nunciarent, „ Argos in sua potestate esse; eo „ si veniret Quinctius ad colloquium „ non diffidere sibi omnia cum eo „ conventura. " Et sane Quinctius cum Attalo eo profectus persuasit ty-

 ranno,

a *Polyb. L. XVII. c.* 11. b *Polyb. L. XVII. c.* 1. c *Ibid. c.* 10. d *Liv. d. l. c.* 38.

ranno, ut auxilia adversus Philippum mitteret, & cum Achaeis inducias faceret [a]: ut Argis praesidium deduceret persuaderi non potuit: sed potius, cum ipse viros spoliasset, uxorem ad feminas spoliandas Argos remisit. At Quinctius cum Attalo Rege, quum *Thebas*, *Boeotiae* caput, incautis & nihil tale exspectantibus civibus intrasset [b], societatem Romanam amplecti Thebanos coëgit. Sed Attalus, cum primus in Boeotorum concilio verba faceret, parte membrorum captus subito obmutuit [c], & concidit: & aeger inde *Pergamum* advectus haud multo post mortem obiit [d]. Quinctius porro omnibus jam a tergo tutis pacatisque omnes cogitationes in Philippum; &, quod reliquum belli erat convertit: nec minus Philippus, suppleto jam exercitu, defungi quamprimum certamine cupiebat. Itaque relictis locis impeditis in Thessaliae patentes campos contendunt [e]: atque ibi ad tumulos, qui *Cynoscephalae* (*canis capita*) a figurae quadam similitudine vocantur, praelio

a *Ibid.* c. 39. b *Plut. loco prox. d.* c *Id. L. XXXIII.* c. 2. d *Ibid.* c. 21. *Ibid.* c. 6.

lio concurrerunt. Eo praelio victus Rex effuso cursu *Tempe* petiit [a]: & mox missis *Larissam* ad commentarios regios comburendos in Macedoniam cessit.

§. VII. Inde porro statim misso caduceatore veniam legatis mittendis a Quinctio petiit. Nec difficulter impetravit; cum etiam Romanus, *bono animo esse Regem*, juberet. Aegre hoc ferebant Aetoli; & querebantur, „ Imperatorem victoria mutatum suo „ arbitrio cuncta agere: & solis Ro„ manis pacis gratiam & fructum „ quaerere. " Et faciebat multa sedulo Quinctius, ut leviores vilioresque apud omnes essent & viderentur; quod insatiabili aviditate praedae, arrogantia & vanitate laborantes cerneret; sublatoque Philippo dominos Graeciae esse habendos. Ergo ad colloquium admissus Rex [b] imperata priore colloquio a Romanis, aut postulata a sociis concessit: de ceteris Senatui permisit: & convenit praeterea cum eo, ut *Demetrium* filium, & quosdam ex amicorum numero obsides & ducenta talenta da-

§. 7. De pace cum Philippo facta.

Florenorum 360000.

a *Ibid. c.* 10. b *Ibid. c.* 13.

daret. Easque conditiones facilius concessit Quinctius a, quod *Antiochum* Syriae Regem bellum transitumque in Europam moliri constabat b. In Senatu haud multa verba facta sunt c, quum Macedones, *quaecunque Senatus censuisset, id Regem facturum esse* dicerent. Igitur reversis in Graeciam legatis pax ex decem legatorum sententia Philippo data; cujus praecipuae leges fuerunt d, *ut omnes Graecorum in Europa & Asia civitates libertatem & suas leges haberent; captivos, transfugasque redderet Philippus; naves omnes tectas traderet; ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum; bellum extra Macedoniae fines injussu Senatus ne gereret; mille talentum Populo Romano daret.* In *Acrocorintho* tantum, Chalcide & Demetriade praesidium Romanum esse placuit, donec cura de Antiocho decessisset. Sed cum Aetoli ita catenatam restare Graeciam criminarentur, pervicit apud Concilium ut praesidia ex his quoque urbibus deducerentur

a *Ibid. c.* 24. *Polyb. excerpt. legat. p.* 1101. *edit. Jac. Gronov.* b *Liv. d. l. c.* 31. *sq.* c *Ibid. c.* 30. *Polyb. p.* 1105.

tu [a]. Agebantur forte eo tempore *Isthmia* celeberrimo omnium undique Graecorum conventu: in eo conventu, cum praeco „ libertatem omnibus gen„ tibus, quae sub Philippo fuerant, a „ Senatu Populoque Romano dari " pronunciasset, majus gaudium quam quod universum homines caperent [b]. Itaque praecone saepius revocato, cum vix auribus, vix oculis suis crederent homines, tantum cum clamore plausus est ortus, ut facile appareret, *nihil omnium bonorum multitudini gratius quam libertatem esse.* Addit Plutarchus [c], & idem fere tradit Valerius Maximus [d], (atque ille quidem caussas naturales ejus rei reddere conatur) corvos forte supervolantes vi istius clamoris in terram decidisse; cujus rei fides sit penes auctores. At minime Aetoli his pacis conditionibus erant contenti [e]: licet Quinctius ostenderet, „ eos jam societatem foe„ deris solvisse, quo tempore relictis „ Ro-

a *Plut. vita Quinctii p. m.* 374. b *Polyb. exc. leg. p. m.* 1109. c *vita Quinctii p.* 375. d *L. IV. c.* 8. *ex.* 5. e *Polyb. exc. legat. p. m.* 1101. *Liv. L. XXXIII. c.* 31. & *L. XXXIV. c.* 23.

„ Romanis cum Philippo pacem fe-
„ cerant." Et porro monuit eos,
„ ut fideliter in amicitia Populi Ro-
„ mani permanerent; legatos tamen
„ si vellent Romam mittere, omnia
„ aequa impetraturos eos esse asse-
„ rens b.

§. 8. *Boeotorum res.* §. VIII. Boeotis etiam à Quinctio pax data fuerat c; licet aperte Philippi partes fovissent. Cum enim petentibus Boeotis eos, qui suae gentis apud Philippum militaverant, restituisset, ut, suspecto jam Antiocho eorum favorem Romanis conciliaret, non Consuli, sed Regi pro redditis hominibus gratias egerunt: & comitiis proximis *Brachyllam* quendam *Boeotarchem* fecerunt, (summus, ut nomen indicat, hic erat gentis Magistratus, sicut *Magnetum Magnetarchem* videmus apud Livium *L. XXXV. c.* 31. & Aetolorum *Aetolarchem* apud *Phlegontem Trallianum de rebus mirabilibus c.* 2.) nullam aliam ob caussam, quam quod Praefectus Boeotorum apud Regem militantium fuisset, praeteritis iis, qui Romanae societatis auctores fuerant. Ex his unus *Zeuxippus* cum

a *Ibid. c.* 35. b *Ibid. c.* 39.

cum *Pisistrato* aliisque Brachyllam obtruncat, conscio, imo hortatore facinoris Proconsule Romano [a]: unde ad execrabile odium Romanorum efferati Boeoti multos eorum per insidias interficiunt; cum etiam praedae aviditate allicerentur. Cum ergo justo pioque bello eos jam persequeretur Quinctius, deprecantibus tamen pacem concessit, ea lege, ut noxios traderent; & mulctae nomine triginta talenta conferrent.

§. IX. Antequam autem Graeciam relinquamus, adjungendum est bellum, quod cum Nabide Lacedaemoniorum tyranno gestum est. Hic antea quidem socius Romanorum fuerat [b]; sed cum occupatis Argis ferocius ageret [c], Senatus bellum adversus eum decrevit [d], cum etiam libertatem, quam Senatus Graeciae decreverat, turbaturus videretur [e]. Ergo etiam omnes sociae in Graecia civitates exceptis Aetolis bellum adversus Nabidem decernunt: & statim Quin-

§. 9. Bellum cum Nabide Lacedaemoniorum tyranno, & Graeciae res compositae.

a *Polyb. d. l. p.* 1104. b *Liv. L. XXIX. c.* 12. *Vid. eund. L. XXXI. c.* 25. *Plut. Quinct. p.* 376. c *Liv. Liv. L. XXXIII. c.* 44. d *V. eund. L. XXXIV. c.* 22. e *Plut. d. l.*

Quinctius Lacedaemonem exercitum duxit; licet omnes fere Graeciae principes ab Argis, quae caussa belli esset, illud potissimum ordiendum censerent [a]. A Philippo etiam auxilia Quinctio venerunt: & naves a Rhodiis & *Eumene* Rege, qui Attalo patri successerat [b]; praeter classem Romanam, cui frater Quinctii Lucius praeerat; permulti denique exsules, ex quo tyranni tenebant Lacedaemonem, pulsi. Nec tamen Tyrannus bellum omisit, licet tot hostibus premeretur: &, ut etiam domi tutus esset, eis, quos suspectos habebat, edicit, „ se eos in custodia habiturum, „ donec ea, quae instaret tempestas „ praeteriisset. " Illi in custodiam se tradi patiuntur. Sed nocte insequente Tyrannus eos (octoginta ferme erant) interficit. *Ilotas* quoque, agreste genus, transfugii insimulatos necat. Ita paratus eruptione in hostes suos pugnat [c]: sed intra urbem compulsus, cum etiam *Gythium* navale Lacedaemoniorum, & validam eo tempore urbem, traditum Romanis audi-

a *Ibid.* c. 26. b *Id.* L. XXXIII. c. 30.
c *Ibid.* c. 28.

audivisset, impetrato colloquio ad Quinctium venit: verum contra tendentibus sociis nihil ulterius impetrat. Qninctius vero, cui tacita cura suberat, ne successori inchoati belli victoria tradenda esset [a], ostendendo, quam lenta & difficilis res obsidio Lacedaemonis futura esset, pervicit, ut pax tyranno daretur [b]: cujus praecipuae leges fuerunt, „ ut Argis Ar-
„ givorumque oppidis praesidia dedu-
„ cerentur: navem nullam, praeter
„ duos lembos, qui non plus quam
„ sexdecim remis agerentur, habe-
„ ret: perfugas, captivos redderet:
„ *Messeniis*, quae erepta erant, ex-
„ sulibus liberi & conjuges restitue-
„ rentur: in *Creta* Insula ne quam
„ urbem haberet: societatem cum ne-
„ mine institueret, aut bellum gere-
„ ret: oppidum nullum, castellum-
„ ve conderet: talenta centum ar-
„ genti in praesenti, quinquaginta
„ in singulos annos per annos octo
„ daret. " Sed nequaquam hae conditiones Nabidi iisque, qui cum eo erant, placuerunt: imo mox Romanos, cum urbem jam fere cepissent,

aedi-

a *Ibid.* c. 33. b *Ibid.* c. 35.

aedificiis, quae muro proxima erant, incensis recedere coëgerunt. Tamen, cum rei exitum tyrannus nullum videret, legatos misit; & pacem conditionibus, quae paucis ante diebus editae erant, impetravit [a]. Argivi tamen, dum Tyrannus oppugnatur, praesidium ejus expulerunt; & in commune Achajae concilium restituti sunt. Anno etiam sequente Quinctius multa Philippi, aut legatorum ejus licentia corrupta restituit [b]: atque ita tota Graecia liberata, (nam Nabidi vires ad nocendum ademptae erant) captivisque plurimis, quos Hannibal in Graeciam missos vendiderat, receptis Romam reversus splendidissimum triumphum egit [c].

§. 10. *Bellum cum Gallis & Hispanis.*

§. X. Dum haec in Graecia geruntur in Gallia etiam & Hispania bellatum fuit: & anno quidem quingentesimo quinquagesimo sexto utrique Consuli Italia provincia decreta est [d]. Eo anno ergo *Minucius* Consul Ligurum civitates plerasque in deditionem accepit: Ti. Sempronius Longus vero, cum Cenomanos non publi-

co

a *Ibid.* c. 40. b *Ibid.* c. 48. c *Ibid.* c. 52.
d *Ibid.* L. XXXII. c. 28.

co consilio se Insubribus junxisse intellexisset, impetravit, ut in acie aut quiescerent; aut etiam, si qua occasio fuisset, Romanos adjuvarent: atque ita facile Insubres in medio sunt caesi; capto etiam Hamilcare Poenorum Imperatore, qui belli caussa fuerat. *Ligustini Iluates* his rebus auditis Minucio se tradiderunt a. Anno sequente *Marcellus* b Consul satis magna clade a Bojis Gallis affectus est. Sed cum gens taedii impatiens in vicos suos dilapsa esset, trajecto Pado ingenti strage Gallos perculit, *Como* etiam oppido intra paucos dies capto: & paulo post cum collega L. Furio Purpureone copiis junctis ita pugnavit, ut vix nuncius cladis hosti relinqueretur: licet etiam *Valerius Flaccus* Consul anno sequente cum Bojis feliciter pugnasse dicatur c.

In Hispania ulteriore A. U. 556. ingens bellum coortum fuerat d, cum Hispani tum primum suo nomine, nullo Punico exercitu, aut duce ad arma ivissent e: & exitu anni *C. Sem-*

a *Ibid.* c. 31. b *Id. L. XXXIII.* c. 36.
c *Liv. L. XXXIV.* c. 22. d *Liv. Ibid.* c. 21.
e *Ibid.* c. 26.

Sempronius Tuditanus Proconsul ex vulnere ibi obiit [a]; quod in praelio, quo exercitus ejus fusus erat, accepe-
A. U. 558. rat. Igitur Anno Urbis quingentesimo quinquagesimo octavo M. Porcius Cato Consul cum classe & exercitu in Hispaniam profectus (cum prius oratione habita enixe suasisset [b], ne lex *Oppia*, qua mulierum luxus reprimebatur, abrogaretur: quod tamen contra tendentibus duobus Tribunis plebis obtinere non potuit [c]) in Hispaniam igitur profectus, urendo vastandoque agros hostium, omnia fuga & terrore complet [d]. Interim etiam omne, quod supererat tempus, exercendis militibus consumit. Dum in eo est Consul legati Illergetum ad eum venerunt opem adversus hostes suos orantes. At, cum ob imminentes ex propinquo hostes dividere exercitum non auderet Cato, spem pro re sociis ostentat [e]; praesentibusque legatis tertiam partem militum, tanquam statim profecturam, in naves imponit; ita ut auxilii adventantis fama & suos & hostes legati implerent. Sed iis

a *c.* 25. b *Id. L. XXXIV. c.* 1. c *Ibid. c.* 8. d *Ibid. c.* 9. *f.* e *Ibid. c.* 12.

iis profectis milites ex navibus revocat: cumque jam satis & corpora & animos suorum firmasse videretur, circumducto exercitu procul navibus suis castrisque, ubi spem nisi in victoria non haberent, pugna, sed difficili, hostes vicit [a]. Eaque res, & simul populatio agrorum *Emporitanos*, multosque alios, ut civitates suas Romanis dederent, compulit. *Bergistanos* iteratae defectionis reos sub corona vendidit. Inde auctis adjunctione veterum exercituum copiis Turdetanos vicit quidem, sed non subegit: omnibus tamen cis Iberum Hispanis, ut occasionem rebellandi adimeret, arma abstulit; plurimarumque urbium muros diruit, summa vi animi & ingenii, (quae sane maxima in hoc viro fuit) parsimonia praeterea, vigiliis, labore omnia exsequens. Turdetanos tamen, ut dictum, Celtiberosque perdomare non potuit [b]. Et horum quidem auxilia evocaverat, cum paulo post quam provinciam esset ingressus ingruentibus barbaris periculum esset, ne opprimeretur [c]. Cum hi

a *Ibid. c.* 16. b *Ibid. c.* 19. c *Plut. Cat. maj. p. m.* 341.

hi vero ducenta talenta mercedis loco poscerent, & indignum hoc aliis videretur, *nihil grave esse*, dixit Cato: *quippe, si vicisset, soluturum ab hostibus, non a se: si victus foret, nullos fore, qui exigerent, nullos, a quibus exigeretur.* Ea pugna ergo fugatis hostibus plurimas urbes (quadringentas dicit Plutarchus) cepit; summa abstinentia praedam ex iis redactam tractans. Sed mox provinciam Scipioni, cum quo simultates exercebat, tradere coactus cum parvis copiis, a quibus deducebatur, partem Lacetanorum subegit; oppidumque eorum stratagemate cepit [a]. Ab una enim parte auxilia Suessetanorum oppugnare moenia jubet: & cum in eos, quos saepe vicissent, contemptim erumperent Lacetani, ipse cum delectis cohortibus urbem fere vacuam occupavit. Pacata provincia vectigalia magna ex ferrariis argentariisque instituit; quibus locupletior indies provincia fuit. Atque inde ad triumphum Romam digressus est [b]. Quod autem de provincia Scipioni

a *Liv. L. XXXIV. c. 21. Frontin. Strat. L. III. c. 10. n. 1.* b *Liv. Ibid. c. 46.*

pioni a Catone tradita diximus Plutarchi fide nititur: sed qui, cum attentius rem consideramus, humani aliquid hic passus fuisse videtur: nam apud Livium de ea re silentium est: & *Cornelius Nepos* [a], conatum quidem fuisse Scipionem depellere provincia Porcium; sed per Senatum efficere non potuisse dicit. Hoc porro tempore duae Hispaniae terminatae fuisse videntur: atque in eas ab hoc tempore duo novi Praetores, qui ad quatuor fuerant additi [b], sunt missi. Licet sequentibus annis pluribus continua etiam bella cum Hispanis fuerint: quae omnia, nisi si eximium plane aliquid acciderit, non memorabimus.

Alter Consul L. Valerius Flaccus cum Bojorum manu in Gallia signis collatis secundo praelio conflixit [c]: & anno sequente iterum Gallorum Insubrium & Bojorum decem millia ab eodem sunt caesa [d]. Orosius [e] alterum praeterea grave praelium cum Gallis commissum memorat. Et eo-

a. *Vita Catonis*. b *Liv. L. XXXII. c.* 27.
c *Liv. L. XXXIV. c.* 22. d *Ibid. c.* 46.
e *L. IV. c* 20.

dem anno Conſul *Ti. Sempronius Longus* ancipiti praelio cum Gallis decertaſſe dicitur; ita tamen, ut plures e Gallis ceciderint [a]. Sed anno ſequente Gallico bello etiam Liguſticum acceſſit: adeo ut Senatus *tumultum eſſe* decerneret [b]; & ſumma cura delectus ageretur. Conſul *L. Cornelius Merula*, exercitu in agrum Bojorum ducto, nihil ſe opponentibus hoſtibus eum vaſtavit: ſed dum regreditur inſidiis Gallorum exceptus cruento praelio cum iis confligere coactus eſt; quo tamen ſuperior fuit. Verum, quod legatus ejus *M. Claudius* culpa Conſulis tot milites fuiſſe amiſſos, victoſque jam hoſtes, cum deberi potuiſſent, e manibus emiſſos ſcripſiſſet, triumphus ipſi negatus fuit.

A. U. 560.

§. 11. De inſtitutis quibusdam domeſticis horum temporum.

§. XI. Hinc porro arma Romana in Aſiam jam tranſlata, majoraque indies Imperii incrementa enarranda habebimus, ſi prius pauca quaedam etiam domi geſta, quae notari merentur, indicaverimus. Et primum quidem Anno Urbis 556. lata fuit *Lex Por-*

a *Liv. Ibid. c.* 46. *ſq.* b *Ibid. c.* 56.

Porcia [a] a *P. Porcio Laeca* Tribuno plebis *de provocatione & libertate civium; ne cui civem Romanum verberare necareve liceret:* quam quidem legem multi auctores sunt M. Porcium Catonem in Consulatu tulisse. Sed ad hunc quem diximus, Porcium Laecam referendum esse, tum alia docent, tum etiam denarius, quem post alios refert Cl. *Vaillantius* [b] ubi ab una parte conspicitur caput *Deae Romae* galeatum cum nota denarii, & nomine *P. Laecae*; in aversa parte Praetor stans manu versus civem togatum extensa, lictoremque, ut videtur, pone se habens; ubi in inferiore nummi parte legitur vox *Provoco.*

Annus sequens insignis fuit novo sacerdotio, *Triumviris Epulonum* institutis, qui *ludorum epulare sacrificium* facerent [c]; qui postea *Septemviri* facti sunt.

Anno Urbis 559. Scipio in secundo suo consulatu primum dicitur, *subsellia Senatorum a populari consessu*

 in

a *Liv. L. X. c.* 9. *Cic. pro C. Rabir. c.* 4. *Sall. Catil. c.* 51. b *de fam. Rom. G. Porcia n.* 10. c *Liv. L. XXXIII. c.* 42.

in ludis scenicis separasse [a]; cujus rei postea poenituisse fertur. Alii, Censores Africani consilio id fecisse asserunt [b].

Anno 560. fraus foeneratorum plebiscito coërcita est [c]. Hi enim, cum foenebribus legibus multis avaritia eorum constricta esset, pecuniam quam civibus Romanis credidissent, in socios, qui iisdem legibus non tenerentur, transcribebant. Itaque plebs scivit; ut cum sociis ac nomine Latino pecuniae creditae jus idem, quod cum civibus Romanis esset.

a *Id. L. sq. c.* 54. *Cic. fragm. Orat. I. pro C. Corn. & ibi Ascon.* b *Liv. l. d. c.* 44. c *Id. L. XXXV. c.* 7.

Finis Libri Quarti.

L I.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM

De bello Antiochino, sive Asiatico, aut denique Syriaco.

§. I. Antiochus cognomento *Magnus Seleuci Callinici* filius, *Antiochi Dei* nepos, *Antiochi Soteris* pronepos, *Seleuci Nicatoris*, qui primus post Alexandrum Magnum Suriam imperio tenuit [a], abnepos anno perodi Julianae 4490. mundi 3760. Olymp. CXXXIX. 1. Urbis conditae 530. admodum puer jam imperare Suriae ceperat: nam, quod apud Livium *L. XXXIV. c.* 58. Seleucus Nicator ejus *proavus* dicitur, minus proprie est accipiendum. Hic jam anno Urbis quingentesimo quinquagesimo quinto Attali Asiae Regis regnum invadere coeperat [b]: sed Romanorum legatorum auctoritate motus exercitum finibus ejus deduxerat [c]: verum

§. 1. *Origo hujus belli.*

A.U. 555.

a *Vid. App. Alex. Syriac. init.* b *Liv. L. XXXII. c.* 8. c *Ibid. c.* 27.

verum non eo minus bellum meditabatur [a]; & ingentes copias terrestres maritimasque comparabat. Maxime autem animum ejus bellandi cupidum adventus Hannibalis incendit: qui jam anno Urbis 558. Carthagine ad Antiochum Regem profugerat [b]. Fugiendi habuerat caussam odium factionis in republica Carthaginiensium sibi adversae: quod sibi contraxerat, dum in Praetura iniquitatem judicum castigare conatur: & vectigalia; quae per peculatum avertebantur, in usum Reipublicae convertit. Hoc odium praeterea instigabant Romani; licet diu repugnaret Scipio Africanus, qui indignum censebat, Populum Romanum subscribere odiis accusationibusque Hannibalis; & factionibus Carthaginiensium inserere publicam auctoritatem. At Hannibal cedendum tempori ratus clam *Tyrum*, ex qua urbe propagati fuerant Carthaginienses, profugit: atque inde ad Regem *Ephesum* proficiscitur. Nam Rex jam anno 557. omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam

a *Id. L. XXXII. c.* 19. b *Ibid. c.* 45. *sqq.*

lam redigere conatus fuerat a; & *Lysimachiam Chersonesi Thraciae* urbem a Thracibus paucis ante annis incensam restituere coeperat b. Ibi eum convenerunt legati Romanorum referentes, *aequum censere Romanorum Senatum, ut quas civitates* Ptolemaeo *forte ademerat, ipsi restituerentur: nec ferri posse, eum civitates quasdam possidere, quas, Philippo in Romanum bellum aversο, intercepisset* c. Respondit Antiochus, Mirari se, quo jure Romani se rebus Asiae immiscerent; quae non magis ad eos pertineant, quam ad se quid rerum in Italia geratur d; Thraciae urbes optimo jure suas esse debere, cum universum Lysimachi regnum jure belli quondam Seleuci abavi fuerit factum. Cum Ptolemaeo amicitiam sibi esse. Sed ideo Lysimachiam restaurabat Antiochus, quod commoda belli in Europam transferendi sedes futura esset e. Ergo renunciarunt Romam legati, ingentem belli molem ab Antiocho restare; & Aetolos etiam, Nabidemque tyran-

a *Ibid.* c. 38. b *App. Alex. Syriac.* c *Liv. Ibid.* c. 39. *Polyb. L. XVII.* c. 31. d *App. Al. l. d. n.* 88. e *App. Al. Syr.*

verum non eo minus bellum meditabatur [a]; & ingentes copias terrestres maritimasque comparabat. Maxime autem animum ejus bellandi cupidum adventus Hannibalis incendit: qui jam anno Urbis 558. Carthagine ad Antiochum Regem profugerat [b]. Fugiendi habuerat caussam odium factionis in republica Carthaginiensium sibi adversae: quod sibi contraxerat, dum in Praetura iniquitatem judicum castigare conatur: & vectigalia; quae per peculatum avertebantur, in usum Reipublicae convertit. Hoc odium praeterea instigabant Romani; licet diu repugnaret Scipio Africanus, qui indignum censebat, Populum Romanum subscribere odiis accusationibusque Hannibalis; & factionibus Carthaginiensium inserere publicam auctoritatem. At Hannibal cedendum tempori ratus clam *Tyrum*, ex qua urbe propagati fuerant Carthaginienses, profugit: atque inde ad Regem *Ephesum* proficiscitur. Nam Rex jam anno 557. omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam

a *Id. L. XXXII. c.* 19. b *Ibid. c.* 45. *sqq.*

lam redigere conatus fuerat [a]; & *Lysimachiam Chersonesi Thraciae* urbem a Thracibus paucis ante annis incensam restituere coeperat [b]. Ibi eum convenerunt legati Romanorum referentes, *aequum censere Romanorum Senatum, ut quas civitates* Ptolemaeo *forte ademerat, ipsi restituerentur: nec ferri posse, eum civitates quasdam possidere, quas, Philippo in Romanum bellum averso, intercepisset* [c]. Respondit Antiochus, Mirari se, quo jure Romani se rebus Asiae immiscerent; quae non magis ad eos pertineant, quam ad se quid rerum in Italia geratur [d]; Thraciae urbes optimo jure suas esse debere, cum universum Lysimachi regnum jure belli quondam Seleuci abavi fuerit factum. Cum Ptolemaeo amicitiam sibi esse. Sed ideo Lysimachiam restaurabat Antiochus, quod commoda belli in Europam transferendi sedes futura esset [e]. Ergo renunciarunt Romam legati, ingentem belli molem ab Antiocho restare; & Aetolos etiam, Nabidemque tyran-

 num

a *Ibid. c.* 38. b *App. Alex. Syriac.* c *Liv. Ibid. c.* 39. *Polyb. L. XVII. c.* 31. d *App. Al. l. d. n.* 88. e *App. Al. Syr.*

num infenſos erga Romanos animos gerere. Legati tamen Antiochi, ut juſſerat Quinctius [a], Romam profecti, *ad amicitiam aequis legibus petendam ſe venire*, dixerunt [b]. Sed nihil impetrare potuerunt, niſi & Europa Antiochus decederet; & Aſiae urbes, quae *Graji* nominis erant, liberare vellet [c]. Hoc tamen conceſſum eſt, ut re integra dilata legati, qui Lyſimachiae apud Regem fuerant, rurſus ad eum mitterentur [d]. P. Villius ergo legatus, cum antea Eumenem Pergami conveniſſet, & ibi P. Sulpicium collegam aegrum reliquiſſet [e], Epheſum profectus Regem *Piſidiae* bello occupatum illico operitur. Forte tum ibi erat Hannibal; cum quo ſaepius congreſſus Villius, & tentandi animi ejus, & metus demendi cauſſa, viliorem eum & ſuſpectiorem Antiocho Regi fecit. Quidam [f] P. Africanum in illa legatione fuiſſe, & cum Hannibale collocutum dicunt: & quaerenti in familiari

a *Liv. L. XXXIV. c.* 25. b *Ibid. c.* 57.
c *App. Alex. Sur. n.* 89. d *Ibid. c.* 59.
e *Id. L. XXXV. c.* 13. *ſq.* f *App. Alex. d. l. p.* 91.

liari ſermone Africano, *quem fuiſſe maximum Imperatorem Hannibal crederet?* dixiſſe, *Alexandrum Macedonem*; *ſecundo loco*, *Pyrrhum*; *tertio loco*, *haud dubie ſe ipſum* dixiſſe: cumque Scipio ridens ſubjeciſſet, *Quidnam tu diceres, ſi me viciſſes?* reſpondiſſe fertur, *Tum me & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios Imperatores eſſe.* Improviſum ſane, aſſentationis genus! Villius *Apameam* profectus eandem fere cum Rege diſceptationem habuit, quae Romae cum miniſtris ejus fuerat; colloquiumque illud morte filii Regis diremptum eſt [a]. Et cum *Minione* quidem amico regio aliquot etiam ſermones habiti: ſed tandem, aeque ac venerant, omnium incerti legati Romam redierunt [b]. In conſilio regio mox ſtatutum eſt, ut bellum gereretur [c].

§. II. Commodum autem Antiocho eveniebat, quod & Nabis & Aetoli inimico in Romanos animo eſſent. Nam & ille contra foedus maritimam oram Laconum oppugnabat [d]: & Aetoli legatis circa Reges miſſis,

§. 2. Nabidis & Aetolorum molitiones.

a *Liv. d. l. c.* 15. b *Ibid. c.* 17. c *Ibid. c.* 19. d *Ibid. c.* 22. 25. *Vid. Ibid. c.* 12. *ſq*

missis, suis quemque stimulis ad Romanum bellum movere tentabant; adventumque Antiochi in Graeciam exspectantes arma parabant [a]. Achaei, cum de Nabide Romam nunciassent, ingenti consensu bellum adversus eum decernunt, Praetorem tum habentes prudentissimum simul fortissimumque virum *Philopoemenem* [b]; qui duobus aliis ejus aetatis summis Imperatoribus Scipioni & Hannibali tertius annumerari meretur [c]. Hic victum praelio Tyrannum urbi Spartae inclusit [d]; & populationibus etiam agrorum fractis ejus viribus domum rediit: dum Aetoli interea Demetriadem specie reducendi exules occupant [e]; Chalcicidem vero frustra tentant [f]. Nabide praeterea per insidias caeso etiam Lacedaemonem invadunt; sed a Lacedaemoniis obtruncato *Alexameno* Aetolorum duce, ejiciuntur; & Lacedaemonii a Philopoemene Achaeorum foederi junguntur. Sed interim cum ipso Antiocho foedere juncto

a *Ibid.* c. 23. b *Plut.* *ejus vita p. m.* 364. c *Liv. L. XXXIX.* c. 50. d *Id. L. XXXV.* c. 30. e *Ibid.* c. 34. f *Ibid.* c. 38.

cto Aetoli [a] jam magis indies defectionem nudabant: ita ut Antiocho proclive iter non tantum in Graeciam, sed etiam in Italiam sternere viderentur. Et hic quidem bello praetexebat, tum alia quaedam [b], tum praecipue [c] necem Brachyllae Boeotarchae; quem hortatoribus Romanis a Zeuxippo occisum vidimus [d]. At vera causa fuit, quod egregiam quondam gentis Romanae disciplinam per multa jam secula publice privatimque labantem cerneret: Ita jam anno quingentesimo sexagesimo primo omnia ad bellum cum Antiocho spectabant.

§. III. Ergo initio hyemis anni quingentesimi sexagesimi secundi Demetriadis maxime ad Aetolos defectione elatus Rex in Graeciam trajicit. Cogitaverat autem Hannibalem cum classe in Africam mittere, ut ad bellum populares suos excitaret [e]: sed *Thoantis* Aetoli mendaciis suspicionibusque, quibus Hannibalem ille onerabat, motus consilium mutavit: Thoas

§. 3. Antiochi in Europam transitus. A. U. 562.

a *Liv. Ibid. c.* 32. b *Id. L. XXXIII. c.* 38. c *Id. L. XXXVI. c.* 6. d *Libr. praec. c. ult.* §. 8. e *Liv. L. XXXV. c.* 42.

Thoas enim, cnm primum in Graecia bellum facillimum Regi fore probare conatus esset, invidiam movit Hannibali, quod forte traditione classis regiae amicitiam Romanam empturus esset. Statim ac in Graeciam venit Antiochus, licet paucissimis copiis instructus, ab Aetolis ingenti plausu excipitur propediem Graeciam se exercitibus impleturum promittens [a], ut Graeciae libertatem, Aetolis Graeciae principatum assereret. Chalcidem inde ex consilio Aetolorum, sed non meliore, quam paulo ante ipsi Aetoli, eventu, tentavit [b]; (quae urbs tamen paulo post portas Regi aperuit [c], simulque tota ipsi Euboea accessit) ab Achaeis triste, a Boeotis dubium responsum accepit [d]. Eodemque tempore Eleorum legati auxilium adversus Achaeos petebant: Epirotae vero, primum Romanorum excepturi impetum, & proinde dubie cum Rege agentes [e], dubium acceperunt responsum [f]. At Romanis juris aliquantulum inferendi

a *Ibid. c.* 44. b *Ibid. c.* 46. c *Ibid. c.* 51. d *Ibid. c.* 50. e *Polyb. exc. legat. n.* 12. f *Id. L. XXXVI. c.* 5.

di Antiocho belli accessit [a]; quod Romanos quosdam milites in templo Apollinis *Delio*, ut in loco sancto, nondum etiam aut indicto bello, aut strictis gladiis commisso, secure agentes ceciderat plerosque, aut ceperat [b]. Itaque Senatus decreto, Populi jussu, bellum Antiocho indictum est [c]: cujus tanta cura fuit, ut *P. Cornelius* Consul ediceret, *ne quis Senator, minorve magistratus ab Urbe Roma longius abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque Senatores ab Urbe abessent.* Socii etiam Reges Ptolemaeus, Philippus, Masinissa, & etiam Carthaginienses auxilia ad bellum, pecuniam, frumentum obtulerunt; quae parce omnia accepta.

§. IV. Interim Antiochus ad Boeotos ob necem Brachyllae Romanis succensentes profectus eos sibi adjunxit [e]. Inde Chalcidem regressus, cum alii alia in consilio de belli gerendi ratione differerent, Hannibal, Philippum Macedonem praecipue ad socie-

§. 4. Res ab Antiocho in Graecia gestae.

a *Id. L. XXXVI. c. 51.* b *App. Alex. n. 94.* c *Id. L. XXXVI. c. 1. & 3.* d *Liv. Ibid. c. 6.*

societatem belli adducendum esse, censuit; vel saltem, proprio bello distinendum. Tum praeterea omnibus viribus contractis speciem trajiciendi mox in Italiam belli Romanis esse praebendam. Verum irritum consilium fuit; nisi quod ad classem ex Asia arcessendam Antiochus misit a. Ipse confestim in Thessaliam progressus oppida plura Thessalorum cepit: Larissae vero oppugnationem adventante cum auxiliis Ap. Claudio reliquit, hyemem instare apud suos caussatus b: & ita Demetriadem reversus reliquum hyemis ibi mollissime egit, nuptias etiam cum virgine Chalcidensi celebrans: ita ut ea, quae jam narravimus, brevissimo tempore gesta esse debuerint: nec meliori disciplina praefecti regii militesque sunt usi. At *M' Acilius Glabrio* Consul principio veris in Graeciam transgressus Larissam ducere delectos militum Tribunos jussit c: dum interea *M. Baebius* Propraetor & Philippus Rex varia oppida in potestatem redigunt d. Consul vero *Limnaeam* & *Pellinaeum* Thessa-

a *Ibid.* c. 8. b *Ibid.* c. 10, c *Ibid.* c. 14. d *Ibid.* c. 13.

Thessaliae oppida capit; aliaque in fidem recipit: ita ut omnibus, quae invaserat Antiochus, jam rursus exueretur. Philippi indulgentia Athamania omnis in jus ejus ditionemque concessit; dum Amynander Praetor gentis, veritus, ne Philippo traderetur, Ambraciam se cum suis contulit [a]; cum Consul interea plurima etiam oppida caperet. Excitatus tandem Antiochus Aetolos advocat: qui venerunt, sed exiguo numero, militiam vulgo a suis detrectari caussati. Ergo intra saltum Thermopylarum (ab *angustiis* & *calidis*, qui ibi sunt, *fontibus* locus nomen accepit; Graecis enim θερμὸς, *calidum*, πύλη, *portam* designat) sese recepit: quod jugum mediam Graeciam dirimit; ubi quondam trecenti Spartani duce Leonida impetum immensi exercitus Persarum sustinentes pro Graeciae salute caesi fuerant [b].

§. V. Hujus saltus vertices rogatu Regis pars Aetolorum insederat; pars He- *§. 5. Antiochus Graecia exactus.*

Ii

a *Appian. Alex. Suriac. n.* 96. b *App. Al. Ibid. n.* 97. *Herodot. L. VII. c.* 223. *Cic. Tusc. Quaest. L. I. c.* 42. *Supr. L. III. c.* 1. §. 5.

Heracleae substiterat [a] : quo intellecto Consul Porcium Catonem, & Valerium legatos suos †, viros consulares, & olim in consulatu collegas, ut postea in censura fuerunt, ad castella Aetolorum occupanda mittit: quod feliciter a Catone praestitum (nam Flacco non eadem fortuna fuit [b]) praecipuam victoriae occasionem dedit. Nam Macedones, qui inter auxilia Antiochi militabant, cum signa Romana ex propinquo conspexissent [c], in fugam se conjecerunt. Antiochus quamprimum suorum aciem inclinatam vidit, effuso cursu Elatiam, & inde Chalcidem contendit, quingentis tantum ex toto ejus exercitu cum Rege fuga elapsis. Romanorum prope ducenti interfecti. Appropinquante Chalcidem Consule Rex cum nova nupta (cui *Eubiae* nomen fuit) Ephesum fugit. *Chalcidenses* Consuli portas aperuerunt [d]; secutaeque sunt omnes Euboeae urbes, cum summa modestia Acilius

a *Liv. d.l. c.* 22. † *Cic. de Sen. c.* 10. *Plut. Cat. Maj. p.* 342. *Tribunum militum fuisse dicunt.* b *Ibid. c.* 19. c *App. Al. Ibid. n.* 98. d *Liv. d. l. c.* 21.

Acilius victoriam exerceret.

§ VI. Hinc ad Aetolos praemisit Acilius, ut tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscere, & clementiam Romanorum expetere vellent. Sed, cum nihil pacati responderetur, Heracleam aggreditur; & post acrem multorum dierum oppugnationem stratagemate urbem, & postea etiam arcem deditione capit [a]; & simul *Damocritum* Aetolorum Praetorem; qui olim Quinctio ferocissimum responsum dederat [b]. Heraclea capta durus a Romanis ad Philippum nuncius venit, qui *Lamiam* septem ferme millibus passuum inde distantem urbem oppugnabat, „ ut „ oppugnatione absisteret; aequius „ esse, Romanos milites, qui acie „ cum Aetolis dimicassent, praemia „ victoriae habere." Paucis ante quam Heraclea caperetur diebus Aetoli ab Antiocho pecunias & auxilia petierant, Regis referre dicentes, ne Romani omni cura vacui in Asiam trajicerent [c]. Pecunia in praesentia legatis data; auxilia promissa: nam

§. 6. Quae porro cum Aetolis gesta sint.

a *Ibid. c.* 24. b *App. Al. Ibid. n.* 99. *Liv. Ibid.* c *Liv. Ibid. c.* 26.

vera dicere Aetolos Rex ſciebat. Sed capta jam Heraclea animi Aetolorum fracti ſunt; legatoſque ad Conſulem miſerunt [a]: a quo datis induciis L. Valerio Flacco exponere, quae ſecum acturi fuiſſent, ſunt juſſi; nam ſibi otium eſſe negaverat. Cum autem longam defenſionem inciperent, Flaccus auctor illis fuit, ut confeſſione culpae utentes *in fidem ſe Romanorum permitterent*. Poſtquam id *Phaeneas* legationis Aetolorum Princeps apud Conſulem dixiſſet, & ille poſtulaſſet [b], (non enim intelligebant Graeci apud Romanos idem eſſe, *fidei ſe victoris*, an, *arbitrio ejus permittere* [c]) ut duo capita ſeditionis, praeter Amynandrum Athamanum principem, ſibi dederentur, *non in ſervitutem, ſed in fidem Conſulis ſe tradere ſeſe*, dixerunt; *credereque ſe imprudentia labi Conſulem, qui ipſis imperet, quae moris Graecorum non ſint*. At, *cum ſe plane, non curare, quid moris Graecorum Aetoli eſſe cenſerent*, Conſul reſpondiſſet, & praeſentia vincula in modo deditos expediri juſſiſſet, fracta Aeto-

a *Polyb. exc. leg. n.* 13. b *Liv, Ibid. c.* 28. c *Polyb. Ibid. p. m.* 1115. *f.*

Aetolis ferocia est; induciasque decem dierum impetrarunt. Sed, cum imperata a Quinctio in consilio Aetolorum retulissent, ira & difficultate praestandi, quae imperarentur (nam quonam modo utique Regem Amynandrum se tradere posse?) ad bellum redeunt; cum praesertim *Nicander*, unus ex eorum principibus ab Antiocho veniens vana exspectatione multitudinem implesset [a]. Igitur Acilius *Naupactum*, (hodie *Lepanto* dicitur) quo concurrisse Aetolos audiverat, contendit, eamque urbem obsedit [b]: sed cum ea obsidio in longum duceretur T. Quinctius [c], qui interim res Peloponnesi ordinaverat, & Zacynthum insulam, quae Philippi Regis fuerat, quamque interceperant Achaei, Romanis restitui fecerat, Naupactum trajecit [d], persuasitque Consuli, ut Aetolis legatos Romam mittere concederet, qui Senatui *quicquid placuisset, se facturos*, dicerent. Ita obsidio soluta est [e]. Sed cum duae conditiones iis ferrentur,

 vel,

a *Polyb. exc. leg. p. m.* 1117. b *Liv. Ibid. c.* 30. c *Ibid. c.* 34. d *Ibid. c.* 31. *sq.* e *Ib. c.* 35.

vel, „ ut Senatui liberum de se arbitrium permitterent; vel mille talentum darent, eosdemque amicos, atque inimicos haberent a, " infecta pace dimissi sunt, cum scire vellent, quarum rerum arbitrium in se Senatui permitterent b. At paulo post Principes Aetolorum tres & quadraginta c, inter quos Damocritus & frater ejus erant, jussu Acilii Romam deducti; & in lautumias conjecti sunt. Acilius interim Lamiam a Philippo jam prope ad excidium adductam ceperat: & *Amphissam* oppugnabat, cum *L. Scipio* Consul advenit; a quo Aetoli inducias impetrarunt d. Sed cum legati eorum in Senatu minus humiliter verba fecissent; sine responso Urbe & Italia excedere coacti sunt. Verum in sequentibus videbimus, quem finem haec res habuerit. Epirotae etiam ab Acilio ad Senatum rejecti (nam non sincera fide in amicitia fuisse satis constabat) veniam impetrarunt. Hunc finem habuit bellum cum Antiocho Rege in Graecia gestum. Acilius anno sequente de Antiocho,

a *Polyb. p. m.* 1121. & 1123. b *Id. L. XXXVII. c.* 1. c *Ibid. c.* 3. d *Ibid. c.* 7.

tiocho, quem Graecias expulerat, & Aetolis triumphavit [a]. Eodem fere tempore, quo Naupactus oppugnabatur, classis Antiochi ab Eumene & *C. Livio* Romanae classis praefecto in fugam acta fuit [b].

§. VII. Sed fuga Antiochi Romanis occasionem transferendi in Asiam belli pulcherrimam praebuit. Vidimus jam L. Cornelium Scipionem Consulem ad bellum cum Antiocho gerendum in Graeciam trajecisse. Nam orta fuerat contentio inter Consules L Scipionem & *C. Laelium*, utri Graecia provincia & bellum cum Antiocho Rege decerneretur [c]. Verum statim ac P. Scipio Africanus dixit, *Si fratri suo provinciam Graeciam decrevissent, se Legatum iturum*, certamen sublatum est: & absque eo fuisset, non videtur provinciam eam fuisse habiturus, cum & parum in eo esse putaretur animi & roboris [d], & rerum militarium fere imprudens esset [e]. Permissumque est Scipioni, *§. 7. Bellum in Asia cum Antiocho gestum. A. U. 563.*

a *Ibid. c.* 16. b *Liv. Ibid. c.* 43. *sqq.*
c *Liv. d. l. XXXVII. c.* 1. d *Cic. Philipp. XI. c.* 7. e *Val. Max. L. V. c.* 5. *n.* 1. *Appian. Syriac. n.* 99.

Thoas enim, cnm primum in Graecia bellum facillimum Regi fore probare conatus esset, invidiam movit Hannibali, quod forte traditione classis regiae amicitiam Romanam empturus esset. Statim ac in Graeciam venit Antiochus, licet paucissimis copiis instructus, ab Aetolis ingenti plausu excipitur propediem Graeciam se exercitibus impleturum promittens [a], ut Graeciae libertatem, Aetolis Graeciae principatum assereret. Chalcidem inde ex consilio Aetolorum, sed non meliore, quam paulo ante ipsi Aetoli, eventu, tentavit [b]; (quae urbs tamen paulo post portas Regi aperuit [c], simulque tota ipsi Euboea accessit) ab Achaeis triste, a Boeotis dubium responsum accepit [d]. Eodemque tempore Eleorum legati auxilium adversus Achaeos petebant: Epirotae vero, primum Romanorum excepturi impetum, & proinde dubie cum Rege agentes [e], dubium acceperunt responsum [f]. At Romanis juris aliquantulum inferendi

a *Ibid. c.* 44. b *Ibid. c.* 46. c *Ibid. c.* 51. d *Ibid. c.* 50. e *Polyb. exc. legat. n.* 12. f *Id. L. XXXVI. c.* 5.

di Antiocho belli accessit [a]; quod Romanos quosdam milites in templo Apollinis *Delio*, ut in loco sancto, nondum etiam aut indicto bello, aut strictis gladiis commisso, secure agentes ceciderat plerosque, aut ceperat [b]. Itaque Senatus decreto, Populi jussu, bellum Antiocho indictum est [c]: cujus tanta cura fuit, ut *P. Cornelius* Consul ediceret, *ne quis Senator, minorve magistratus ab Urbe Roma longius abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque Senatores ab Urbe abessent.* Socii etiam Reges Ptolemaeus, Philippus, Masinissa, & etiam Carthaginienses auxilia ad bellum, pecuniam, frumentum obtulerunt; quae parce omnia accepta.

§. IV. Interim Antiochus ad Boeotos ob necem Brachyllae Romanis succensentes profectus eos sibi adjunxit [e]. Inde Chalcidem regressus, cum alii alia in consilio de belli gerendi ratione differerent, Hannibal, Philippum Macedonem praecipue ad socie-

§. 4. Res ab Antiocho in Graecia gestae.

a *Id. L. XXXVI. c. 51.* b *App. Alex. n.* 94. c *Id. L. XXXVI. c. 1. & 3.* d *Liv. Ibid. c. 6.*

Thoas enim, cnm primum in Graecia bellum facillimum Regi fore probare conatus esset, invidiam movit Hannibali, quod forte traditione classis regiae amicitiam Romanam empturus esset. Statim ac in Graeciam venit Antiochus, licet paucissimis copiis instructus, ab Aetolis ingenti plausu excipitur propediem Graeciam se exercitibus impleturum promittens [a], ut Graeciae libertatem, Aetolis Graeciae principatum assereret. Chalcidem inde ex consilio Aetolorum, sed non meliore, quam paulo ante ipsi Aetoli, eventu, tentavit [b]; (quae urbs tamen paulo post portas Regi aperuit [c], simulque tota ipsi Euboea accessit) ab Achaeis triste, a Boeotis dubium responsum accepit [d]. Eodemque tempore Eleorum legati auxilium adversus Achaeos petebant: Epirotae vero, primum Romanorum excepturi impetum, & proinde dubie cum Rege agentes [e], dubium acceperunt responsum [f]. At Romanis juris aliquantulum inferendi

a *Ibid. c.* 44. b *Ibid. c.* 46. c *Ibid. c.* 51.
d *Ibid. c.* 50. e *Polyb. exc. legat. n.* 12.
f *Id. L. XXXVI. c.* 5.

di Antiocho belli accessit a; quod Romanos quosdam milites in templo Apollinis *Delio*, ut in loco sancto, nondum etiam aut indicto bello, aut strictis gladiis commisso, secure agentes ceciderat plerosque, aut ceperat b. Itaque Senatus decreto, Populi jussu, bellum Antiocho indictum est c: cujus tanta cura fuit, ut *P. Cornelius* Consul ediceret, *ne quis Senator, minorve magistratus ab Urbe Roma longius abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque Senatores ab Urbe abessent.* Socii etiam Reges Ptolemaeus, Philippus, Masinissa, & etiam Carthaginienses auxilia ad bellum, pecuniam, frumentum obtulerunt; quae parce omnia accepta.

§. IV. Interim Antiochus ad Boeotos ob necem Brachyllae Romanis succensentes profectus eos sibi adjunxit e. Inde Chalcidem regressus, cum alii alia in consilio de belli gerendi ratione dissererent, Hannibal, Philippum Macedonem praecipue ad socie-

§. 4. Res ab Antiocho in Graecia gestae.

a *Id. L. XXXVI. c.* 51. b *App. Alex. n.* 94. c *Id. L. XXXVI. c.* 1. & 3. d *Liv. Ibid. c.* 6.

societatem belli adducendum esse, censuit; vel saltem, proprio bello distinendum. Tum praeterea omnibus viribus contractis speciem trajiciendi mox in Italiam belli Romanis esse praebendam. Verum irritum consilium fuit; nisi quod ad classem ex Asia arcessendam Antiochus misit a. Ipse confestim in Thessaliam progressus oppida plura Thessalorum cepit: Larissae vero oppugnationem adventante cum auxiliis Ap. Claudio reliquit, hyemem instare apud suos caussatus b: & ita Demetriadem reversus reliquum hyemis ibi mollissime egit, nuptias etiam cum virgine Chalcidensi celebrans: ita ut ea, quae jam narravimus, brevissimo tempore gesta esse debuerint: nec meliori disciplina praefecti regii militesque sunt usi. At *M' Acilius Glabrio* Consul principio veris in Graeciam transgressus Larissam ducere delectos militum Tribunos jussit c: dum interea *M. Baebius* Propraetor & Philippus Rex varia oppida in potestatem redigunt d. Consul vero *Limnaeam* & *Pellinaeum* Thessa-

a *Ibid. c.* 8. b *Ibid. c.* 10, c *Ibid. c.* 14.
d *Ibid. c.* 13.

Thessaliae oppida capit; aliaque in fidem recipit: ita ut omnibus, quae invaserat Antiochus, jam rursus exueretur. Philippi indulgentia Athamania omnis in jus ejus ditionemque concessit; dum Amynander Praetor gentis, veritus, ne Philippo traderetur, Ambraciam se cum suis contulit [a]; cum Consul interea plurima etiam oppida caperet. Excitatus tandem Antiochus Aetolos advocat: qui venerunt, sed exiguo numero, militiam vulgo a suis detrectari caussati. Ergo intra saltum Thermopylarum (ab *angustiis* & *calidis*, qui ibi sunt, *fontibus* locus nomen accepit; Graecis enim θερμὸς, *calidum*, πύλη, *portam* designat) sese recepit: quod jugum mediam Graeciam dirimit; ubi quondam trecenti Spartani duce Leonida impetum immensi exercitus Persarum sustinentes pro Graeciae salute caesi fuerant [b].

§. V. Hujus saltus vertices rogatu Regis pars Aetolorum insederat; pars He- *§. 5. Antiochus Graecia exactus.*

Ii

a *Appian. Alex. Suriac. n.* 96. b *App. Al. Ibid. n.* 97. *Herodot. L. VII. c.* 223. *Cic. Tusc. Quaest. L. I. c.* 42. *Supr. L. III. c.* 1. §. 5.

Heracleae substiterat [a]: quo intellecto Consul Porcium Catonem, & Valerium legatos suos †, viros consulares, & olim in consulatu collegas, ut postea in censura fuerunt, ad castella Aetolorum occupanda mittit: quod feliciter a Catone praestitum (nam Flacco non eadem fortuna fuit [b]) praecipuam victoriae occasionem dedit. Nam Macedones, qui inter auxilia Antiochi militabant, cum signa Romana ex propinquo conspexissent [c], in fugam se conjecerunt. Antiochus quamprimum suorum aciem inclinatam vidit, effuso cursu Elatiam, & inde Chalcidem contendit, quingentis tantum ex toto ejus exercitu cum Rege fuga elapsis. Romanorum prope ducenti interfecti. Appropinquante Chalcidem Consule Rex cum nova nupta (cui *Eubiae* nomen fuit) Ephesum fugit. *Chalcidenses* Consuli portas aperuerunt [d]; secutaeque sunt omnes Euboeae urbes, cum summa modestia Acilius

a *Liv. d.l. c.* 22. † *Cic. de Sen. c.* 10. *Plut. Cat. Maj. p.*342. *Tribunum militum fuisse dicunt.* b *Ibid. c.* 19. c *App. Al. Ibid. n.*98. d *Liv. d. l. c.* 21.

Acilius victoriam exerceret.

§ VI. Hinc ad Aetolos praemisit Acilius, ut tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscere, & clementiam Romanorum expetere vellent. Sed, cum nihil pacati responderetur, Heracleam aggreditur; & post acrem multorum dierum oppugnationem stratagemate urbem, & postea etiam arcem deditione capit [a]; & simul *Damocritum* Aetolorum Praetorem; qui olim Quinctio ferocissimum responsum dederat [b]. Heraclea capta durus a Romanis ad Philippum nuncius venit, qui *Lamiam* septem ferme millibus passuum inde distantem urbem oppugnabat, „ ut „ oppugnatione absisteret; aequius „ esse, Romanos milites, qui acie „ cum Aetolis dimicassent, praemia „ victoriae habere. " Paucis ante quam Heraclea caperetur diebus Aetoli ab Antiocho pecunias & auxilia petierant, Regis referre dicentes, ne Romani omni cura vacui in Asiam trajicerent [c]. Pecunia in praesentia legatis data; auxilia promissa: nam

§. 6. Quae porro cum Aetolis gesta sint.

a *Ibid. c.* 24. b *App. Al. Ibid. n.* 99. *Liv. Ibid.* c *Liv. Ibid. c.* 26.

vera dicere Aetolos Rex sciebat. Sed capta jam Heraclea animi Aetolorum fracti sunt; legatosque ad Consulem miserunt [a]: a quo datis induciis L. Valerio Flacco exponere, quae secum acturi fuissent, sunt jussi; nam sibi otium esse negaverat. Cum autem longam defensionem inciperent, Flaccus auctor illis fuit, ut confessione culpae utentes *in fidem se Romanorum permitterent*. Postquam id *Phaeneas* legationis Aetolorum Princeps apud Consulem dixisset, & ille postulasset [b], (non enim intelligebant Graeci apud Romanos idem esse, *fidei se victoris*, an, *arbitrio ejus permittere* [c]) ut duo capita seditionis, praeter Amynandrum Athamanum principem, sibi dederentur, *non in servitutem, sed in fidem Consulis se tradere sese*, dixerunt; *credereque se imprudentia labi Consulem, qui ipsis imperet, quae moris Graecorum non sint*. At, *cum se plane, non curare, quid moris Graecorum Aetoli esse censerent*, Consul respondisset, & praesentia vincula in modo deditos expediri jussisset, fracta Aeto-

a *Polyb. exc. leg. n.* 13. b *Liv. Ibid. c.* 28. c *Polyb. Ibid. p. m.* 1115. *f.*

Aetolis ferocia est; induciasque decem dierum impetrarunt. Sed, cum imperata a Quinctio in consilio Aetolorum retulissent, ira & difficultate praestandi, quae imperarentur (nam quonam modo utique Regem Amynandrum se tradere posse?) ad bellum redeunt; cum praesertim *Nicander*, unus ex eorum principibus ab Antiocho veniens vana exspectatione multitudinem implesset [a]. Igitur Acilius *Naupactum*, (hodie *Lepanto* dicitur) quo concurrisse Aetolos audiverat, contendit, eamque urbem obsedit [b]: sed cum ea obsidio in longum duceretur T. Quinctius [c], qui interim res Peloponnesi ordinaverat, & Zacynthum insulam, quae Philippi Regis fuerat, quamque interceperant Achaei, Romanis restitui fecerat, Naupactum trajecit [d], persuasitque Consuli, ut Aetolis legatos Romam mittere concederet, qui Senatui *quicquid placuisset, se facturos*, dicerent. Ita obsidio soluta est [e]. Sed cum duae conditiones iis ferrentur,

 vel,

a *Polyb. exc. leg. p. m.* 1117. b *Liv. Ibid. c.* 30. c *Ibid. c.* 34. d *Ibid. c.* 31. *sq.* e *Ib. c.* 35.

vel, „ ut Senatui liberum de se arbitrium permitterent; vel mille talentum darent, eosdemque amicos, atque inimicos haberent [a], " infecta pace dimissi sunt, cum scire vellent, quarum rerum arbitrium in se Senatui permitterent [b]. At paulo post Principes Aetolorum tres & quadraginta [c], inter quos Damocritus & frater ejus erant, jussu Acilii Romam deducti; & in lautumias conjecti sunt. Acilius interim Lamiam a Philippo jam prope ad excidium adductam ceperat: & *Amphissam* oppugnabat, cum *L. Scipio* Consul advenit; a quo Aetoli inducias impetrarunt [d]. Sed cum legati eorum in Senatu minus humiliter verba fecissent; sine responso Urbe & Italia excedere coacti sunt. Verum in sequentibus videbimus, quem finem haec res habuerit. Epirotae etiam ab Acilio ad Senatum rejecti (nam non sincera fide in amicitia fuisse satis constabat) veniam impetrarunt. Hunc finem habuit bellum cum Antiocho Rege in Graecia gestum. Acilius anno sequente de Antiocho,

a *Polyb. p. m.* 1121. & 1123. b *Id. L. XXXVII. c.* 1. c *Ibid. c.* 3. d *Ibid. c.* 7.

tiocho, quem Graecias expulerat, & Aetolis triumphavit [a]. Eodem fere tempore, quo Naupactus oppugnabatur, classis Antiochi ab Eumene & *C. Livio* Romanae classis praefecto in fugam acta fuit [b].

§. VII. Sed fuga Antiochi Romanis occasionem transferendi in Asiam belli pulcherrimam praebuit. Vidimus jam L. Cornelium Scipionem Consulem ad bellum cum Antiocho gerendum in Graeciam trajecisse. Nam orta fuerat contentio inter Consules L Scipionem & *C. Laelium*, utri Graecia provincia & bellum cum Antiocho Rege decerneretur [c]. Verum statim ac P. Scipio Africanus dixit, *Si fratri suo provinciam Graeciam decrevissent, se Legatum iturum*, certamen sublatum est: & absque eo fuisset, non videtur provinciam eam fuisse habiturus, cum & parum in eo esse putaretur animi & roboris [d], & rerum militarium fere imprudens esset [e]. Permissumque est Scipioni,

§. 7. Bellum in Asia cum Antiocho gestum. A. U. 563.

a *Ibid. c.* 16. b *Liv. Ibid. c.* 43. *sqq.*
c *Liv. d. l. XXXVII. c.* 1. d *Cic. Philipp. XI. c.* 7. e *Val. Max. L. V. c.* 5. *n.* 1. *Appian. Syriac. n.* 99.

Uti, si e Republica esse videretur, exercitum in Asiam trajiceret a. Antequam vero ulteriora narremus, obiter observandum est, hunc Lucium Scipionem majorem natu fuisse Publio, quod ex Polybio colligitur b. Ergo Consul per Graeciam in Macedoniam pervenit; ubi omnia praeparata invenit; & regio apparatu excipitur: quae humanitas Africano praecipue placuit, viro sicut ad cetera egregio, ita a comitate, quae sine luxuria esset, non averso c. Ita per Macedoniam & Thraciam prosequente & praeparante omnia Philippo ad *Hellespontum* perventum est. Antiochus interim, tum terrestribus, tum maritimis praesertim apparatibus intentus fuerat: Gallograecorum etiam auxilia arcesserat: maritimas Aeolidis urbes per filium *Seleucum* cum exercitu continebat: isque *Phocaeam* proditione recepit d; & *Cyme*, aliaeque ejusdem orae urbes ad eum metu defecerunt. Nec omittere hic possumus classis *Rhodiae*, quae Romanis mili-

a *Liv. d. l. c.* 2. b *Vid. Polybii fragm. L. X. n.* 4. *p.* 805. *edit. Gronov.* c *Liv. Ibid. c.* 7. d *Liv. Ibid. c.* 11.

militabat, cladem [a]. Regiae classi praeerat *Polyxenidas* exul Rhodius. Hic *Pausistratum* (*Pausimachum* vocat Appianus voce ejusdem potestatis) classis Rhódiae praefectum superbe quaedam de se concionatum per literas appellat, & classem regiam traditurum esse pollicetur; nullum aliud pretium tanti meriti, quam reditum in patriam pactus; fidemque tabellis signo suo impressis munit. Ea fide accepta negligenter omnia agere Pausistratus: & licet a transfuga monitus esset, omnia simulate agere Polyxenidam, in insidias delapsus interficitur, maxima parte navium amissa. Eaque clades etiam Livium, qui jam fere cum Abydenis de urbe eorum sibi tradenda convenerat, obsidionem eam relinquere coëgit [b]: & mox successori suo *L. Aemilio Regillo* navale imperium tradit [c]: & cum paucis navibus in *Lyciam* missus *Patara*, caput gentis, frustra tentavit [d]: quod etiam ipsi Aemilio contigit. Aderat hisce expeditionibus etiam Rex Eumenes [e]: eaque occasione usus Seleucus

a *Ibid. c.* 10. b *Ibid. c.* 12. c *Ibid. c.* 14.
d *Ibid. c.* 16. e *Ibid. c.* 18.

Antiochi filius caput arcemque regni ejus Pergamum oppugnare statuit, & haud procul a Seleuci castris etiam ipse Antiochus stativa collocat. Eo nuncio accepto Pergamum Eumenes contendit: & Romana, Rhodiaque classis, ut Regi opem ferret, *Elaeam* accessit. Ita Antiochus veritus, ne mox etiam Consule cum exercitu adventante undique premeretur, misso ad Aemilium Regillum Praetorem caduceatore, *de pace se agere velle*, professus est: sed de Eumenis sententia, quem Pergamo acciverat Romanus, responsum est, *ante Consulis adventum de pace agi non posse* a. At Seleucum ex agro *Pergamena* movere castra coëgit intrepida praesertim Achaeorum fortitudo; qui auxilio missi Romanis una & altera eruptione trepidos hostes in castra compulerant b. Phocaeam etiam classis Romana cum Eumene Rhodiisque oppugnavit: sed cum missum ab Antiocho praesidium urbem intrasset, destiterunt. At navali praelio feliciores fuerunt Rhodii,

a *Polyb. exc. leg. n.* 21. *p.* 1126. b *Liv. L. XXXVII. c.* 20. *sq. Appian. Alex. Syriac. n.* 102. *sq.*

dii, quod cum Hannibale & *Appollonio* uno ex regiis purpuratis inierunt [a]: eos enim in fugam egerunt; &, nisi cessassent, omnem hostilem classem aut capere, aut submergere potuissent. Hannibal eo praelio ictus praetervehi Lyciam, ut veteri regiae classi conjungeretur, non audebat: verum Antiochus, (qui Prusiam etiam Bithyniae Regem in partes suas pertrahere conatus fuerat; sed frustra, cum audita Romanorum legatione, cujus princeps erat C. Livius, spes & consilia sua ab Antiocho penitus separaverit [b]) Antiochus itaque, cum & magnam partem classis Romanae circa Patara esse sciret, & Eumenem cum omnibus navibus suis Consuli obviam in Hellespontum esse profectum; tum praeterea multas Rhodiorum naves a Polyxenida, ut diximus, esse interceptas, *Colophonem*, vicinam Epheso urbem oppugnare instit it; ut ita reliquam Romanorum Rhodiorumque classem, quae ad *Samum* stabat, ad pugnam provocaret. At ea classis jam *Chium*, ubi horreum Romanorum erat trajecerat; cum certior

factus

a *Ibid. c.* 23. *sq.* b *Polyb. d. l. p.* 1128.

factus esset Praetor Aemilius eo frumenti magnam vim ex Italia venisse [a]. Simul autem audiverat, naves vinum portantes tempestatibus retentas esse; & *Tejos* (urbem *Teum* hi incolebant sitam in australi latere Peninsulae, in cujus faucibus sunt *Smyrna* & *Lebedus*) regiae classi benigne commeatus praebuisse; quinque etiam millia vasorum vini esse pollicitos. Ergo agrorum populationibus Tejos adegit, ut tantumdem vini & commeatuum etiam sibi praeberent: & commodum ad accipiendos commeatus classem in portum, qui ante Tejorum urbem est, transire fecerat: nam in portu ad *Myonnesum*, ubi cum classe steterat, facile a Polyxenida interclusis angustis portus faucibus oppressus fuisset. Jam vero nautis militibusque, qui ad dividendum vinum & commeatus egressi fuerant, non sine trepidatione naves ut conscenderent coactis, post acrem satis pugnam classem hostilem in fugam vertit, tredecim ex ea navibus captis, novem & viginti incensis, aut demersis [b]. Hac clade

a *Liv. d.l. c.* 27. b *Ibid. c.* 30. *App. Alex. Ibid. n.* 104.

clade territus Antiochus pravo consilio praesidium, ne a Romanis opprimeretur, ab Lysimachia deducit: quam urbem facile per totam hyememem adversus Romanos defendendo tempus extrahere ad occasiones pacis tentandae poterat. Sed, ut observat Appianus, Deus ipsi jam mentem adimebat, ut imminentibus calamitatibus fieri solet [a]. Imo etiam Colophonis obsidionem reliquit, & *Sardes* se recipit copias undique (nam acie dimicare cupiebat) contracturus. Praetor vero Aemilius Phocaeam acriter adortus ad deditionem incolas perpulit; sed prohibere non potuit [b], quin milites ad diripiendam urbem passim discurrerent: ipsi tamen in omnibus, quae ipsius potestatis fuerunt, fides constitit, ita ut urbem, agros & leges suas victis restitueret.

§. VIII. Interea Scipio Consul ad Hellespontum pervenerat: &, omnibus cura Eumenis ad trajiciendum paratis, velut in pacata litora trajecit. Dum autem ibi ob religionem, quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant, (& ipse P. Sci- *§. 8. Scipionum in Asiam adventus.*

a *Ibid. c.* 32.

P. Scipio Salius erat) moram nectit, legatus ab Antiocho venit [a] cum Publio potissimum Scipione de pace acturus; tum, quod majoris animi, quam frater, esse crederetur; tum, quod filius ejus initio belli casu quodam Chalcide Demetriadem petens a regiis erat captus. Et luculentas sane, ut ipse quidem censebat, pacis conditiones tulit. Respondit Scipio [b], *privatam quidem gratiam pro privato beneficio referre paratum esse: publice nec habiturum quicquam a Rege, nec daturum.* Fidele tamen consilium Regi suis verbis ut nunciarent jubet: *bello abstineret; pacis conditionem nullam recusaret*, Sed Rex indignum ratus perinde ac victo jam sibi leges dici [c], totam curam in belli apparatum intendit. Filium tamen ad Scipionem Elaeae tum ex morbo decumbentem misit: qui pro eo beneficio Regi consilium dedit, *ne ante in aciem descenderet, quam in castra rediisse P. Scipionem audisset.* Nec neglexit consilium Antiochus: sed circa *Magnesiam* castra multis operibus munit. Consul castris

a *Ibid. c.* 34. b *Ibid. c.* 36. *Appian. Alex. n.* 105. c *Appian. Alex. Syriac. n.* 106.

castris prope castra regia positis [a]; posteaquam a Rege detrectari certamen videret, de praelio committendo ad consilium retulit: ubi undique conclamatum est, *extemplo in hostem duceret*. Et tertio die pugnandi copia utrimque facta est: verum initium cladis Antiocho fuit, quod quadrigae ejus falcibus armatae in fugam versae sunt [b]. Eo pavore turbata auxilia totum laevum cornu inclinare fecerunt: illudque mox media acies secuta est. A dextro vero cornu equites Romani fugati, & ad castra usque compulsi sunt: sed *M. Aemilius* Tribunus militum, qui castris praeerat, minis & mox vulneribus suorum fugam sistit; & Attalus Eumenis frater a dextro Romanornm cornu in tempore cum ducentis equitibus advenit. Ergo Antiochus equo converso in Syriam usque fuga contendit [c]. Multi inde fugientium caesi: multi in ipsis castris; quae simul capta & direpta sunt, Romanis cum magna praeda in sua castra revertentibus. Cecidisse ex regiis dicuntur peditum millia ad quinqua-

a *Liv. d. l. c.* 38. b *Ibid. c.* 41. *f. Appian. n.* 108. c *Appian. n.* 110.

quaginta, equitum millia quatuor: ex Romanis trecenti pedites, quatuor & viginti equites; ex Eumenis exercitu quinque & viginti, aut, juxta Appianum, quindecim amissi; evasitque Rex per medium Eumenis exercitum, non magno incommodo ab illius copiis accepto. Victoriae autem hujus laus potissima fuit penes *Cn. Domitium* a, quem Africanus fratri pro se adjunxerat. Refert hujus elegans dictum Plutarchus b: cum duces, quos circum se habebat, confestim adoriri hostes juberent, *tempus diei non sufficere ad tot millia hostium concidenda*, dixit, *ita ut direptis impedimentis in castra reverti possent; se crastino die tempestive hoc facturum.* Et porro in caesorum numero cum Livio & Appiano convenit. Hac clade audita legati statim ab *Thyatira*, a Magnesia ad *Sipylum*, ab altera *Magnesia*, quae super *Maeandrum* est, a *Trallibus*, imo ab ipsa Ephefo venerunt, qui urbes illas dederent c.

§. 8. *Antiochus pacem petit & impetrat.*

§. IX. Et jam Sardibus erant Sciones, cum legati a Rege pacem peten-

a *Ibid. n.* 106. *sqq.* b *Apophthegm. p. m.* 197. c *Liv. d. l. c.* 45.

petentes venerunt a : iisque Africanus de consilii sententia easdem fere, quas ante praelium, conditiones tulit b ; *abstineret Rex Europa*, & *Asia omni cis* Taurum *montem decederet*; *pro impensis belli certis pensionibus quindecim millia talentum Euboicorum daret*; (Talentum hoc fuit quatuor millium denariorum, sive, Romano more, sexdecim millium nummorum sestertiorum, nostra moneta mille & ducentorum florenorum *Carolinorum*; ita ut haec mulcta Antiocho imposita fuerit florenorum *Car.* 18000000.) *Eumeni quadringenta talenta* † *adhuc debita redderet*; *auctores belli*, & *praecipue Hannibalem, dederet*; *elephantos omnes & naves ad certum numerum traderet* c. In has conditiones paulo post obsides viginti, qui imperati erant, interque eos Antiochi filius, a Rege dati sunt; & legati Romam missi. Eumenes quoque eodem tempore profectus est Romam, quo legati Regis. Secutae eos sunt legationes omnium Asiae populorum. Eumenem,

a *Polyb. exc. legat. n.* 23. b *Ibid. X. n.* 24. *Liv. Ibid. c.* 46. † *Philipp.* 36000. c *App. Alex. d. l. n.* 112.

nem, quum merita sua in S. P. Q. R. exposuisset, jussit Senatus a, ut libere diceret, *quid sibi tribui aequum censeret*. Ille vero, *omnia Senatorum arbitrii esse debere*, respondit. Sed saepius dicere jussus tandem longa oratione patris sui, & sua etiam erga Populum Romanum merita commemoravit. Adjecitque, *si terras cis Taurum montem Antiocho ereptas ipsi Romani tenere vellent, se nullos accolas, quam Romanos, malle. Si vero inde exercitus deducere in animo haberent, aequum censere, ut sibi tribuantur*. Rhodii vero, multum contratendente Eumene, *civitatibus Asiae, quae ante, quam ab Antiocho occuparentur, liberae fuissent, libertatem reddendam* putabant. Senatus, *pacem, quibus eam L. Scipio dedisset, legibus confirmandam* censuit: idem Populus paucos post dies jussit b;
„ ita ut Rhodiis Lycia fere tota &
„ pars *Cariae* daretur; reliqua Asiae
„ cis Taurum montem, quae intra fi-
„ nes regni Antiochi fuissent, Eumeni
„ attribuerentur; civitates Asiae,
„ quae Attali stipendiariae fuissent,
„ eaedem

a *Liv.* *L. XXXVII. c. 52. Polyb. exc. leg. n. 25.* b *Liv. Ibid. c. 55.*

„ eaedem Eumeni vectigal pende-
„ rent; quae vectigales Antiochi
„ fuissent, eae liberae atque immunes
„ essent. " L. Scipio, cum ad Urbem venisset, ne cognomine fratri cederet, *Asiaticum* se appellari voluit [a]; splendidissimumque triumphum egit anno fere, postquam consulatu abiit. Legitur aliquando etiam, *Asiagenem* Graeca forma vocis dictum fuisse [b]. In aes incisum foedus in Capitolio dedicatum est; ut omnia foedera ibi dedicari solebant: & exemplar ejus *Cn. Manlio Vulsoni*, qui Scipioni successerat, missum: qui pluscula in foederis legibus addidit [c], aut mutavit; praesertim, „ ne Rex Antiochus exer-
„ citum, qui cum Populo R. sociisque
„ bellum gesturus esset, per suos fines
„ transire pateretur neve ulla ratione
„ juvaret; nec bellum cum iis, qui
„ insulas colebant, gereret, neve in
„ Europam transiret; neve ultra cer-
„ tum Asiae terminum navigare li-
„ ceret; argenti probi, duodecim

 „ millia

a *Ibid. c.* 58. b *Id. L. XXXIX. c.* 44. *V. Spanh. de Pr. & Us. Numism. Diss. X. p.* 64. *ed. ult.* c *Polyb. Exc. legat. n.* 35.

„ millia Atticorum talentorum † in-
„ tra duodecim annos daret; & tri-
„ tici 54000. modium. Si quis so-
„ ciorum Populi R. ultro bellum An-
„ tiocho inferret, vim vi arcendi jus
„ esset. "

§. 10. *Hannibalis exitus.*

§. X. De auctoribus belli, & praecipue Hannibale, dedendis etiam cautum est. At Hannibal verens, ne dederetur, in *Cretam* ad *Gortynios* navigat, magnam pecuniam secum portans a. Verum ibi quoque ob avaritiam *Cretensium* magno in periculo se fore videns amphoras complures complet plumbo: sumnas operit auro & argento: easque publice in templo Dianae deponit. Sed statuas aeneas, quas secum portabat, omnes sua pecunia complet, atque ita Cretensibus illusis ad Prusiam Bithyniae & *Ponti* Regem pervenit: eumque statim adversus Romanos incitavit. Cumque eo tempore inter Prusiam & Eumenem bellum & terra & mari gereretur classem Eumenis vicit Hannibal; & dolo quidem, quando armis par non esset. Imperavit enim quamplurimas venenatas serpentes vivas colli-
gi,

† *Philipp.* 7200000. a *Nepos vita Hann.*

gi, easque in vasa fictilia conjici. Haec vasa, cum acrius premerentur in naves adversariorum trajici jussit: quae jacta initio risum pugnantibus excitarunt: postquam naves complectas conspexerunt serpentibus, cum quid potissimum vitarent non viderent, puppes avertere coacti sunt [a]. Dum haec in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiae Romae apud L. Quinctium *Flamininum consularem* [b] coenarent; & ex his unus diceret, *Hannibalem in Prusiae regno esse.* Ergo Senatus statim legatos in Bithyniam misit, qui a Rege peterent, ut Hannibal sibi dederetur. His Prusias negare ausus non est: verum, ne quid faceret, quod adversum jus hospitii esset, ipsos, si possent, comprehendere eum jussit. Semper talem exitum vitae suae Hannibal prospexerat animo [c]: itaque, ut iter semper aliquod praeparatum fugae haberet, septem exitus e domo fecerat; & ex iis quosdam occultos. Sed totius domus circuitus ita custodiis cinctus

 fuit;

a *Justin. L. XXXII. c.* 4. *Front. Strat. L. IV. c.* 7. *n.* 10. 11. b *ita legendum est ap. Nepot. non Flaminium Consulem.* c *Liv. L. XXXIX. c.* 51.

fuit; ut nemo inde elabi posset: quo intellecto Hannibal venenum hausit, (quod multo ante praeparatum ad tales habebat casus) execratus in caput Prusiae, & hospitales Deos violatae ab eo fidei testes invocans. Alii eum, exemplo *Themistoclis*, taurinum sanguinem hausisse dicunt [a]. Plurimi T. Quinctium Flamininum legatum ad Prusiam de morte Hannibalis ivisse dicunt [b]. Mortuus dicitur anno Urbis 570. vel, juxta alios, anno, aut biennio serius [c]. Eodemque anno in carcere veneno interfectus esse fertur, qui ab hostibus suis Messeniis bello captus erat, Philopoemen fortissimus Achaeorum Imperator [d].

§. 11. Finis P. Scipionis Africani.

§. XI. Tertius additur, qui eodem anno decesserit P. Cornelius Scipio Africanus † ipse quoque humanarum rerum vices in provectiore aetate expertus. *A. U. 566.* Anno enim quingentesimo sexagesimo sexto duo *Quinti Petillii*, Tribuni plebis (alii *M. Naevium* dicunt [e]; alii Petilliis Naevium jungunt

a *Plut. vita Quinctii p.* 380. *D.* b *Ibid. Liv. d. l.* c *Nepos.* d *Liv. Ibid. c.* 50. *Plut. d. l.* † *Justin. l. d.* e *Liv. L. XXXVIII. c.* 56. *Val. M. III.* 7. 1. *Gell. IV.* 18.

gunt [a]) diem ipsi dixerunt, comparati, ut ferebatur, & immissi in eum a M. Catone [b], cum quo nobiles inimicitias exercuerat. Objiciebant autem [c], quod pecuniam a Rege Antiocho pro pace facienda accepisset; alia etiam, & tali viro indigna crimini dantes: vetera praeterea luxuriae crimina Syracusanorum hybernorum, & Locris Pleminii tumultum. Scipio, ubi dies ei prodicta venisset, magno agmine amicorum clientiumque ad Rostra subiit, & prolatum librum, quo acceptae & expensae summae continebantur, discerpsit, indignatus [d], *H S quadragies † rationem a se repeti, alieni imperii ministro, quod suo ductu, suisque auspiciis bis millies H S * uberius fecisset:* silentioque facto, *Memoria*, inquit, *Quirites, repeto, diem esse hodiernum, quod Hannibalem Poenum magno praelio vici in terra Africa; pacemquo & victoriam vobis peperi insperabilem. Ergo censeo relinquamus nebulonem hunc: eamus hinc protinus Jovi Opt. Max. gratulatum.*

 Id

a *Sex. Aur. Victor.* b *Vid. Liv. d. l. c.* 54. c *Ibid. c.* 51. d *Ibid. c.* 55. † 100000. *Philipp.* * 5000000. *Philipp.*

Id cum dixit in Capitolium ire coepit; simulque se universa concio avertit; ita ut postremo scribae viatoresque Tribunos relinquerent: nec cum iis, praeter servilem comitatum & praeconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset. Scipio per totam Urbem omnia templa Deum cum Populo Romano circumiit; isque speciosus ultimus dies ipsi illuxit [a]. Inde, die longiore prodicta, in *Liternum* concessit; certo consilio, ne ad caussam dicendam adesset. Major animus erat, & majori fortunae adsuetus, quam ut reus esse sciret. *Ubi* dies venit, L. Scipio, *morbum caussam esse, cur abesse frater*, excusabat: cumque eam excusationem Petillii non acciperent, tum alii Tribuni, tum praecipue *Ti. Sempronius Gracchus*, cui inimicitiae acerrimae cum P. Scipione intercesserant, decrevit, „ se P. Scipionem, prius quam Ro„ mam rediisset, accusari non passu„ rum: tum quoque, si se appellet, „ auxilio ei futurum, ne caussam di„ cat: " alia etiam in honorem Scipionis adjiciens. Ita silentium deinde de

a *Ibid.* c. 25.

de Africano fuit. Vitam Literni egit: atque eo ipso loco, *sepeliri se*, jussisse ferunt [a]; *ne funus sibi in ingrata patria fieret*. Sed haec omnia *magni* quidem *animi* (ne dicam *superbi*) esse videntur; at *nequaquam civilis*: verum *perniciosi* in Republica *exempli*: in qua nemo tantus jure esse potest, qui non legibus & ordinariis judiciorum formulis subjectus esse debeat. L. tamen Scipio cum *A. Hostilio* legato, & *C. Furio* quaestore suo damnatus est. Scipioni quadragies lis aestimata fuit: (Liv. *d. l. c.* 55.) ac *Terentius* Praetor (*Ib. c.*) prehendi damnatum, & in vincula duci jussit. At vetuit intercessione sua Ti. Gracchus *non passurum* dicens, *L. Scipionem, qui Regem opulentissimum orbis terrarum devicerit, imperium P. R. in ultimos terrarum fines propagaverit, plurimos duces hostium in triumpho ductos carceri incluserit, inter hostes Pop. R. in carcere, & in vinculis esse.* In bona tamen ejus possessum publice Quaestores Praetor misit: sed nequaquam tantum reda-

a *Vid. Strabon. L.V. n.* 243. *Acron. ad Hor. Epod. IX. cineres ejus in pyramide in Vaticano collocat.*

quae se Aetolis contribuerat, acerrime oppugnaret, iterum legatos ad Consulem miserunt [a]; Rhodiorum etiam & Atheniensium intercessione implorata [b]. Quin etiam Amynander pro *Ambraciensibus* apud quos exsulaverat, deprecaturus in castra Romanorum venit; monuitque Ambracienses, ut se matura deditione servarent, urbem etiam Consulis permissu ingressus. Cumque his omnibus accessisset etiam *C. Valerius* Consulis frater uterinus, M. Laevini, qui primus societatem cum Aetolis pepigerat, filius, urbs tandem ab Ambraciotis fuit tradita. Aetoli, ut sine fraude abire liceret, pacti sunt. Quingenta talenta Euboica † poenae nomine ipsis imperata sunt [c]. Ex hac urbe, quae Pyrrhi quondam regia fuerat, signa aenea marmoreaque plurima & tabulae pictae avectae: nihil praeterea tactum, violatumve.

§. 3. Pax cum Aetolis.

§. III. Pax inde Romae cum Aetolis firmata his maximo legibus [d]: „Ut

a *Liv. d. l. c.* 3. & 8. b *Ibid. c.* 9. *Polyb. Ibid. n.* 28. † 600000. *Flor. nostratium*, *S. Carolinor.* c *Vid. Cl. Jac. Perizon. ad Liv. L. XXXVIII. c.* 9. d *Liv. L. XXXVIII. c.* 11.

„ Ut imperium, majestatemque Po-
„ puli Romani gens Aetolorum con-
„ servaret sine dolo malo. Eosdem
„ cum Romanis hostes haberet. Per-
„ fugas, fugitivos, captivos Roma-
„ nis, sociisque redderet. Obsides
„ quadraginta Consulis arbitratu da-
„ ret. *Cephallenia* Insula extra leges
„ pacis esset. Ducenta talenta argen-
„ ti Euboica † praesentia; & quin-
„ quaginta * annua in proximos sex
„ annos darent: agri, urbes, homi-
„ nes, qui Aetolorum juris aliquan-
„ do fuissent, qui eorum T. Quin-
„ ctio Cn. Domitio Consulibus, post-
„ ve eos Consules, armis subacti,
„ aut voluntate in ditionem Populi
„ Romani venissent, ne quem eorum
„ Aetoli reciperent. *Oeniadae* cum
„ urbe agrisque Aetolorum forent."

§. IV. Aetolis perdomitis M. Fulvius Consul in Cephalleniam trajecit; eamque statim in deditionem recepit. At *Samaei*, quanquam obsides dederant, incertum qua de caussa desciverunt a. Urbs eorum post quatuor demum mensium obsidionem capta *§. 4. Cephallenia perdomita &c.*

† 240000. *Flor. Carolinor.* * 60000. *Flor. Car.* a *Liv. d. l. c.* 28.

pta & direpta est: cives cum conjugibus & liberis sub corona venditi. Inde in Peloponnesum reversus Consul [a] Lacedaemoniorum & Achaeorum (Achaei Lacedaemonios contra foedus cum T. Quinctio factum fecisse arguebant) disceptationes audivit [b]; belloque abstinere jussit, donec legati ad Senatum missi essent. Iis ambiguum adeo responsum datum fuit, ut Achaei sibi permissum esse de Lacedaemone acciperent; & plurimos Lacedaemoniorum correptos supplicio traderent. Tum etiam Lycurgi legibus abrogatis Achaeorum corpori

A.U. 566. eam urbem junxerunt. Anno demum quingentesimo sexagesimo sexto Fulvius Romam reversus splendidissimum triumphum egit [c]; licet M. Aemilius Consul ad invidiam Ambraciensium legatos in Senatum introduxisset querentes, *injuria sibi bellum illatum; urbem suam direptam; quodque se ante omnia moveat, templa tota urbe spoliata ornamentis: simulachra Deum, Deos imo ipsos ablatos esse.* Et, cum alter Consul Flaminius per morbum abesset,

a *Ibid. c.* 30. b *Ibid. c.* 32. c *Id. L. XXXIX. c.* 4. & 5.

ſet, referente Aemilio Senatus-Conſultum factum eſt, *ut Ambracienſibus omnes ſuae res redderentur; utque ipſi legibus ſuis uterentur.* Sed profecto ad bellum Gallicum Aemilio (qui tamen ad impediendum triumphum Fulvii Romam redire paraverat, verum in via aeger ſubſtiterat) triumphavit; & magnas opes aerario intulit.

CAPUT TERTIUM.

De bello cum Gallograecis.

§. I. Antequam ad ipſam hujus belli hiſtoriam veniamus pauciſſimis de origine horum *Gallograecorum*, ſive *Galatarum* (quod nomen Chriſtianis hominibus notiſſimum eſt ex epiſtola, quam D. *Paulus* ad eam gentem ſcripſit) praemittendum. Quemadmodum enim jam antea Gallos Italiam invaſiſſe vidimus, ſic circa idem tempus, cum terrae, quae genuerant, multitudinem eorum jam diutius non caperent; magna vis hominum ad alias ſibi ſedes quaerendas in aliam partem profecta eſt, & *Pannoniam* occupavit; atque ibi plurimos annos

§. 1. De Origine Gallograecorum.

annos cum finitimis varia bella gesſit [a]. Tandem circa annum Urbis 473. duce *Belgio* in Macedoniam irrumpunt; *Ptolemaeum Ceraunum* Regem, *Ptolemaei Soteris*, ſive *Lagi* filium, Ptolemaei Philadelphi fratrem, acie victum & captum interficiunt. Belgium ſecutus *Brennus Soſthenem*, quem ſibi praefecerant Macedones, vincit; & mox dum templum *Delphicum* ſpoliare conatur, periit [b]. Sed alii Galli, qui, dum Brennus in Graeciam proficiſceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant [c]; & ſimul etiam multi, qui ſeceſſionem a Brenno fecerant ſive in Aſiam evocati, ſive audientes ex proximo, quanta ubertas terrae ejus eſſet, per Helleſpontum partim, partim a *Byzantio* eo tranſmiſerunt [d]. Et, licet decem tantum millia armatorum hominum haberent, (inermium enim plures erant) tantum tamen terroris omnibus Aſiae gentibus injecerunt, ut non tantum ſtipendium tota cis Taurum Aſia exigerent; ſed, ut Syriae quoque

a *Vid. Juſtin. L. XXIV. c.*4. b *Pauſan. Phocicis c.*23. c *Juſtin. L. XXV. c.* 1. d *Liv. L. XXXVIII. c.* 16.

quoque ad poſtremum: Reges ſtipendium dare non abnuerent. In Aſiam tranſiiſſe videntur circa annum Urbis conditae 474. Et, cum diu vagati fuiſſent Attalicorum Regum & Bithynorum ditiones vaſtantes, tandem regionem [a], quae *Galatia* ab illis & *Gallograecia* eſt dicta, concedentibus iiſdem Regibus occuparunt, in tres potiſſimum gentes, *Trocmorum*, *Toliſtobojorum* & *Tectoſagum* diviſi.

§. II. Adverſus has ergo gentes Cn. Manlius Vulſo, quem ſucceſſorem L. Scipioni in Aſiam fuiſſe miſſum vidimus, exercitum a deceſſore ſuo acceptum duxit, auxiliis eos Antiochum juviſſe inſimulans: malo ſane exemplo: nam, ſicut ad eam rem ex jure gentium belli indictio, ita ex jure Romano novus Populi juſſus deſiderabatur [b]. Sed ſpreto jure Manlius in Gallorum terras duxit [c]: licet etiam *Epoſſognatus* regulus, qui & in Eumenis amicitia manſerat, & auxilia Antiocho adverſus Romanos negaverat, legatis miſſis oraret, *ne Tectoſagis bellum inferret; ipſum perſuaſurum illi genti*,

§. 2. Manlii Vulſonis cum Toliſtobojis praelium.

[a] *Strabo L. XII. n.* 566. [b] *Grot. de jur. B. P. L. III. c.* 3. §. 10. [c] *Liv. d. l. c.* 18.

genti, ut imperata facerent. Verum, cum jam ad *Gordium* castra haberet, & Eposognatus & alii nunciant, *Gallos nihil aequi concedere; sed montes petere, ut inde se armis locorumque situ tueantur; ita fatigaturos se Romanos esse credentes.* Ergo Consul primum ad *Olympum* montem ducit [a]; quem Tolistobojorum civitas occupaverat: & quatuor millia Gallorum, qui iter impedituri ex monte digressi fuerant, & tumulum quendam insederant, aut caedit, aut in fugam convertit: & mox etiam eos, qui montem tenebant, gravissima strage superat; facili satis victoria, cum nec armorum genere, nec ratione pugnandi Romanis pares essent. Numerus captivorum millia quadraginta explevit [b]; quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant, demigrantium magis, quam in bellum euntium specie. Memorandum hic venit *Chiomarae*, quae *Ortiagontis* Gallorum reguli uxor erat, facinus [c]: huic centurio, qui eam captivam ducebat,

a *Liv. Ibid. c.* 20. b *Ibid. c.* 23. c *Ibid. c.* 24. *Plut. de virt. mul. p. m.* 258. *Flor. L. II. c.* 11.

cebat, vim intulit: mox, cum mulieri libertatem promisisset, certum auri pondus pactus, ad locum constitutum eam adduxit, aurum accepturus: at illa sua lingua centurionem aurum pensantem, ut occiderent, imperavit; caputque occisi ad maritum detulit. Plutarchus dicit scripsisse Polybium, se cum ea muliere Sardibus collocutum fuisse; quod hodie quidem apud eum non legitur; licet maritum ejus a liberalitate, magnitudine animi, venustate morum, prudentia & fortitudine commendet a.

§. III. Posthaec, cum ad *Ancyram* in stativis Consul esset, petentibus Gallis locus ad colloquendum de conditionibus pacis constituitur b. Eo cum Consul venisset, nullo Gallorum viso in castra revertitur. Mox autem adfuerunt oratores Gallorum excusantes, „ religione objecta Reges „ venire non posse; sed eorum nomi- „ ne Principes gentis adfuturos. " Ergo Consul, *se quoque Attalum missurum*, dixit. (Observa obiter fastum Romani Consulis, qui, quae suo fa- *§. 3. Ejusdem res gestae cum Tectogasis.*

 stigio

a *Excerpt. de virt. & vit. p. m.* 1434. b *Polyb. exc. leg. n.* 34. *p.* 1162. *Liv. d. l. c.* 25

ſtigio indigna eſſe putaret, opulentiſſimi Populoque Romano amiciſſimi Regis fratri non indecora crederet.) Jactae quidem ibi ſunt conditiones pacis; ſed, cum abſentibus ducibus finis rei imponi non potuiſſet, convenit, ut poſtridie Conſul Regesque congrederentur. Fruſtratio Gallorum eo ſpectabat, ut res ſuas cum conjugibus & liberis trans *Halyn* trajicerent: Conſulemque Romanum, aut caperе, aut occidere poſſent. Cum itaque non multum a conſtituto loco Conſul abeſſet, Galli, mille equites expertae audaciae, & ad id facinus delecti, hoſtili impetu in eum irruunt; & plurimos ex Romanis oppreſſiſſent, ni ſtatio pabulatores praeſidii cauſſa conſequi ſolita, ſexcenti equites, forte eo occurriſſet. Tum verſa extemplo fortuna; paucique Galli aufugerunt: captus eſt nemo: major multo pars per fidem violati colloquii poenas morte luerunt. Poſt triduum inde Romanus ardentibus ira animis cum Tectoſagis & Trocmis, qui iis auxilio venerant, acie decernit, pari fere modo, & pari eventu, quo cum Toliſtobojis pugnatum fuerat.

rat. Itaque statim Galli oratores de pace ad Consulem miserunt: quos Manlius Ephesum, ubi hybernare statuerat, ad se venire jussit [a].

§. IV. Verum cum decem legatis omnique exercitu ad Hellespontum profectus [b], evocatis eo regulis Gallorum leges, quibus pacem cum Eumene servarent, dixit: denunciatque, „ ut morem vagandi cum ar- „ mis finirent, agrorumque suorum „ terminis se continerent; " cum Apameae reliquas etiam Asiae res ordinasset [c]. *Ariarathi Cappadocum* Regi, qui Antiochum auxiliis juverat, pars dimidia pecuniae imperatae Eumenis beneficio, cui per eos dies filiam desponderat, remissa: ipse in amicitiam est acceptus. Urbium, quae stipendiariae Antiocho fuerant, & cum Romanis senserant, immunitas, data: quae partium Antiochi fuerant, aut stipendiariae Attali Regis, vectigal pendere Eumeni jussae. Aliis pro meritis immunitas: aliis dona ex devictis urbibus data. Eumeni Chersonesus & Lysimachia, quaeque alia in

§. 4. *Res Asiae ordinatae.*

 Euro-

a *Liv. d. l. c.* 27. b *Ibid. c.* 40. c *Ibid. c.* 39.

Europa tenuerat Antiochus, concessa; in Asia item Phrygia, *Lycaonia*, Ephesus, aliaque.

§. 5. *Manlius Romam reversus triumphat.*

§. V. Inde copiis in Europam trajectis agmen praeda grave trahens per Thraciam iter faciebat a : sed Thraces praeda & via sylvestri impeditos semel iterumque invadunt: nec absque ingenti damno transiere Romani. Atque ita tandem, cum ob metum hyberni maris Apolloniae hybernasset, Romam rediit: & III. Nonas Martias A. U. 566. de Gallis Asiaticis triumphavit b : nequicquam contratendente majore parte decem legatorum, qui cum eo fuerant. Hi enim accusabant Manlium, ,, quod ,, summa ope tetendisset, ut pacem a ,, L. Scipione inchoatam turbaret, & ,, Antiochum insidiis exciperet; quod ,, aegre legatorum precibus fuisset ,, prohibitus, quo minus Taurum, ,, fatalem juxta Sibyllina carmina terminum, transiret; quod, cum nullam caussam belli inveniret, sine ,, Senatus auctoritate, injussu Populi, bellum Gallis intulisset; quod ,, cum exercitu Romano, Consul ,, merce-

a *Liv. Ibid. c.* 40. b *Id. L. XXXIX. c.* 7.

„ mercenarius, Attalum secutus stipem a tyrannis castellanisque deviis collegisset; quod ipse bellum imprudenter gessisset, fortuna tantum & hostium ignavia superior factus; quod in ipso reditu a latrunculis Thracibus, caesus, fugatus, impedimentis exutus fuerit." Ac licet infensissimos semper Gallorum adversus Romanos animos, eorumque legiones in exercitu Antiochi fuisse allegaret, non tamen triumphum obtinuisset, nisi & amici ejus summis opibus fuissent annixi, & seniores negassent, exemplum proditum memoriae esse, ut Imperator, qui perduellibus devictis, confecta provincia exercitum reportasset, privatus inhonoratusque Urbem iniret.

CAPUT QUARTUM.

Bellum cum Gallis Liguribus, Hispanis, Istris.

§. I. Cum Gallis, Liguribus, Cenomanis, aliisque continua fere bella vidimus: & postremo quidem loco *L. IV. c.* 11. §. 10. atque ex fide Roma- *§. 1. Bellum cum Bojis.*

Romanorum scriptorum multas & graves eorum clades memoravimus: perduximusque eam narrationem ad A. U. C. 558. Sed nequaquam iis cladibus fracti fuerunt Gallorum animi: imo anno statim sequente Ti. Sempronii Longi Consulis castra Boji oppugnarunt [a]; & per portam quaestoriam irrumpentes non sine magna Romanorum strage inde expulsi fuerunt. Tamen eodem anno etiam Proconsul L. Valerius Flaccus bene cum Gallis Insubribus & Bojis Padum transgressus pugnasse dicitur.

A.U. 559.

§. 2. *Bellum cum Liguribus & Bojis.* *A.U.* 560.

§. II. Similiter etiam Ligures anno quingentesimo sexagesimo tantum belli suscitarunt, ut, *tumultum esse*, Senatus decerneret [b], sociosque Latinos jam dimissos iterum convenire juberet. Sed *Minucius* Consul, statim ac in provinciam venit, Pisas a Liguribus circumsessas obsidione liberat [c]. Et alter Consul L. Cornelius Merula Bojorum agros nemine prohibente vastavit: sed suos jam fines egressum acerrime invadunt Galli, cum insidias, quas struxerant, aper-

a *Liv. L. XXIV. c.* 46. *sq.* b *Ibid. c.* 56.
c *Ibid. L. XXXV. c.* 3.

apertas esse vident: & vix tandem in fugam vertuntur magno suo cum damno, nec incruenta Romanorum victoria [a]. Cornelius tamen cum Romam venisset supplicationem simul triumphumque sibi decerni petiit [b]: verum intercessione Tribunorum plebis prohibitus non obtinuit, cum legatus ejus *M. Claudius Marcellus* pluribus Senatoribus privatim scripsisset [c], Fortunae Populi Romani, & militum virtuti gratiam habendam, quod res bene gesta foret, cum Consulis opera & militum aliquantum amissum foret; & hostes e manibus amissi essent. Eodemque adhuc anno Minucii Consulis castra oppugnata & aegre defensa sunt [d]; & non multo post, quum per angustum saltum agmen duceretur, cladem Caudinae similem prope fuisset expertus, ni industria & fortitudine equitum Numidarum periculo ereptus foret. Sed anno sequente idem *A.U. 561.*
Minucius Proconsul provinciam obtinens in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnavit [e]; & victor

a *Ibid. c.* 5. b *Ibid. c.* 8. c *Ibid. c.* 6.
d *Ibid. c.* 11. e *Ibid. c.* 21.

inde castella eorum vicosque igne ferroque pervastavit: idemque rursus anno sequente eosdem hostes castra sua oppugnantes egregie repulit.

§. 3. *Boji magna clade victi.*

§. III. Sed demum anno Urbis 562. *P. Cornelius Scipio Nasica* Consul Bojos clarissima pugna vicit [a]; ita ut se extemplo post eam pugnam dederent: quos agri parte fere dimidia multavit; quo, si vellet, Populus Romanus colonias mittere posset; quemadmodum A. U. 564. *Bononia* Latinorum colonia in eum agrum deducta est [b]. Tamen, cum triumphum peteret, intercessit *P. Sempronius Blaesus* Tribunus plebis: qui censebat, Scipioni, ante quam triumpharet, redeundum esse in provinciam, ut Minucio auxilio esset tertium jam annum cum Liguribus dubio bello distento: „ ita „ devictis Liguribus paucos post men„ ses Proconsulem Scipionem trium„ phaturum esse. " Sed consensu Senatus ad remittendam intercessionem compulsus est: & de Bojis P. Cornelius Consul triumphavit [c], si Livii testimonio credimus. Idem tamen

a *Id. L. XXXVI. c.* 38. b *Id. L. XXXVII. c.* 57. c *Id. L. XXXVI. c.* 40.

men anno sequente Proconsul Galliam obtinuit; cum Q. Minucius (qui provinciam confectam, & Ligurum omne nomen in deditionem venisse scripserat) exercitum ei tradere jussus fuerit [a]. Nisi forte Livius in hac naratione sui oblitus cespitaverit: quod etiam alibi ei evenisse luculenter docet Celeberr. Jacobus Perizonius *Animadversionum Hist.* c. 4. † Minucio vero triumphus negatus fuit [b]. Imo accusatus est a Catone, quasi falsas pugnas & victorias jactaverit: & imprimis, quod decemviros, homines bono genere gnatos, ob parum bene curata sibi cibaria, indicta caussa, flagro caedi & interfici jussisset. Unde Gellius citat *orationes Catonis in Thermum*; ut *L. X. noctium Attic. c.* 3. *de falsis pugnis*; & *L. XIII. c.* 23. eam *de decem hominibus*.

A. U. [illegible]

§. IV. Inde paulisper in his oris a bellis cessatum. Sed anno rursus quingentesimo sexagesimo sexto uterque Consul ad bellum Ligusticum est profectus [c]. Nam erat is hostis velut natus

§. 4. *Itidem cum Liguribus bellum.*

a *Id. L. XXXVII. c* 2. † & *Vid. S. L. IV. c.* 1. §. 48. b *Ibid. c.* 46. c *Liv. L. XXXIX. c.* 1.

tus ad continendam Romanis militarem disciplinam: & asperitas locorum, hostis assidue lacessens, oppugnatio necessaria munitorum castellorum, laboriosa simul, periculosaque; inops praeterea regio virtutem & disciplinam conservabat: cum amoenitas Asiae, mollitia hostium, regiaeque opes, ditiores quam fortiores exercitus facerent [a]. C. ergo *Flaminius* Consul *Friniates* Ligures victos in deditionem accepit; iisque arma adimit. Verum, cum non sincera fide ea tradidissent, pars magna trans Apenninum abierunt: ibi rursus victi sunt; & arma iis intentiore cura adempta. *Apuanis* quoque Liguribus perdomitis pacem Consul finitimis dedit. Atque inde, ne militem in otio haberet, viam ab Urbe per Tusciam & Umbriam Ariminum usque stravit [b]: licet in *epitome Livii XX.* legatur, hoc a patre hujus Flaminii in censura A. U. 533. factum esse; cui adsentitur *Cassiodorus in Chronico*. Haec postea *Aquilejam* usque producta fuit. Aemilius etiam viam a Placentia Ariminum usque fecit, ut cum via Flaminia

a *Vid. Ibid. c.6.* b *Strabo L.V. n.217.*

minia committeretur a: sive, ut melius Strabo dicere videtur, viam Flaminiam continuavit Bononiam usque, & inde Aquilejam. Cenomannorum vero tanta hoc tempore fides apud Romanos fuit; ut, cum arma sibi a Praetore *M. Furio* adempta fuisse quaererentur, a Consule permittente Senatu ea receperint: & Praetor provincia decedere jussus fuerit. Anno *A.U.* 567. rursus 567. *Q. Marcius Philippus* Consul a Liguribus Apuanis loco iniquo circumventus & ingenti clade affectus, quamprimum in loca pacata pervenit, exercitum dimisit, ne quantum diminutae copiae forent, appareret b. Saltus tamen, unde eum Ligures fugaverant, *Marcius* ab eo est dictus. Sed felicius anno sequente uterque Consul res adversus eos gessit b. Et anno 570. M. Claudius Marcellus Consul Gallos quosdam Transalpinos inopia agri in Italiam transgressos c & oppidum condere incipientes in eo agro, qui postea *Aquilejensis* fuit; quod nempe agri inopia & egestate coacti superante multitudine patriam reliquissent, Italia excedere

a *Ibid.* c. 20. b *Ibid.* c. 32. c *Ibid.* c. 45.

dere coëgerunt a, redditis tamen omnibus, quae sine cujusquam injuria habebant. Verum ita vacuus cura Istricum bellum moliri coepit; de quo paulo post videbimus: jam enim melius videtur, ut uno contextu bellum cum Liguribus persequamur, donec rerum series & temporis nos ad alius libri initium perduxerit.

§. 5. *Ejusdem belli continuatio.* §. V. Nam anno rursus Urbis quingentesimo septuagesimo primo provincia Consulibus nulla, praeter Ligures,
A. U. 571. quae decerneretur, erat b, cum *Q. Fabius*, qui Proconsul Liguriam obtinebat, *Apuanos ad rebellionem spectare*, scripsisset. Consules prospere res gessisse
A. U. 572. se dicuntur c. Sed anno sequente L. Aemilius Paullus, cui ex Consulatu prorogatum imperium erat d, in Ligures *Ingaunos* (habitarunt hi loca maritima, ubi hodie *Albenga* urbs veteris *Albingauni* vestigia servat) exercitum introduxit. Ibi legati pacem petentes ad eum venerunt: &, cum tempore opus esse dicerent, ut suis deditionem, quam petebat Paullus, persuaderent, inducias decem dierum impetra-

a *Ibid. c.* 54. b *Liv. L. XL. c.* 1. c *Ibid. c.* 6. d *Ibid. c.* 25.

petrarunt; & simul, ne interea trans montes proximos castris pabulatum lignatumve iretur. Sed statim post eos ipsos montes exercitu omni coacto summa vi castra Romanorum oppugnarunt. Et procul erant auxilia; cum & *Baebius* Proconsul jam exercitum M. *Pinario* Praetori in Sardiniam eunti tradidisset: & Fabius Praetor cum exercitu, qui Marcelli fuerat, adversus Istros profectus esset. Ergo literis Baebii motus Senatus delectum omnibus modis accelerari jubet: sed, praeter alia, impedimento erat pestilens morbus. Aemilius vero, cum literas, quas ad Baebium subsidium petens miserat, interceptas crederet [a], cum suis fortissima eruptione in Ligures pugnavit. Imo castris eos exuit: & triduo omne Ligurum Ingaunorum nomen in deditionem recepit: ac provincia ex sententia confecta de Liguribus Ingaunis triumphavit [b]. Triumphum ejus secuti sunt Ligurum legati pacem perpetuam humillime quidem orantes: sed cum exprobratione inconstantiae ad Consules a Senatu rejecti sunt. Ita pax

a *Ibid.* c. 27. b *Ibid.* c. 34.

dere coëgerunt a, redditis tamen omnibus, quae sine cujusquam injuria habebant. Verum ita vacuus cura Istricum bellum moliri coepit; de quo paulo post videbimus: jam enim melius videtur, ut uno contextu bellum cum Liguribus persequamur, donec rerum series & temporis nos ad alius libri initium perduxerit.

§. 5. *Ejusdem belli continuatio.*

A. U. 571. §. V. Nam anno rursus Urbis quingentesimo septuagesimo primo provincia Consulibus nulla, praeter Ligures, quae decerneretur, erat b, cum *Q. Fabius*, qui Proconsul Liguriam obtinebat, *Apuanos ad rebellionem spectare*, scripsisset. Consules prospere res gessisse dicuntur c. Sed anno sequente L. Aemilius Paullus, cui ex Consulatu prorogatum imperium erat d, in Ligures *Ingaunos* (habitarunt hi loca maritima, ubi hodie *Albenga* urbs veteris *Albingauni* vestigia servat) exercitum introduxit. Ibi legati pacem petentes ad eum venerunt: &, cum tempore opus esse dicerent, ut suis deditionem, quam petebat Paullus, persuaderent, inducias decem dierum impetra-

A. U. 572.

a *Ibid. c.* 54. b *Liv. L. XL. c.* 1. c *Ibid. c.* 6. d *Ibid. c.* 25.

petrarunt; & simul, ne interea trans montes proximos castris pabulatum lignatumve iretur. Sed statim post eos ipsos montes exercitu omni coacto summa vi castra Romanorum oppugnarunt. Et procul erant auxilia; cum & *Baebius* Proconsul jam exercitum M. *Pinario* Praetori in Sardiniam eunti tradidisset: & Fabius Praetor cum exercitu, qui Marcelli fuerat, adversus Istros profectus esset. Ergo literis Baebii motus Senatus delectum omnibus modis accelerari jubet: sed, praeter alia, impedimento erat pestilens morbus. Aemilius vero, cum literas, quas ad Baebium subsidium petens miserat, interceptas crederet [a], cum suis fortissima eruptione in Ligures pugnavit. Imo castris eos exuit: & triduo omne Ligurum Ingaunorum nomen in deditionem recepit: ac provincia ex sententia confecta de Liguribus Ingaunis triumphavit [b]. Triumphum ejus secuti sunt Ligurum legati pacem perpetuam humillime quidem orantes: sed cum exprobratione inconstantiae ad Consules a Senatu rejecti sunt. Ita pax

Ibid. c. 27. b *Ibid. c.* 34.

pax in Liguribus fuit. Sed diuturnam esse non siverunt *P. Cornelius* & M. Baebius, qui prorogato imperio Ligures obtinebant: verum, licet nullum bellum esset, improviso eos oppresserunt; hominumque ad duodecim millia ex montibus in agros campestres procul ab domo deduxerunt, consulto tamen prius Senatu: iisque sedes, ager publicus in Samnitibus Populi Romani, datae sunt: quibus anno sequente alii etiam ex popularibus additi [a]. Et saepe hoc apud veteres factum est, ut gentibus victis aliae sedes assignarentur: quemadmodum vel ex S. Scripturae literis docemur, ubi videmus decem tribus Israëlitarum a *Salmanasare* victos in Assyriam deportatos fuisse; & inde alias partes habitatum missos [b]: & diu antea *Josephus Patriarcha*, vel ejus consilio Aegypti Rex *Pharao*, *Aegyptios* ab una extremitate regni ad aliam transtulit [c]. Imo *Rabsake Assyriorum* Regis nomine *Hierosolymam* obsidens [d] *Judaeis*, si sese dedere vellent,

a *Ibid. c.* 38. b II *Reg. XVII.* 6. c *Genes. XLVII.* 21. d II *Reg. XVIII.* 32. *Jesai XXXVI.* 17.

lent, promittit, *Dominum suum eos deducturum esse in terram optimam; & illi, quam colebant, similem:* ut itaque deportationem tanquam rem necessariam, & usu receptam consideret. Similiterque *Pompejus* cum bellum confecisset Piraticum *Cilices* illos praedones longe a mari removit; ut suo loco videbimus. Quin etiam praeterito hoc seculo Rex *Persiae Georgianorum* a se victorum magnam multitudinem locum a patria sua remotum habitandum dedit; ut narrat scriptor fide dignissimus, & fere *αὐτόπτης*, *Petrus della Valle.* Sed revertamur Romam; ubi Proconsules Cornelius & Baebius omnium primi nullo bello gesto triumpharunt.

§. VI. Anno quingentesimo septuagesimo quarto Consules fuerunt *L. Manlius Acidinus* cum *Q. Fulvio Flacco*: quorum hic nomina refero, quod singulari casu fratres germani in consulatu collegae fuerunt [a]: nam prior adoptione ex Fulvia in Manliam gentem transierat [b]. Fulvius exemplum modo laudatum secutus victos & de- *§. 6. Belli hujus continuatio. A. U. 574.*

Mm ditos

a *Fasti Capitolini.* b *Vell. Paterc. L. II. c. 8.*

ditos Ligures ex montibus in campestres agros deduxit; praesidiaque montibus imposuit a. Eodem anno rursus, ut ante quadriennium factum fuerat, Gallos Transalpinos agrum in Italia petentes, ut pacati sub imperio Populi Romani essent, Italia excedere Senatus jussit. Et jam insuper voluit, ut Consul Q. Fulvius quaereret, & animadverteret in eos, qui principes & auctores transcendendi Alpes fuissent: eidemque Senatus gratia, nulla re memorabili gesta, datum ut triumpharet b. Anno sequen-
A.U. 575. te *M. Junium Brutum* Consulem in Liguria res gessisse constat: sed earum narrationem tempus edax rerum nobis eripuit: cum pars libri quadragesimi primi ex historia Liviana ho-
A.U. 576. die desideretur. Verum anno rursus quingentesimo septuagesimo sexto c *C. Claudius* Consul, qui in eo magistratu jam Istros pacaverat, Ligures ad *Scultennam* fluvium (hodie *Panarium*, terminus *Romandiolae* occidentalis) magna clade afficit; & in ipso magistratu de duobus simul populis trium-

a *Liv. XL. c.* 53. b *Ibid. c.* 59. c *Id. L. XLI. c.* 12.

triumphavit. Ligures vero, cum consularem exercitum Romam abductum a, legionem etiam ab *Ti. Claudio* Proconsule dimissam vidissent (hic Praetor praecedente anno cum Proconsulari imperio Pisas profectus fuerat) metu soluti Mutinam coloniam repentino impetu ceperunt: sed anno statim sequente C. Claudius Pulcher Proconsul eam ab hoste recepit; octo etiam millibus Ligurum ibi intra muros caesis b. At Ligures praesidio magis se, quam armis, adversus infeliciter expertam vim defensuri duos montes c *Letum* & *Balistam* ceperunt, munieruntque. Ibi *Q. Petillius Spurinus* Consul, dum milites pro concione adhortatur, immemor ambiguitatis verbi ominatus fertur, *se eo die Letum capturum esse* d: ac inconsideratius praeliando fortuitum jactum vocis *leto* suo confirmavit. Senatus tamen, neque stipendium anni procedere, neque aera dari voluit; quia pro salute Imperatoris hostium telis se non obtulerant e. Videtur tamen col- *A. U. 577.*

 lega

a *Ibid. c.* 14. b *Ibid. c.* 16. c *Ibid. c.* 18. d *Val. Max. L. I. c.* 5. *n.* 9. e *L. II. c.* 7. *n.* 15. *Frontin. Strat. L. IV. c.* 1. *f.*

lega Petillii *C. Valerius Laevinus*, qui Consuli *Cn. Cornelio Scipioni Hispallo* in magistratu mortuo suffectus fuerat, eodem anno de Liguribus triumphasse: cum denarii exstent ejus nomen inscriptum habentes; in quibus Jupiter quadrigis triumphalibus insistens conspicitur a. Sed Livius tristi fato & barbarorum temporum pernicie mutilus hic est, & lacunis plenus: ita ut etiam de historia anni sequentis nihil aliud constet, sive ex Livio, sive ex fragmentis fastorum triumphalium, quam utrumque Consulem contra Ligures res bene gessisse; & propterea triumphantes Urbem intrasse: quorum alter fuit *M. Aemilius Lepidus*, quem quosdam Ligurum populos in plana deduxisse ex fragmentis historiae Livianae deprehenditur. Alter *P. Mucius Scaevola* cum iis, qui *Lunam* Pisasque depopulati fuerant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis arma ademit b. *Vaillantius* c etiam maritimo bello ab eo superatos Ligures putat ex denario, qui caput Neptuni laureatum, &

a *Pigh. Ann. ad h. ann. Vaillant. G. Valeria n.* 18. b *Liv. L. XLI. c.* 19. c *G. Mucia n.* 1.

& ex altera parte eundem Neptunum quadrigis decurrentibus insistentem, ac in imo proram navis refert cum inscriptione *P. Scaevula Q. F.* Sed idem Vaillantius *eodem opere de familiis Rom.* in *Gente Cornelia num. 7.* & alibi me docuerat, quadrigas tum tantum triumphum denotare, si lento passu graderentur: quae vix concilio. Pighius etiam quadrigas triumphales, & ab altera parte Neptunum, in nummo hujus Scaevolae conspici dicit; atque inde similiter conjicit, maritimo bello etiam Ligures domuisse: cum quoque superioris anni Consul Valerius Duumviros navales cum classe Ligurum oram circumvectare jusserit [a]. Anno qningentesimo octogesimo rursus utrique Consuli Ligu- *A.U.* 580
res decretos invenio [b]; & a *M. Popillio Laenate* Consule arduo praelio, nec incruento superatos *Statiellates* Ligurum populos [c]. Atque ille arma omnibus ademit; oppidum diruit; ipsos, bonaque eorum vendidit. Atrox haec res Senatui visa est; „ Statiellates, qui uni ex Ligurum

 „ gente

a *Liv. d. l. c.* 17. b *Id. L. XLII. c.* 1.
c *Ibid. c.* 7.

„ gente non tulissent arma adversus „ Romanos, deditos in fidem Populi R. omni ultimae crudelitatis „ exemplo laceratos ac deletos esse. Ergo decreverunt, „ ut Popillius „ Consul Ligures, pretio emptoribus reddito, restitueret in libertatem; bona, armaque ut iis, quicquid ejus recuperari possit, redderentur, curaret a. " Verum tantum abfuit, ut Senatui paruerit Consul, ut Romam reversus Senatusconsultum tolli, & supplicationem sibi decerni petierit; & neutra re impetrata in provinciam redierit. Urgen-
A.U.581. te tamen Senatu principio anni sequentis (quo anno primum ambo Consules de plebe facti sunt b) Consul *P. Aelius Ligus* de Senatusconsulto illo renovando referebat: sed cum collega ejus *C. Popillius* & collegam & Senatum pro fratre deprecaretur, pra se ferens, „ si quid decerneret, „ intercessurum, " collegam deterruit. Aucta etiam est invidia c M. Popillii literis, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus Proconsul pugnasse

a *Ibid. c. 9.* b *Fasti Capitol.* c *Ibid. c. 21.*

gnasse se scripsit; ac *sedecim* [a] *millia* eorum occidisse. Ergo *M.* & *Q. Marciis* Tribunis rogantibus Senatu jubente, *C. Licinius* Praetor Urbanus quaerere & animadvertere jussus est, *qui ex Statiellatibus deditis in libertatem restitututus ante Kal. Sextileis primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset.* Cumque Popillius Romam reverti non auderet, plebiscito jussus est Praetor de absente eo statuere & judicare. Hoc tractus vinculo cum rediisset, multa millia hominum in libertatem restituta sunt; traductisque Padum ager est assignatus. Gratia tamen Popilliae gentis rogatio de Liguribus arte fallaci discussa est. Ita aliquanto tempore a bello cessatum; vel nihil certe memoria dignum cum Liguribus gestum est.

§. VII. Vidimus supra hujus cap. §. 5. Fabium Praetorem jam anno Urbis 572. adversus Istros profectum fuisse. Caussa proficiscendi fuit, quod coloniam Aquilejam deduci Istri prohiberent [b]: eodemque anno *L. Duronio*, qui Praetor Apuliam obtine- *§. 7. De bello Istrico.*

 bat,

a *ita lego cum Cl. Perizonio.* b *Liv. L. XL. c.* 26.

bat, Iſtri adjecti ſunt [a]; quod agros maritimos infeſtos transmaritimarum navium latrociniis Tarentini Brunduſinique nunciabant. Duronius vero ex Illyrico reverſus latrocinii omnis maritimi cauſſam in Regem Illyriorum Gentium avertit [b]. Verum anno quingenteſimo ſeptuageſimo quinto Iſtris, ſive Hiſtris (extremam partem Italiae Illyricum verſus incolebant) bellum intulit *A. Manlius Vulſo* inconſulto Senatu; illudque ſumma temeritate gerens caſtris ab Iſtris exuitu [c]. At cum Iſtri omnium rerum paratam expoſitamque copiam & ſtratos in caſtris lectos inveniſſent, (nam temere Romani fuga deſeruerant caſtra) accubantes epulari coeperunt. Interea vero collectis animis Romani ad caſtra revertuntur: Iſtrorum plurimos vino ſomnoque merſos opprimunt [d]: Rex eorum temulentus, & raptim vix equis impoſitus fuga evaſit. Majorem etiam, quam pro periculo terrorem Romae fecerunt *Gavillii* fratres, qui ab Aquileja cum commeatu venientes, & prope in Iſtros illapſi omnia terrore impleverunt;

a *Ibid. c.* 18. b *Ibid. c.* 42. c *Id. L. XLI. c.* 2. d *Ibid. c.* 4.

runt; ita ut ſtatim dilectus extra ordinem ubique indiceretur: ſed audita Iſtrorum ſtrage ſtatim, qui conſcripti erant, dimiſſi ſunt. Et anno ſequente M. Junius & Q. Manlius, qui jam Proconſules Aquilejam Iſtroſque obtinebant a, armis eos ad pacem petendam adegerunt. At C. Claudius Conſul veritus, ne ita provincia exercituſque ſibi adimerentur, praeceps in provinciam abiit, nulla re ſervata earum, quae more majorum ſervari ſolebant. Verum a militibus ſpretus Romam rediit, legitimiſque peractis aeque ac prius praecipiti celeritate profectus eſt. Ibi *Neſartium* oppidum, quo ſe principes Iſtrorum & regulus ipſe receperant, ſumma vi Junius Manliuſque oppugnabant. Adveniens Claudius amnem moenia praeterfluentem avertendo oppidum cepit. Rex trajecit ferro pectus: reliqui aut capti, aut occiſi ſunt. Duo inde oppida *Mutila* & *Faveria* vi capta & deleta. Itaque Iſtria tota pacata eſt: ſed an tum provincia facta ſit, an demum A. 625. dubitatur. V. Sigon. *de ant. jure Ital. L. III. c.* 51. *A.U.* 576.

Mm 5 §. VIII.

a *Liv. L. XLI. c.* 10.

§. 8. *Bella cum Sardis & Corsis.* *A. U.* 571. §. VIII. Anno Urbis quingentesimo septuagesimo primo *Ilienses*, Sardiniae populus, bellum concitare coeperunt a, gens pertinacissima, quippe quam ne suo quidem tempore satis pacatam dicat Livius. Simul etiam defecerant Corsi. Sed in utraque tamen Insula feliciter a *M. Pinario* Praetore anno sequente pugnatum est.

A. U. 575. Sed anno rursus quingentesimo septuagesimo quinto *T. Aebutius* Praetor magnum tumultum esse in Sardinia ad Senatum scripsit; nec eis invalido exercitu, & magna parte pestilentia absumpto resisti posse b. Itaque anno sequente propter magnitudinem belli consularis provincia facta Sardinia Ti. Sempronio Graccho obvenit c, adjutorem tamen Aebutium habenti d. Gracchus & Consul, & anno quingentesimo septuagesimo septimo Proconsul multis secundis praeliis

A. U. 578. Sardos perdomuit: & anno sequente illustrem de iis triumphum egit: tantumque captivorum secum abduxit, ut juxta quosdam, nam alii, ut dictum est, ad hujus avum referunt, inde

a *Liv. L. XL. c.* 19. & 34. b *Id. L. XLI. c.* 6. c *Ibid. c.* 9. d *Ibid. c.* 15.

inde *Sardi venales, alius alio nequior*, proverbium de re vilissima dici coeperit [a]. Ipse Gracchus in tabula, quam cum indice rerum a se gestarum in aede Matris *Matutae* posuit, dicit, *a se in ea provincia hostium caesa, aut capta supra octoginta millia.* In Corsica *M. Atilium* Praetorem res gessisse anno quingentesimo septuagesimo nono videmus ex Livii *L. XLI. c.* 21. Atque anno sequente septem *A.U.* 580. millibus Corsorum caesis eam insulam pacavit [b]; postulatoque frustra triumpho in monte Albano triumphavit [c].

§. IX. Diximus *L. IV. c.* 2. §. 10. *§. 9. De bello Hispanico.* post A. U. 558. plurimis annis continua fere bella in Hispania fuisse; quae, tamen omnia non memoranda forent. Praecipua tamen narranda sunt. Vidimus ergo eo loco M. Porcium Catonem bellis in Hispania confectis triumphasse; quod factum est A. U. 559. At non ita pacata erat provincia,

a *Vid. Cic. Fam. L. VII. n.* 24. *Sex. Aur. Vict. & omn. Gron. de pec. vet. L. IV. c.* 10. *qui neque Plut. Romulo p. m.* 33. *neque Erasm. ad. Ch. I. Cent. VI. n.* 5. *satis bene hoc adagium cepisse docet.* b *Liv. L. XLII. c.* 7. c *Ibid. c.* 21.

vincia, quin confestim eodem anno *Sex. Digitius* Praetor praeliis quidem non magnis, sed creberrimis adeo afflictus fuerit, ut vix dimidium militum successori traderet [a]: imo poene omnem exercitum amisisse scribit Orosius *L. IV. c.* 20. omnisque Hispania animos sustulisset, ni alter Praetor *P. Cornelius Cnei F. Scipio Nasica* multa trans Iberum secunda praelia fecisset. Idem caesis magno praelio Lusitanis opulentum praeda exercitum reduxit. (Hic ille est Scipio, qui anno Urbis quingentesimo quadragesimo nono adolescens nondum quaestorius in tota civitate *vir bonorum optimus* judicatus fuerat [b]: atque ita ex responso Delphici oraculi dignus habitus, qni Matrem Deorum hospitio exciperet; ut jam *Supr. L. IV. c.* 1. §. 50. dictum fuit.) Anno Urbis 560 a *C. Flaminio* Praetore in citeriore Hispania praelia aliquot, nec sine militum jactura, sunt facta; oppidumque *Ilucia* in *Oretanis* captum [c]. Majores res gessit *M. Fulvius*, qui Praetor ulteriorem Hispaniam sortitus

a *Liv. L. XXXV. c.* 1. b *Id. L. XXIX. c.* 11. & 14. c *Id. L. XXXV. c.* 7.

tus fuerat, fuso Hispanorum exercitu; & capto Rege eorum *Hilermo.* *A.U.* 561.
Sed anno sequente, cum ob bellum cum Antiocho Rege exortum imperium ipsis prorogatum esset [a], majore prosperitate res gesserunt, caesis aliquoties hostibus, pluribusque urbibus captis. Verum anno quingentesimo sexagesimo tertio laetitiam Ro- *A.U.* 563.
manorum ob victum in Graecia Antiochum minuit nuncius ex Hispania de adversa pugna pugnata ductu *L. Aemilii Paulli*, (idem est, qui postea Regem Persea magna gloria vicit [b]) qui anno praecedente Praetor cum Proconsulari imperio in provinciam profectus fuerat [c]: idem tamen anno sequente victoria de Lusitanis *A.U.* 564.
parta tranquilliores res in Hispania fecit [d]: opportune quidem, cum per eos dies *L. Baebius* Praetor in provinciam Hispaniam proficiscens ab Liguribus circumventus, magna parte comitum caesa, vulneratus ipse Massiliae intra triduum exspirasset. Lusitanos iterum A. U. 567. a *C. Atinio* *A.U.* 567.
Praetore victos & *Astam* urbem captam

a *Ibid.* c. 22. b *Id. L. XXXVII.* c. 57.
c *Ibid.* c. 46. d *Ibid.* c. 57.

vincia, quin confestim eodem anno *Sex. Digitius* Praetor praeliis quidem non magnis, sed creberrimis adeo afflictus fuerit, ut vix dimidium militum successori traderet a: imo poene omnem exercitum amisisse scribit Orosius *L. IV. c.* 20. omnisque Hispania animos sustulisset, ni alter Praetor *P. Cornelius Cnei F. Scipio Nasica* multa trans Iberum secunda praelia fecisset. Idem caesis magno praelio Lusitanis opulentum praeda exercitum reduxit. (Hic ille est Scipio, qui anno Urbis quingentesimo quadragesimo nono adolescens nondum quaestorius in tota civitate *vir bonorum optimus* judicatus fuerat b: atque ita ex responso Delphici oraculi dignus habitus, qni Matrem Deorum hospitio exciperet; ut jam *Supr. L. IV. c.* 1. §. 50. dictum fuit.) Anno Urbis 560 a *C. Flaminio* Praetore in citeriore Hispania praelia aliquot, nec sine militum jactura, sunt facta; oppidumque *Ilucia* in *Oretanis* captum c. Majores res gessit *M. Fulvius*, qui Praetor ulteriorem Hispaniam sortitus

a *Liv. L. XXXV. c.* 1. b *Id. L. XXIX. c.* 11. & 14. c *Id. L. XXXV. c.* 7.

tus fuerat, fuso Hispanorum exerci-
tu; & capto Rege eorum *Hilermo.* *A.U.* 561.
Sed anno sequente, cum ob bellum
cum Antiocho Rege exortum impe-
rium ipsis prorogatum esset [a], majo-
re prosperitate res gesserunt, caesis
aliquoties hostibus, pluribusque urbi-
bus captis. Verum anno quingentesi- *A.U.* 563.
mo sexagesimo tertio laetitiam Ro-
manorum ob victum in Graecia An-
tiochum minuit nuncius ex Hispania
de adversa pugna pugnata ductu *L.*
Aemilii Paulli, (idem est, qui po-
stea Regem Persea magna gloria vi-
cit [b]) qui anno praecedente Praetor
cum Proconsulari imperio in provin-
ciam profectus fuerat [c]: idem tamen
anno sequente victoria de Lusitanis *A.U.* 564.
parta tranquilliores res in Hispania fe-
cit [d]: opportune quidem, cum per
eos dies *L. Baebius* Praetor in provin-
ciam Hispaniam proficiscens ab Ligu-
ribus circumventus, magna parte co-
mitum caesa, vulneratus ipse Massi-
liae intra triduum exspirasset. Lusita-
nos iterum A. U. 567. a *C. Atinio* *A.U.* 567.
Praetore victos & *Astam* urbem ca-
ptam

a *Ibid. c.* 22. b *Id. L. XXXVII. c.* 57.
c *Ibid. c.* 46. d *Ibid. c.* 57.

ptam refert Livius [a]; in cujus tamen oppugnatione Atinius, dum incautius subit muros, ictus ex vulnere post paucos dies moritur. Sed in citeriore Hispania tanta victoria potitus est L. Manlius Acidinus, ut nisi successor adventu suo inhibuisset impetum victoris, subacti Celtiberi forent.
A. U. 568. Hac caussa anno sequenti ovans Urbem iniit; cum more majorum ita comparatum esset, *ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatamque provinciam successori tradidisset* [b]. Eodem anno *Calpurnius* & *Quinctius* Propraetores communi animo consilioque res gesturi magno praelio funduntur, amissis etiam castris. Sed brevi tempore refectis viribus ad ripam *Tagi* ingenti hostium, minimo suorum damno pu-
A. U. 571. gnant. Uterque anno sequente triumphavit [c]. Anno quingentesimo septuagesimo primo Q. Fulvius Flaccus in citeriore Hispania *Urbicuam* oppidum cepit, & diripuit [d]; licet pluribus praeliis eum interea Celtiberi adorirentur. Anno sequente, cum ma-

jus

a *L. XXXIX. c. 21.* b *Ibid. c. 29.* c *Ibid. c. 42.* d *Id. L. XL. c. 16.*

jus bellum in Hispania ortum esset a, virtute & prudentia Flacci uno praelio, eoque gravi, commisso rursus superior fuit res Romana, magisque coaluit, postquam etiam altero praelio fusis Celtiberis *Contrebia* quoque urbe potitus est: ita ut maxima pars Celtiberorum in deditionem venerit. Et in ulteriore Hispania *Manlius* Praetor secunda aliquot praelia cum Lusitanis fecit. Sed A. U. 573. magna clades accepta foret in saltu *Manliano*, per quem Fulvius exercitum Tarraconem ad successorem suum Gracchum adducebat b, nisi equitum fortitudine cuneus, quo impressionem in legiones faciebant barbari, disjectus fuisset. Fulvius cum Romam venisset, & cum fratre suo Manlio c Consul factus nobilem triumphum duxit d. Gracchus exercitum per provinciam circumducendo e plurimas urbes (ultra centum dicit Livius, 300. dixerat Polybius a Posidonio eo nomine notatus f) in deditionem accepit. At quidam auctores sunt g, deditionem haud *A. U.* 573.

a *Ibid. c.* 36. b *Ibid. c.* 39. c *Vid. Supr.* §. 6. d *Ibid. c.* 43. e *Ibid. c.* 47. *sqq.* f *Strabo L. III. n.* 263. g *Ibid. c.* 50.

haud cum fide factam; magno statim rursus praelio & dubio eventu cum Celtiberis pugnatum: sed tertio inde die haud dubie victos Celtiberos; inde debellatum, veramque pacem Celtiberos fecisse. Videmus tamen ex *epitome Liviana quadragesima prima*, etiam postea Gracchum Celtiberos victos in deditionem accepisse; & *Gracchurim* oppidum in Hispania constituisse, operum suorum monimentum. Tum etiam *Postumium Albinum* Proconsulem Vaccaeos & Lusitanos

A.U. 577. sublegisse: utrumque etiam triumphasse narrat Livius *L. XLI. c. 7.* Et aliquandiu quietae videntur fuisse Hispaniae, donec sub adventum *Ap. Clau-*

A.U. 578. *dii Centhonis* Praetoris anno Urbis 578. rebellarunt: sed uno praelio cum iis debellatum fuit; iterumque a bello cessatum a.

§. 10. *Domestica quaedam.* §. X. Quod horum temporum res domesticas attinet, duo maxime memoranda veniunt: quorum primum

Censura Catonis & Valerii Flacci. est Censura anno Urbis quingentesimo sexagesimo nono a L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone, qui etiam in consulatu collegae fuerant, gesta:

a *Liv. L. XLI. c. 26.*

gesta: a qua hic apud posteros *Censorii* cognomen meruit; quod illa potestate severissime usus fuit: ita ut simultates inde contractae per omnem vitam eum exercuerint a: ob quam severitatem *apud inferos etiam jura piis dare* a Virgilio fingitur b. Et *Catonis* appellatio postea pro *severo morum censore & rigido virtutis cultore*, sumi coepit c; praesertim cum etiam pronepos ejus *Cato minor*, vel *Uticensis* distinguendi caussa dictus, similibus fere moribus fuerit d. Et fuit praeterea multis & egregiis animi dotibus praeditus, *idemque historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus* e. Plurimae ejus exstiterunt orationes: nam, ut de eo Plin. Hist. Nat. *L. VII. c.* 27. existimatus est *optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator*. Reliquit etiam *septem libros Originum*, in quibus res gestas Romanorum & Italiae origines prosecutus est f; quos uti-

 nam

a *Liv. L. XXXIX. c.* 44. b *Aen. L. VIII. v.* 670. c *Horat. Epist. L. I. n.* 19. *v.* 13. *Martial. L. XI. n.* 2. *Juven. S. XI. v.* 90. d *Id. S. III. v.* 40. e *Quintil. Inst. L. XII. c. ult.* f *Nepos ejus vita.*

nam jactura lascivorum aliquot poëtarum, nugaciumque scriptorum redimere possemus. Virtutes tamen ejus nequaquam ad normam rectae rationis, multo minus Christianae perfectionis fuerint exigendae: quod vel sola ejus duritia probet, qua erga servos suos usum esse testatur Plutarchus a: quos, ubi consenuissent, venundandos putabat, neque alendos inutiles: ita ut merito *Augustinus adv. Julianum L. IV. c. 3.* gentilium virtutes vocet, *virtutes civiles non veras; sed verisimiles* b. Memorandum tamen etiam est; quod Plinius *loco prox. cit.* refert, *Catonem quater & quadragies caussam dixisse: nec quemquam saepius postulatum, & semper absolutum.*

Conjurationes occasione Bacchanalium. *A.U.* 567. Alterum, quod hic referendum erat; fuit horrenda conjuratio eorum, qui sacris *Bacchi* initiati erant, quae aperta est c anno Urbis quingentesimo sexagesimo septimo. Occasio ejus rei detegendae haec fuit. *Publius* fuit

Aebu-

a *ejus vita p. m.* 338. b *Vid. Jo. Ger. Vossii Disput. Theol. XXVI. quae est de virt. & vitiis gentilium: & ejusd. Hist. Pelag. L. III. P. 11. antithesi* 10. *& tota parte III.* c *Liv. L. XXXIX. c.* 8.

Aebutius equitis Romani filius, qui ſub tutela *Duroniae* matris & vitrici *Ti. Sempronii Rutili* educatus fuerat. Hunc vitricus, quia tutelam ita geſſerat, ut rationem reddere non poſſet, aut tolli, aut obnoxium ſibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Ergo ſpecie voti pro aegro filio ſuſcepti perſuadent, *ut Bacchis initiari ſe pateretur.* Conſilium parentum adoleſcens *Hiſpalae Feceniae* libertinae, cum qua conſueverat, indicat: illa rem deteſtata, *ſe ancillam dominiae comitem id ſacrarium intraſſe* refert, horrenda ſimul addens facinora, quae ibi committebantur: neque ante dimiſit adoleſcentem, quam fidem dedit, ab his ſacris ſe temperaturum. Sed hanc ob cauſſam a matre & vitrico domo exactus rem ad amitam Aebutiam, & ex ejus auctoritate ad Conſulem *Poſtumium* defert [a]. Hic, cum etiam ex Hiſpala totius rei ordinem, ſceluſque & multitudinem ingentem, quae horum ſacrorum conſcia eſſet, intellexiſſet totam rem in Senatu explicat. Ibi Patres ingens terror cepit [b], quum publico nomine, ne quid eae

a *Ibid.* c. 11. *Ibid.* c. 14.

conjurationes coetusque nocturni fraudis occultae, aut periculi importarent: tum privatim suorum quisque vicem; ne quis affinis ei noxae esset. Cum vero Consuli gratias agendas censuisset, Senatus decrevit, *ut Consules quaestionem de his haberent, qui coissent conjurassentve, quo stuprum, flagitiumve inferretur.* Neque enim stupra solum promiscua ingenuorum, foeminarumque erant: sed falsi testes, falsa signa testimoniaque & indicia ex eadem officina exibant. Venena indidem, intestinaeque caedes. Igitur Consules per Aediles curules sacerdotes ejus sacri omnes conquiri, comprehendique imperarunt. Aediles plebis, *videre, ne qua sacra in aperto fierent.* Inde, cum securitati Urbis, quantum fieri poterat, providissent, concione advocata etiam Populo rem notam fecerunt. Hinc magna, Urbe tota non tantum, sed passim per totam Italiam trepidatio & fuga a. Multi fugientes reducti sunt: multorum nomina delata: quidam ex iis viri feminaeque mortem sibi consciverunt. Qui conjuratorum earum rerum

a. *Ibid. c.* 17.

rum nullam, in quas jurejurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant: qui stupris aut caedibus violati erant, qui falsis testimoniis, signis adulterinis, subjectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali poena afficiebant. Plures necati, quam in vincula conjecti sunt. Inde Romae primum, deinde per totam Italiam Bacchanalia diruta: & sacrificium illud abolitum; nisi si quis sine piaculo se id omittere non posse (nam talia sacra privata veteres habebant, quae etiam haeredes sequebantur a) apud Praetorem Urbanum profiteretur; id sacrum fieri posse, dum ne plus quinque sacrificio interessent. Impunitas denique & praemia indicibus sunt constituta b.

a *Cic. de LL. L. II. c. 9.* b *Liv. d. l. c. 19*

LIBER QUINTUS

CAPUT QUINTUM.

Bellum Persicum, sive cum Perseo Macedonum Rege.

§. 1. Semina hujus belli sub Philippo.

§. I. Hujus belli initia jam a Philippo Persei patre inchoata fuerunt, licet post Antiochinum Romani magna indulgentia erga eum usi fuissent remittendo filium Demetrium, qui Romae obses fuerat [a]. Cum vero ex universa Graecia, & ab Eumene Rege legati Romam venissent de variis rebus Philippum accusaturi [b], ipse Demetrium filium, qui ad omnes criminationes responderet, Romam misit [c], tempus praeterea ea ratione lucrari studens. Senatus respondit, ,, de omnibus, quae ,, vel dixisset, vel legisset " (commentarium a patre sibi traditum in Senatu legerat [d]) ,, ad patris excusa- ,, tio-

A.U. 570.

a *Polyb. exc. leg. n.* 15. *Liv. L. XXXIX. c.* 46. b *Polyb. d. l. n.* 46. *Liv. Ibid. c.* 24. c *Ibid. c.* 35. d *Ibid. c.* 47.

„ tionem Demetrius, Senatum ipsi
„ credere [a]; & confidere patrem e-
„ jus omnia ut aequum justumque
„ esset, fecisse & facturum esse: mis-
„ suros esse Patres legatos ad visen-
„ dum an ex voluntate Senatus cun-
„ cta administrentur: simul ut Regi
„ significent, propter Demetrium
„ hanc ipsi veniam esse indultam."
Sed hic favor Romanorum & adolescentis animum inani spe sustulit [b]; & fratrem ejus Persea, patremque Philippum graviter offendit [c]. Maxime etiam Philippum angebat; quod, quum victo leges imponerentur, qui Macedonum ab se defecerant in bello, in eos jus saeviendi ademptum ei a Senatu erat [d]. Tum, quod ab oppugnatione Lamiae abscedere jussus erat, Romanis id oppidum in deditionem accipientibus [e]: quodque ex *Thessaliae*, *Athamaniae*, Thraciae quibusdam locis praesidia deducere cogeretur [f]. Huic fini, dum a bellis quietus est [g], opus regni omnibus modis

 auge-

a *Polyb. l. d. p. m.* 1196. b *Liv. d. l. c.* 53. c *Polyb. d. l. n.* 50. d *Ibid. c.* 39. e *Ibid.* & *L. XXXVI. c.* 25. f *Ibid. L. XXXIX. c.* 25. 29. 34. g *Ibid. c.* 24.

augere ſtuduerat; vectigalia auxerat; metalla & vetera incoluerat, & nova inſtituerat, ſubditos educare liberos coëgerat; Thracum in Macedoniam magnam multitudinem traduxerat. Eaque fiducia jam audacius agere coepit; & omnibus civitatibus, quibus Praeſidia deducere debebat infenſus in *Maronitas* iram effundit; magnamque per praefectos ſuos eorum caedem fecit. *Iſtri* quoque fluvii accolas barbaros ſollicitavit; ut in Italiam irrumperent [a]. Interea legati cum Demetrio in Macedoniam advenerant; eique, ut pacis auctori, a vulgo Macedonum, ſpe haud dubia, regnum poſt mortem patris deſtinabatur [b]: qui eo praeterea gratior erat, quod juſta matrefamilias ortus inſignem Philippi ſimilitudinem ſprae ſe ferret; cum Perſeus publice ortus nullam certi patris notam haberet. Cum eo accederet favor Romanorum, non in fratris; ſed etiam patris, ut dictum eſt, invidiam incurrit: qui tamen omnia obedienter erga Romanos faciebat, ne quam movendi extemplo belli cauſſam praeberet: &, ut etiam magis animos

a *Ibid.* c. 35. b *Ibid.* c. 53.

mos a suspicione talium consiliorum abduceret, mediam in Thraciam exercitum duxit. Sed Marcius [a], qui ad res Graeciae Macedoniaeque visendas missus fuerat, scripserat, „ ita „ fecisse eum, quae Senatui placuissent, ut facile appareret, non diutius, quam necesse esset, facturum, „ omniaque, quae tunc ageret, diceretque ad rebellionem spectare. " Quin Demetrius Philippi filius [b], quod in Romanos propensior videretur, accusante etiam fratre Perseo, quasi sibi insidiae a Demetrio essent structae, & falsas literas tanquam a T. Quinctio ad Demetrium datas fingente [c], patris jussu interfectus creditur. Sed veritatem haud ita multo post edoctus est ab *Antigono Echecratis* filio, cujus patruus *Antigonus* tutor Philippi fuerat [d]: itaque Perseus certior factus, omnia detecta esse [e], licet potentior esset, quam ut fugam necessariam duceret, tamen ut procul abesset, curabat. Philippus omni veritate intellecta regnum *A. U.* 572.

a *Id. L. XL. c.* 2. & 3. b *Ibid. c.* 5. *Polyb. exc. leg. n.* 51. c *Liv. d. l. c.* 23. & 54. d *Liv. c.* 54. e *Ibid. c.* 56.

Antigono relinquere conatus eſt: ſed prius aegritudine animi deceſſit: cum jam *Baſtarnas*, *Germanicam* dubium an *Sarmaticam* gentem, excitaſſet, quos per *Scordiſcos* ad Italiam populandam mittere poſſet. Sed hoc paulo ante jam tetigimus.

§. 2. Praeparatio belli a Perſeo facta. *A.U.* 575.

§. II. Perſeus regno potitus, dum res firmaret, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam petendumque, ut Rex ab Senatu appellaretur, miſit. Idque anno ſequente factum eſt [a]. Non ceſſavit tamen Baſtarnas etiam in Romanos ſollicitare [b]: & legatos Carthaginem ad foedus cum Poenis clam faciendum miſit; quibus noctu a Carthaginienſibus Senatus datus eſt [c]. Graecarum quoque civitatium animos ſibi conciliare ſtatuit [d], & maxime Acheos Macedonibus infenſiſſimos. Apud Boeotos etiam plurimi ipſi faverant: ſed praevaluerunt tamen Romani, & ipſa *Boeoticarum* gentium ſocietas diſſoluta eſt [e]; licet etiam ſic civitates quaedam

a *Liv. L. XLV. c.* 9. b *Vid. eund. L. XLI. c.* 19. *Polyb. exc. leg. n.* 62. c *Liv. d. l. c.* 22. d *Id. L. XLII. c.* 5. e *Polyb. Ibid. n.* 63. *Liv. d. l. c.* 38. & *c.* 43. 47.

dam in amicitia Persei perstiterint a. Adhaec Rhodiorum civitatem a Romanis abducere, sed eo quidem tempore frustra, conatus est b. Quae cum Romani intellexissent rursus quinque legati ad Regem sunt missi, qui res in Macedonia adspicerent c. Interea Eumenes Asiae Rex (alii *Attalum* Regis Eumenis fratrem Romam legatum venisse dicunt) Romam profectus d Persei apparatus bellicos Senatui indicavit: injuriasque ab eodem sociis Romanorum illatas addidit e. Atque ita aures animosque praeoccupavit, ut deprecatio legatorum Persei a Senatu respueretur: cum praesertim etiam *Harpalus* legationis princeps paulo audacius in Senatu dixisset, *Regem, si pervicacius caussam belli quaeri videat, forti animo defensurum se. Martem communem esse, & incertum eventum belli.* Eumeni contra omnes honores habiti, donaque etiam amplissima data. Ergo merito ante omnes Eumeni infestus erat Perseus f: eumque, ut sacrificaret Apollini Delphos

a *Ibid. n.* 66. *Liv. L.* XLII. *c.* 5. & 46. b *Polyb. Ibid. n.* 67. c *Liv. Ibid. c.* 6. d *Ibid. c.* 11. e *Ibid. c.* 13. f *Ibid. c.* 15.

phos ascendentem parum abfuit, quin ex insidiis interfecerit. Denique, cum etiam *C. Valerius*, qui ad speculanda consilia Persei inter quinque istos, de quibus diximus, legatos fuerat, congruentia omnia criminibus ab Eumene allatis retulisset a, & *L. Rammius* Brundisinus, qui duces & legatos Romanorum hospitio excipere consueverat, *sollicitatum se esse a Rege, ut quibusdam ex iis venenum dari curaret*, dixisset; & legati circa socios Reges missi, *etiam eos sollicitatos esse*, affirmarent b, *hostis esse Perseus* judicatus est c: statimque conscripti milites, qui maritimas Epiri urbes occuparent, ubi Consul, cui Macedonia provincia evenisset, classem tuto appellere posset d.

§. 3. *Consilia tamen de pace utrimque inita, &c. A. U.* 582.

§. III. Ergo anno Urbis quingentesimo octogesimo primo C. Licinio Crasso Praetori Urbano negotium datum est e ut classem, socios navales, & alia ad bellum necessaria pararet: & anno sequente *P. Licinio Crasso* Consuli Macedonia provincia sorte obtigit f. Sed etiam interea legati a Rege Perseo

a *Ibid. c.* 17. b *Ibid. c.* 26. c *Ibid. c.* 18.
d *Vid. Ibid. c.* 36. e *Ibid. c.* 27. f *Ibid. c.* 32.

ſeo venerunt, *Mirari Perſea Regem*, dicentes, *quad in Macedoniam exercitus tranſportati eſſent* a. *Si impetrari a Senatu poſſet, ut ii revocentur, Regem de injuriis, ſi quas ſocii factas quererentur, arbitratu Senatus ſatisfacturum eſſe.* Verum cum eodem tempore *Sp. Carvilius* ex Graecia redux legatos coram argueret, „ multa a Perſeo contra foedus facta eſſe, " neque legati ad ea reſpondere poſſent, Italia excedere juſſi ſunt b. Romanorum vero legati in Graecia civitates circumeundo eas in ſocietate Romanorum firmaverunt; &, ut omnia decernerent, quae Romani vellent, fecerunt c: idque eodem tempore ab altera legatione in Aſia praeſtitum eſt d. Inde legati a Perſeo ad legatos Romanorum venerunt petentes, ut Marcius (hic legationis Romanae princeps erat, idemque privato jure paternus Regis hoſpes) in colloquium veniendi poteſtatem faceret. Poſt dies paucos ad conſtitutum locum congreſſi ſunt, plurimaque contra foedus facta objecit Marcius: ſed quae ſatis bene

a *Ibid. c.* 36. b *Polyi. exc. legat. n.* 68.
c *Liv. d. l. c.* 38. d *Ibid. c.* 45.

bene diluisse Rex est visus [a]. Ergo Marcius auctor fuit mittendi Romam legati; cum nullam spem pacis praetermittendam Regi esse censuisset. Idem, licet in speciem gravate & in magnam gratiam petentis, inducias concessit; cum Romani nihil satis paratum ad bellum in praesentia haberent; Perseo vero (ni spes vana pacis occoecasset consilia) omnia praeparata, atque instructa essent: & suo maxime tempore, atque alieno hostibus incipere bellum posset. Nihilominus, quamprimum in Macedoniam sese recepisset Rex legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit: verum eodem simul tempore & Byzantium & Rhodum literas legatis ferendas dedit [b]; quorum tamen opera irrita fere fuit. Legati Romam reversi *nulla re magis gloriati sunt, quam Rege per inducias & spem pacis decepto:* &, licet senioribus nova haec minus placeret sapientia, vicit tamen ea pars Senatus, cui potior utilis, quam honesti cura erat, ut comprobaretur prior legatio Marcii: isque eodem rursus in Graeciam remissus

a *Ibid.* c.41. b *Liv. Ibid.* c.46.

missus est, cetera, uti e Republica maxime visum esset, agere jussus. *Q.* quoque *Atilius* missus, qui Larissam in Thessalia occuparet: & *P. Lentulus*, qui operam daret, ut in potestate esset Boeotia. Legati interim Persei in Senatu auditi sunt a: sed nec defensio eorum, nec deprecatio aequis animis audita est. Et P. Licinius Consul, votis in Capitolio nuncupatis paludatus Urbe profectus est. Perseus quoque spe pacis praecisa, bellum omni ratione paravit b: quod satis erat expeditum; cum & sextus supra vicesimum annus ageretur, ex quo petenti Philippo data pax erat; & per omne id tempus quieta Macedonia fuisset.

§. IV. Ergo egregiis copiis paratis varia Thessaliae *Perrhoebiae*que oppida in deditionem recepit: & si, & loco suo, & tempore obstitisset Rex, ingenti sua cum clade pugnaturi fuissent Romani c; qui jam *Gomphos* Thessaliae urbem pervenerant, magno cum contemptu hostium adeo ignorantium opportunitates suas. A Gomphis Consul Lacrissam duxit; & super

§. 4. Primus belli annus.

a *Ibid. c.* 48. b *Ibid. c.* 51. c *Ibid. c.* 55.

ſuper *Peneum* fluvium caſtra poſuit. Eumenes ibi cum fratribus Attalo atque *Athenaeo* peditum equitumque auxilia ducens ſe Conſuli jungit: quemadmodum etiam ex omnibus undique Graeciae populis auxilia, ſed pleraque parva, convenerunt. Rex, ut Romanos caſtris eliceret, ad vaſtandum agrum *Pheraeorum* (Pelasgorum in Theſſalia oppidum fuit *Pherae*) mittit: &, cum illud non prohibuiſſent Romani, eundum ſibi ad eorum caſtra Rex cenſebat. Ibi levibus primo aliquot pugnis eos laceſſiit [a]; & tandem equeſtri praelio victor [b] debellare potuiſſet, niſi *Evandri* Cretenſis conſilio paruiſſet, qui monebat, *Ne elatus felicitate ſummam rerum temere in non neceſſariam aleam daret. Si contentus bene re geſta quieſſet eo die, vel pacis honeſtae conditionem habiturum; vel plurimos belli ſocios, qui fortunam ſequerentur, ſi bellare mallet.* Sed poſtridie peccaſſe ſe ſenſit Perſeus; cum Romanos trans Peneum in tuto poſuiſſe caſtra animadverteret. Quanquam autem magnos animos haec victo-

a *Ibid. c.* 57. b *Ibid. c.* 59.

victoria Perseo faceret [a], tamen cum jam ferocia ab re bene gesta consedisset [b], ex quorundam amicorum consilio legatos ad Consulem misit, qui *pacem peterent, vectigal, quantum Philippus pactus esset, pollicentes; locisque, quibus Philippus cessisset, primum cessurum.* Sed constantia an pervicacia Romanorum non permisit, ut aliter pacem darent, quam *si de Rege deque universa Macedonia liberum statuendi jus Senatui permitteretur.* Ergo desperata pace iterum castra Romana oppugnat Perseus [c]; & paulo post metentes segetem Romanos invadens mille vehicula, sexcentos ferme homines, capit. Eo successu elatus, licet nihil roboris secum esse sciret, proximum praesidium (erat octingentorum ferme civium Romanorum) adoritur: verum magna cum caede suorum recedere coactus est [d]. Alii dicunt, eo die magno praelio pugnatum nec incruentam Romanis victoriam fuisse, ex quibus supra quatuor millia & trecentos ceciderint. Ea clade perculsus Perseus in Macedoniam copias recepit. Con-

a *Polyb. exc. legat. n.* 69. b *Liv. Ibid. c.* 62. c *Ibid. c.* 64. d *Ibid. c.* 66.

ful locis etiam quibusdam, in Thessalia maxime, captis in hyberna, in Boeotiam, duxit: ubi *C. Lucretius* Praetor *Haliartum* urbem vi ceperat [a], & a fundamentis diruerat, civibus, qui caedi superfuerant, sub corona venditis. Idem Thebas sine certamine receptas iis, qui Romanorum partis erant, tradidit; fautorum Regis familias sub corona vendidit. Sane & ab Consule Licinio & ab Lucretio Praetore crudeliter & avare in Graecia bellatum fuit [b]: & tanta hoc tempore procerum Romae erat iniquitas simul & securitas, ut, cum Lucretius a Tribunis plebis concionibus assiduis laceraretur, *Reipublicae caussa abesse*, excusaretur, qui eo tempore in agro suo Antiati (diei itinere ab Urbe distabat Antium Volscorum urbs; cujus nomen etiamnum durat in promuntorio, quod vulgo *Cabo d'Anzo* dicitur) aquaeductum operosum ex manubiis faciebat; & fanum Aesculapii tabulis pictis ex praeda exornabat.

§. 5. *Secundus belli annus. A. U. 583.*

§. V. Nec minore invidia infamiaque flagravit *L. Hortensius* successor Lucre-

a *Ibid. c.* 63. *Polyb. exc. legat. n.* 98. b *Liv. d. L. XLIII. c.* 4.

Lucretii, querentibus *Abderitarum* ex Thracia legatis [a], *Oppidum suum ab Hortensio direptum esse, principes securi percussos, ceteros sub corona venditos, dum legatos ad Consulem* Hostilium *mitterent conquesturos, quod centum millia denarium, & tritici modium quinquaginta millia sibi ab Hortensio imperata essent.* Senatus Abderitas in libertatem restitui jussit. Etiam Chalcidenses Praetorem Hortensium Lucretiumque accusarunt, *quod socii Populi Romani hostilia omnia ab ipsis passi forent* [b]. Lucretio, qui praesens erat, Tribunis plebis accusantibus, mulcta decem centum millium aeris dicta: Hortensio jussu Senatus scriptum, *ut Chalcidenses in integrum restitueret.* Eodem anno Hostilius Consul *Ap. Claudium* cum copiis quibusdam ad tutelam Illyrici miserat: ad hunc venerunt, qui nunciarent, *Uscana* finium Persei oppido proditione potiri posse. His imprudenter credens Hostilius, & summa negligentia ad Urbem accedens oppidanorum eruptione maximam partem militum amisit, ipse vix fuga elapsus [c]. (Haec quidem Li-

a *Liv. Ibid.* b *Ibid. c. 7.* c *Ibid. c. 10.*

vius *loco cit.* refert: sed Idem *c.* 18. aliud agens, *Uscanam a Perseo vi captam*, narrat, quemadmodum *c.* 21. L. Caelium *legatum ab oppugnatione Uscanae cum multis vulneribus esse repulsum*: quod ceteris praestantissimi Historici hallucinationibus addere potuisset praeclarus ejus Censor Jacobus Perizonius *Animad. Hist. c.* 4.) Perseus certe socordia ducum Romanorum usus multa Illyrici, qua Romanorum erat, loca in ditionem redegit a; sed Aetoliam frustra tentavit b. *Gentium* etiam Illyriorum Regem sollicitavit; verum intempestive pecuniae parcens ad bellum eum impellere non potuit c: quod tamen anno sequente, cum adesse discrimen ultimum belli animadverteret, ab animo suo impetravit trecentis argenti talentis ejus societatem pactus d. Sed cum Gentius ea pecuniae spe legatos jam Romanos violavisset, nihil pecunia opus ad concitandum in Romanos Gentium ratus, cum ille se in belli necessitatem

a *Ibid. c.* 18. b *Ibid. c.* 21. c *Ibid. c.* 20. 23. *Polyb. exc. leg. n.* 76. *sq.* d *Ibid. n.* 85. *Liv. L. XLIX. c.* 23. *App. Alex. in excerpt. L. IX.*

tatem conjeciſſet, miſerum trecentis illis talentis defraudavit [a]. Atque ita, tum Romani, tum Perſeus partes ſuas firmare conabantur. Achaei ad Conſulem anni ſequentis *Marcium* legatos, & inter eos ipſum Polybium, miſerunt [b] ſciſcitaturos, „ quando, & „ ubi Achaeorum auxilia ſuis copiis „ commiſcere vellet : " quo labore & ſumptu eos Conſul levavit; quod perculſo jam Perſeo nihil amplius auxiliis ſociorum opus foret. Rhodii vero, & ad Conſulem [c], & ad *C. Marcium, Figulum* claſſis Praefectum, & denique Romam legatos miſerunt, qui & amicitiam cum Populo Romano renovarent, & accuſationes, quibus onerabantur, diluerent. Utrobique comiter excepti nuncio tamen ſuo animos Rhodiorum varie affecerunt. Sanioribus enim grata Romanorum benignitas accedebat: rerum novarum cupidis animum addebat, quaſi ex conſcientia rerum minus ex animi ſententia Romanis provenientium haec comitas eveniret : praeſertim poſtquam unus legatorum *Ageſipolis*

 priva-

a *Plut. P. Aem. p. m.* 261. b *Polyb. d. l. n.* 78. c *Polyb. Ibid. n.* 80.

privatim a Consule sibi mandatum retulisset, ut ad Senatum Rhodiorum de componenda inter Aegypti & Syriae Reges pace referre vellet: nam inde eliciebant pessimo loco res Romanorum esse, qui metuerent, ne alteruter Rex victor eos bello cum Perseo occupatos invaderet. Et sane legatos Alexandriam ad bellum, quod inter Reges erat, dirimendum miserunt: qua tamen legatione nihil profectum est. Quin etiam rursus ad Romanos & Perseum destinarunt legatos [a], qui peterent †, arrogantissimis quidem verbis [b], ut finis bello imponeretur; cum nempe apud eos factio eorum, qui Regi favebant, praevaluisset. Sed iis demum postquam jam Q. Marcius in Macedoniam penetraverat responsum datum fuit. Nam etiam Perseus, & cum Gentio, quod jam diximus, per legatos egerat; & Antiochum quoque ac Eumenem in suas partes perducere fuerat conatus [c]. Sed jam ad bellum

a *Polyb. Ibid. n.* 86. † *ut quondam Tarentini. S. L. II. c.* VIII. §. 5. b *Liv. L. XLIV. c.* 14. c *Polyb. d. l. n.* 85. *Liv. L. XLIV. c.* 24.

lum cum Perſeo geſtum redeamus.

§. VI. Anno Urbis quingenteſimo octuageſimo quarto principio ſtatim veris Q. Marcius Philippus Conſul cum ſupplemento in legiones in Graeciam trajecit [a]: & conſilio cum aliis ducibus habito ſtatim in Macedoniam pergere decrevit. Ceterum via adeo aſpera & ardua & confragoſa fuit, ut, niſi inops conſilii Perſeus obtorpuiſſet, facile arceri Macedonia hoſtes potuerint [b]. At Rex interim ad *Dium*, quae ſplendida urbs in ora maris fuit, per litora cum Equitibus vagabatur; qui certe parva manu omnem exercitum Romanorum delere potuiſſet cum incredibili locorum difficultate confligentem [c]. Sed nihil tale exſpectanti Perſeo, dum lavat, nunciatur, adeſſe hoſtes. Itaque omnibus praeſidiis nudatis patefactiſque bello ad *Pydnam* refugit: cum interea Romani cum caritate annonae, aliarumque rerum inopia pugnarent ſine ulla ope hoſtis, quae aggravaret. Itaque laetus magnopere Conſul, cum literae a *Sp. Lucretio* al-

§. 6. Tertius belli annus. A. U. 584.

 latae

a *Liv. L. XLIII. c. 15. XLIV. c. 1.* b *Ibid. c. 4.* c *Ibid. c. 6.*

latae essent, „ se castella circa *Phi-*
„ *lam* tenere, ibique omnium in u-
„ sum rerum copiam invenisse, "
eo ab Dio, quod a Rege relictum oc-
cupaverat, exercitum duxit. Sed pro-
fectione Consulis audita Perseus Dium
regressus urbem munire cepit [a]: &
recepto paullum animo gazam, quam
Pellae in mare dejici jusserat, per u-
rinatores omnem ferme rursus extra-
xit: & pudore pavoris sui urinatores
non tantum clam interfici jussit [b];
sed etiam amicos, quorum opera ad
eam rem usus fuerat. Et videbatur
rebus Regis aliqua lux affulgere, cum
& *Thessalonicam* & *Cassandream* & *To-
ronen* [c] frustra oppugnasset C. Mar-
cius, ad *Antigoneam* etiam pluribus suo-
rum, quam Macedonum amissis; &
Demetriadem quoque frustra fuisset
aggressus: quo tempore fama fuit
inter Perseum & Eumenem, condi-
tiones amicitiae fuisse tractatas. Hic
certe prospere intratam Macedoniam
Consuli gratulatus Pergamum in re-
gnum abiit. Alii dicunt, nec cum
gratia ab Consule profectum; indi-
gnatum, quod, ut iisdem castris ten-
deret,

a *Ibid. c.* 8. b *Ibid. c.* 10. c *Ibid. c.* 12.

deret, permissum non fuisset: Attali fratris sinceram fidem, & egregiam operam in eo bello fuisse a. Et Prusias hoc tempore pro Perseo apud Senatum deprecatus est b: & superbius Rhodii, ut jam innuimus, denunciarunt „ per quos stetisset, quo minus „ belli finis fieret, adversus eos, quid „ sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse." Quid Rhodiis responsum fuerit non satis inter auctores convenit: hoc constat, acerbum & minax pro arrogantia eorum fuisse: cum censerent Patres, legationem misisse, non ad pacem faciendam; sed ad Perseum ex periculo, quod in ipsis foret, eripiendum c. Tamen, cum conjunctio Persei Gentiique Regum, & fama cum magno numero peditum equitumque venientium ad auxilium Persei Gallorum Rhodum perlata esset, palam pronunciarunt Rhodii, „ bello finem se auctoritate sua im„ posituros esse d; itaque ipsi quo„ que Reges aequos adhiberent ani„ mos ad pacem accipiendam." At

 nuncio

a *Liv. Ibid. c.* 20. b *Ibid. c.* 14. c *Id. L. XLV. c.* 3. *Polyb. exc. legat. n.* 88. d *Liv. L. XLIV. c.* 29.

nuncio de Persei ultima clade accepto, principes Rhodiorum C. Popillium legatum Romanorum ad Antiochum, ut in suam urbem veniret, perpulerunt a. Hic atrocissima oratione adeo animos Rhodiorum perculit, ut extemplo eos, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid convincerentur, capitis condemnarent. Alii metu Romanorum urbe excesserunt; alii mortem sibi consciverunt. Legatos inde Romam miserunt, gratulatum de victoria, purgatumque civitatis crimina. Sed hi, cum Consul, *non ita meritos esse Rhodios*, pronunciasset, *ut Senatus eorum legatis daretur, qui sociis & amicis dari consuesset* b, prostraverunt se omnes humi, orantes, „ ne nova falsaque „ crimina plus obesse Rhodiis ae„ quum censerent, quam antiqua me„ rita. " Mox veste sordida sumpta domos principum cum precibus ac lacrymis circumibant orantes, *ut prius cognoscerent caussam, quam condemnarentur*. Itaque, licet jam *M' Juventius Thalna* Praetor *de bello Rhodiis indicendo* rogationem ad Populum tulisset

a *Id. L. XLV. c.* 10. b *Ibid. c.* 20.

lisset (inconsulto quidem, quod plane a moribus Romanorum alienum erat, Senatu) tamen responsum ita iis est redditum, *ut nec hostes fierent, nec socii permanerent.* Sed Praefectos ex Lycia Cariaque deducere jussi sunt [a]. Gavisi attamen sunt his conditionibus, cum bellum timuissent. Nec ita animis fracti sunt [b], quin civitates, quae defecerant, juventute propere missa imperio parere coëgerint Atque deinde Romani cum Rhodiis deprecantibus iterum societatem junxerunt [c]; licet verum sit, eos aegre veniam impetrasse [d]. Sed haec postea evenerunt. Videamus porro quem exitum bellum cum Perseo habuerit.

§. VII. Indignabantur jam Romae homines tanto tempore cum Perseo bellum geri [e], cujus vires paternis jam cladibus accisas credebant, nescii Macedonum copias a victo Philippo valentiores fuisse redditas: cujus in hoc negocio procurando consilium notatu dignum fuit. Nam, ne suspicionem

§. 7. Quartus belli annus. A. U. 585.

a *Polyb. exc. legat. n.* 99. b *Liv. L. XLV. c.* 25. c *Liv. epit.* 46. d *Polyb. exc. legat. n.* 100. 104. e *Plut. P. Aemil. p. m.* 258.

cionem incurreret, quasi res novas meditaretur, urbes quidem viae propinquas & mari negligere se simulabat, dum interim mediterraneas arces & praesidia magna vi armorum, pecuniae, frumenti impleret. Haec cura movit Romanos, ut virum prudentia & rerum gerendarum scientia illustrem Consulem facerent. Lucius is fuit Aemilius Paullus: qui invitus fere Consul creatus sine sorte, ut dicit Plutarchus, Macedoniam provinciam accepit. Exiguum videatur, narratu tamen non injucundum, quod, cum designatus maxima ordinum frequentia domum deduceretur, filiolamque *Tertiam* nomine tristiculam animadvertisset, *quid est*, dixerit, *mea Tertia, quod tristis es? Mi Pater*, inquit puella; *Persa periit.* Tum ille arctius puellam complexus, *Accipio*, inquit, *mea filia, omen.* Erat autem mortuus catellus eo nomine [a]. Statim porro Senatum hortatus est Aemilius, „ ut diligentissime bellum „ pararent : ” & inde in concione Populum monuit, „ ne rumores cre„ dulitate sua alere vellet; cum in „ circu-

[a] *Cic. de Divin. L. I. c. 46.*

„ circulis non modo quid faciendum „ esset statuerent; sed, si quid ali„ ter, quam ipsi censuissent, factum „ esset, Consulem, velut dicta die, „ accusarent. Itaque, si quis esset, „ qui, quod e Republica foret, sua„ dere se posse consideret, secum in „ Macedoniam veniret. Si quem id „ facere pigeret, e terra ne guber„ naret." Similiaque, quam primum ad exercitum venit, militibus edixit. Et merito Consul omnibus viribus ad curam belli animum intendebat, quod magno apparatu instructum Persea sciret [a]; quanquam ipsum tamen Regem, quem imprudentem & imbellem noverat, contemneret. Atque erat in magno terrore Perseus ob adventum Aemilii *Octavii*que Praetoris [b]. Consul, ut in castra venit, laborantem penuria aquae exercitum reperit: sed ex virore sylvae *Olympo* monti impositae aquarum illic esse affatim conjiciens ad ipsius montis radices frequentes scaturigines aperuit [c]. Multa etiam in disciplina militari correxit: & mox totam mentem eo convertit,

a *Vid. Plut. d. l. p.* 261. b *Liv. L. XLIV. c.* 32. c *Plut. d. l. p.* 262.

vertit, quomodo in Macedoniam penetrare posset a. Hic eum *Perrhaebi* quidam mercatores docuerunt, „ loca quidem non esse iniqua; praesidiis autem regiis obsideri." Itaque *P. Scipionem Nasicam*, *Q. & Fabium Maximum* filium suum cum delecta manu misit tanquam classem conscensuros ad interioris Macedoniae oram vastandam; dum ipse interim levibus praeliis Regem teneret. At Rex, cum in Macedoniam penetrasse Nasicam, nunciatum esset, propere retro exercitum movit b: & mox etiam Paullus Nasicam consequitur. Sed aciem & numerum hostium miratus substitit, & lassitudine ac siti affectos recenti atque integro hosti non objicere statuit c. Erat tamen maximus ardor in animis utrimque ad dimicandum: quem, ut in suis arte Consul eluderet, magis etiam eos hortando in pugnam accendebat. Atque illi primo quidem alacres signum poscere: deinde, quantum aestus incresceret, segniores reddi: atque ita demum jussum Consulis, ut castra meta-

a *Liv. Ibid. c.* 35. b *Plut. d. l. p. m.* 263.
c *Liv. Ibid. c.* 36.

metarentur, cum gaudio accipere. Nasica tamen monere ausus est Consulem; „ ne hostem nocte, ut cre- „ di par esset, in intimam Macedo- „ niam profecturum e manibus ela- „ bi pateretur. " Nec succensuit Consul: sed postridie occasione data omnem consilii sui rationem ipsum edocuit a. Atque eo ipso die fortuna, neutro Imperatore volente, contraxit certamen: cum commodum pridie *C. Sulpicius Gallus* Tribunus militum religione militum animos liberasset. Praedixit enim, „ fore, ut „ nocte proxima luna deficeret: o- „ stenditque id, quia naturali ordi- „ ne, statis temporibus fiat, & sciri „ ante & praedici posse b: " cum interea Macedones regni occasum ea re portendi vererentur c. Accidit ea solis defectio pridie Nonas Septembres ad Kalendarium ejus temporis Romanum: qui dies ad Julianum Kalendarium fuit vigesimus primus Junii d. Occasio pugnandi haec fuit. Inclinato jam die, sive ita curante Paullo,

a *Ibid. c.* 38. b *Ibid. c.* 37. c *Plut. d. l. p.* 264. d *Calvis. Chron. ad A. M.* 3782. *Petav, R. T. P.* I. *L. IV. c.* 8.

Paullo, sive verius sponte sua equus e manu curantium elapsus in ulteriorem ripam effugit: persequentes equum tres milites ex duobus Thracibus in suam ripam eum trahentibus alterum occidunt. Hinc, cum utrimque plures auxilio suis accurrerent, ad manus ventum est. Et strenue quidem, nec sine magno Romanorum periculo phalanx Macedonica pugnavit [a]: donec monstrante Aemilio carptim aggressi immobilem pene aciem disjecerunt. Caesa dicuntur eo praelio xx., juxta alios xxv. hominum millia: vivi in potestatem venerunt millia undecim [b]. Ex Romanis centum, ut qui plurimum dicunt, desiderati sunt; quod, licet minus simile vero videri possit, tamen saepius olim ex victis credendam vix multitudinem, ex victoribus paucissimos cecidisse pluribus exemplis, si hujus loci res foret; facillime probare queamus: (vide speciminis caussa Tacitum *Ann. XIV. c.* 37. & *vita Agricolae c.* 37.) & ratio manifesta est, quod cominus veteres congrederentur, atque ita altera parte in fugam versa, cum

a *Plut. Ibid. p.* 266. b *Liv. d. l. c.* 42.

cum ipſis veſtigiis victores inhaererent, mera laniena aeſtimari poterat; praeſertim, ſi ad anguſtias perventum eſſet; ubi partim caedebantur, partim a ſuis elidebantur, imo conculcabantur [a]. Rex Pellam fuga elapſus, cum ex amicis, licet ſaepius arceſſitis, nemo veniret, metuens, ne forte ab iis Romanis traderetur, (& duos jam pecuniae praefectos intempeſtiva libertate eum praeteritorum errorum admonentes infenſus pugione confoderat [b], cum admonitio perditis alicujus rebus facta imprudentiae potius & erroris exprobratio ſit) Rex ergo cum paucis comitibus *Amphipolim* petiit; atque inde oratores cum caduceo ad Conſulem miſit. Et miſerabatur ſortem Regis Aemilius, donec in literarum inſcriptione, *Regem Perſea Conſuli Paullo ſalutem*, legit. Itaque ſine reſponſo dimiſſa legatione alias literas Perſeus cum privati hominis titulo miſit. Sed interea intra biduum omnis fere Macedonia dedita fuit; dimiſitque ſtatim Paullus, qui deditis civitatibus praeeſſent, ne qua inju-

a *Cl. Perizon. Curtius vind.* 120. b *Plut. d. l. p.* 267.

injuria in nova pace victis fieret [a]. Amphipoli Perseus cum magna parte thesauri (duo millia talentum † fuisse dicuntur) *Samothracam* pervenit, ut se ejus Insulae religione tueretur. Nam Samothraca insula religione praecipue Deorum *Cabirorum* nobilissima fuit [b]; de quibus, ut latius hic agamus, opportunitas non sinit. Non diu porro post Perseum classis Cn. Octavii Samothraciam est appulsa [c]. Hic homicidam esse cum Rege testatus, (Evandrum Cretensem innuebat, per quem Eumenis Regis Delphis prope perpetrata caedes credebatur [d]) sanctitatem Insulae ita violari dicebat. Itaque *Samothraces*, aut ad caussam dicendam venire Evandrum jubent, aut templum religione liberare, & sibimet ipse consulere. Quibus auditis Perseus suadet Evandro, ut voluntaria morte se judicio, cui nec gratia nec caussa par foret, subtraheret; illumque occulte fugam parantem interfici

a *Liv. d. l. c.46.* † 3600000. *Florenorum nostratium.* b *V.Cl. Tobiam Gutberleth. de myst. Deor. Cab. c.* 8. *Liv. L.XLV. c.* 5. *Schol. Apoll. Rhod. L.I. v.*917. c *Liv. L.XLV. c.*5. d *Id. L.XLII. c.*15.

terfici jubet. Sed ita & spreta religione, & unico relicto amico prodito, quia non prodiderat, omnes ad Romanos transire coëgit. Tum Rex *Oroandem* quemdam Cretensem mercatorem appellat, ut se cum pecunia in Thraciam deveheret. At ille *Cretica fide* usus primis tenebris navem solvit: ita Perseus aliquantulum in litore vagatus, nec in hospitium redire ausus in latere templi prope angulum obscurum delituit. Nec abscedebat tamen ab eo puerorum regiorum cohors, (principum hi erant liberi ad ministerium Regis electi) donec voce praeconis & ipsis & omnibus, qui Samothracae essent Macedonibns libertas & omnium rerum incolumitas promissa est. Ad hanc vocem transitio omnium facta est: & demum Perseus cum *Philippo* filio natu maximo sese Octavio tradidit; ab eoque ad Consulem missus est. A Consule comiter exceptus, & introductus in tabernaculum considere jussus est; & mox percontatus [a], *qua subactus injuria bellum contra Populum Romanum tam infesto animo suscepisset:* cumque

 diu

a *Liv. d. l. c. 8.*

diu tacitus fleret, bonum tamen animum habere jussit. Mox Latine suis, *Exemplum insigne mutationis rerum humanarum* hunc Regem proposuit; *ut inde & prosperam & adversam fortunam bene ferre discerent.* Hic finis belli, & simul nobilissimi regni Macedonici fuit: cujus vigesimus ab auctore *Carano* Perseus Rex numerabatur juxta Livium: nisi, ut videtur, locus corruptus fuerit. Nam Justinus *L. XXXIII. c. 2. tricesimum* dicit; Eusebius *quadragesimum:* qui numerus conveniet, si *Amyntam* bis numeremus; quippe qui primum regno pulsus, mox restitutus fuit [a].

§. 8. *Res, quae victoriam Aemilii secutae sunt.*

§. VIII. Et Perseo quidem porro ab Aemilio omnis honor est habitus, qui haberi in tali fortuna poterat [b]: Romae autem quarto die postquam cum Rege pugnatum est [c], dum Populus ludos spectaret, murmur repente spectacula pervasit, *devictum Regem esse.* Cujus rei, ut incertae gaudium evanuit quidem, omen tamen laetum veris nunciis paulo post firmatum est. Nam VI. Kalendas Octobres

a *Petav. Rat. Temp. P. II. L. II.* b *Val. Max. L. V. c. 1. n. 8.* b *Liv. L. XLV. c. 1.*

ctobres (pugnatum fuerat III. Nonas Septembres, quae differentia est dierum viginti trium) legati ab Aemilio Urbem gaudio implerunt: & supplicatio in quinque dies indicta est. Legati deinde decem in Macedoniam sunt nominati, quorum de sententia Imperator L. Paullus res componeret: qui interea Graeciam circumiverat [a] oculis nosciturus, quae nobilitata fama auribus acceperat [b]. At, cum jam advenissent legati, omnium primum ex consilii sententia, liberos esse Macedones, & uti suis legibus, jussit: tum annuos magistratus creare [c]; tributum dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere Populo Romano [d]. In quatuor regiones dividi Macedoniam, quibus nec connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque inter se extra fines regionis suae esset. Inde citatis Aetolis [e], qui questi fuerant, quingentos quinquaginta gentis principes factione quidem domestica, sed per milites a *Baebio* Praeside missos, interfe-

a *Liv. Ibid. c.* 17. b *Ibid. c.* 27. c *Vid. & Ibid. c.* 32. d *Ibid. c.* 29. e *Ibid. c.* 31.

terfectos esse [a], alios in exilium actos; utrorumque bona injuste possideri, non quaesivit Aemilius, utri fecissent injuriam, aut accepissent; sed utra pars Romanis, utra Regi favisset. Itaque interfectores noxa liberati, pulsis exilium ratum factum. Hac Aemilii injuria in omnibus Graeciae gentibus eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflati ad intolerabilem superbiam animi; multique apud decem legatos, tanquam occulti fautores Persei, accusati: & cognitio ea in Asiam quoque extensa est. Hinc rursus ad Macedones conversus [b] principes eorum cum liberis majoribus, quam quindecim annos natis praecedere in Italiam jussit. Quod prima specie saevum, mox pro libertate Macedoniae factum esse apparuit: cum omnes, qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam minimis fuerant, in Italiam ire, morte, ni paruissent, denunciata juberentur. Leges inde victae regioni exactissima cura dedit. Ita ergo libera relicta fuit Macedonia; & anno demum Urbis sexcentesimo septimo post rebellionem in provin-

a *Ibid. c.* 28. b *Ibid. c.* 32.


provinciae formam est redacta; ut suo loco dicetur. Aemilius ludicro apud Amphipolim ingenti ex Asiae Graeciaeque civitatibus concursu, apparatu maximo, celebrato opimam praedam Macedonicam navibus imponi jussit: ipse Epirum petit, mentitus, *se ad praesidia deducenda venisse, ut liberi Epirotae, sicut Macedones, essent* a. Sed ex singulis civitatibus denos principes evocavit, iisque denunciavit, *ut aurum & argentum in publicum proferretur*. b. Quo facto eadem die & hora signum ad diripiendas urbes militibus datum est. Ingens inde praeda parta: centum quinquaginta millia capitum humanorum abducta. Direptorum circa septuaginta oppidorum moenia sunt diruta c. Omnium praeda vendita: de ea praeda militi numeratum. Ita in Italiam trajecit, nequaquam expletis militum animis; qui regiae se praedae expertes esse indignabantur. Senatus ipsi, ut etiam Octavio, qui classe rem adversus Perseum gesserat, & *Anicio*, qui Illyrios

 vice-

a *Ibid. c.* 34. b *App. Alexandr. de bell. Illyr.* c *Strabo L. VII. n.* 322.

vicerat, triumphum decrevit a. Nec horum triumpho quisquam obstitit. Sed, ut summa fere invidia petere amat b, adversus Paullum *Ser. Sulpicius Galba*, qui Tribunus militum ad exercitum in Macedonia fuerat, Populum stimulavit, „ quod dura sub „ eo Imperatore militia fuerat; quod„ que de praeda parcius, quam spe„ raverant ex tantis regiis opibus de„ derat. " Atque ita multitudinem commovit, ut triumphum Aemilio negatura videretur, nisi *M. Servilius Geminus*, qui jam ante triginta sex annos Magister Equitum, ante triginta quinque annos Consul fuerat, oratione sua ita Populum commovisset c, ut omnes tribus, *triumphare Paullum Aemilium*, juberent. Ergo triumphum omnium ad eam aetatem splendidissimum per triduum Paullus egit d (cum etiam de patre Persei Philippo T. Quinctius per triduum triumphasset

a *Tabb. Capit. Vaill. G. Anicia. Sed in nummo, quem refert bigae currentes conspiciuntur; cum in numm. G. Corn. n.* 7. *& alibi docuerit, triumphum per equos lento passu incedentes notari.* b *Vell. Paterc. L.* 1. *c.* 9. c *Liv. Ibid. c.* 37. *sq.* d *Plut. Aemil. p. m.* 272.


Pag.600.
L.ANICI.L.F
Pag.602.
PAVLLVS LEPIDVS CONCORDIA
TER.
PAVLLVS
Pag.616.
S.C.
TVTOR REG.
M.LEPIDVS

phasset a) tantumque pecuniae in aerarium tulisse dicitur, *ut unius Imperatoris praeda finem attulerit tributorum* b : ad consulatum scilicet *Hirtii* & *Pansae*, ut dicit Plutarchus c ; sive ad annum Urbis septingentesimum decimum. Plinius loco in margine citato, pecuniae summam fuisse dicit, *ter millies*, (legitur in editione *Dalecampii pondo trium millium*; sed certum est, eum locum corruptum esse) quae facit nobis *Philippaeorum nummorum milliones septem cum dimidio*: verum exigua nimis summa videtur ejus pecuniae, quae tantae rei occasionem dederit. Multo magis numeri corrupti sunt apud Livium, etiam si pro *sestertium millies ducenties* (*Philippaeorum tricies centena millia* †) cum Lipsio & Gronovio legas, *bis millies ducenties*, hoc est, *quinquagies qinquies centena millia Philippaeorum*: & tanta pecunia publice parta suos nulla ex parte locupletiores fecit d. Utrum vero tertius hic Paulli Aemilii trium-

 phus,

a *Liv. L. XXXIV. c.* 52. b *Cic. Off. L. II. c.* 22. *Plin. H. N. L. XXXIII. c.* 3. c *d. l. p.* 275. † *Phil.* 3000000. d *Val. Max. L. IV. c.* 3. *n.* 8, *Cic. in Verr. L. I. c.* 21.

phus, an secundus fuerit, inter eruditos contenditur: & mihi quidem verior, imo certa videtur magni mei olim Magistri Jacobi Perizonii in *Animadv. Histor. c.* 3. *p.* 147. & *c.* 6. *p.* 212. opinio, qui duos tantum Aemilii triumphos agnoscit, primum, quem priore Consulatu egit de Gallis Liguribus; alterum hunc nobilissimum de Perseo: putatque, inscriptionem, ex qua potissimum contrarium probare conantur Lipsius [a] & Panvinius [b], si maxime vera est, ab aliquo ex Aemiliae gentis posteris cum falso titulo positam. Quod vero nummum attinet, quem praeter alios idem Panvinius refert, & post eum Ill. *Ez. Spanhemius* [c], in eo per tria tropaea tres quidem victorias denotari putat; sed unde ob tres illas victorias de Hispanis nempe, Liguribus & Macedonibus relatas triumphasse Paullum nullo modo probari possit; cum tropaea victos *utcunque* hostes declarent, non demum *triumphatos* pacatosque. Verum omnem

a *notis ad Vell. Pat. L. I. c.* 9. b *Comment. ad L. V. Fastor. Vid. & Pigh. ad A. U.* 586.
c *de P. & U. Num. Diss. X. p.* 220. *ed. noviss.*

nem controverſiam tollunt fragmenta Tabularum Capitolinarum, in quibus Aemilius *victo Perſe ſecundum triumphaſſe* legitur: ita ut levis valde & futilis in toto hoc negocio nummorum utilitas videri poſſit. Vellejus denique Paterculus [a], qui etiam in Praetura triumphaſſe Aemilium dicit, falſo illo inſcriptionis titulo deceptus videtur. Ultimum hoc addam: in nummo, quem Vaillantius refert [b], legi quidem *ter Paullus*; ſed in eo unum tantum tropaeum conſpici, cui adſtant Perſeus & duo ejus filii, manibus poſt terga revinctis; ita ut plane non videam, cui fini ibi vocula *ter* legatur; cum non putem, vel ita aenigmatice in nummis locutos fuiſſe veteres; vel certe, ſi ita locuti fuerunt, nullum omnino *certum argumentum* ex *incertiſſimis monumentis* deſumi poſſe *certum* eſt. Sed hic locus non eſt monſtrandi, quantum detrimenti bonis literis ſtudium illud numiſmaticum abſque interiore bonarum literarum cognitione (Magnum enim ſemper excipio Spanhemium, & ſi qui alii nummorum veterum tractatione delectati ſi-

mul

a *L. I. c.* 9. b *gente Aemil. n.* 9.

mul etiam bonis auctoribus cum judicio & assidue legendis animum excoluerunt) attulerit. At nimium jam nos discussio rei non maximi ad historiae cognitionem momenti tenuit: ad seriem rerum revertamur. Laetitiam triumphi turbavit clades domestica Imperatoris: nam duos e filiis, quos, duobus in adoptionem datis, solos nominis, sacrorum, familiaeque haeredes retinuerat domi, minor ferme duodecim annos natus quinque diebus ante triumphum; maior quatuordecim annorum triduo post triumphum decessit. Moderate orbitatem suam tulit Paullus, & concione more majorum de rebus suis gestis ad Populum habita [a] testatus est, „ se, „ quum summa & quasi nimia quadam felicitate Rempublicam bello „ proximo gereret, & mutationem „ forte rerum metueret, optasse, ut „ privata potius sua calamitate, quam „ publica hoc metu defungeretur. " Veteres enim, *Deos invidos & malignos esse* putarunt; *eamque invidiam praesertim in eripiendis, quae cuique carissima*

a *Liv. L.XLV. c.* 41. *Vid. & Plutarch. Apophth. p.m.* 198. *App. Al. exc. ex L. IX.*

rissima essent, & maxime liberis ostendere. Sic Solon ab Herodoto [a] inducitur *Croesum* docens, *omne numen invidum esse & turbulentum*, τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες· iisdemque prope verbis usum *Amasin* Aegypti Regem literis ad *Polycratem Samiorum* tyrannum idem refert [b]. *Dioscuri* quoque apud *Euripidem Electra v.* 1282. dicunt, *Jovem simulacrum Helenae Trojam misisse, ut lis ibi ac caedes fieret:* quod etiam agnoscere videtur senex Priamus [c], dum, *non Helenam sibi caussam malorum esse dicit; sed Deos bellum illud luctuosum immisisse.* Et vulgarem hanc plane opinionem fuisse patet, quod etiam in scenam eam proferat *Aristophanes Pluto v.* 87. & 92. & ad ultima gentilismi tempora durasse constat ex *Libanii Sophistae* oratione, qua *Julianum* Imperatorem defunctum laudavit §. 146. [d] ubi dicit, *Julianum a choro* φθονε-

a *L. I. c.* 32. b *L. III. c.* 40. *Vid. eund. L. VII. c.* 46. c *Ap. Hom. Ilid. γ. v.* 164. *licet sciam Cl. Berglerum praef. ad edit. Hom. quae A.* 1707. *elegantibus typis in minore forma prodiit ap. Cll. Wetstenios haec aliter exponere.* d *apud Rev. Jo. Abb. Fabricium Bibl. Gr. Vol. VII. p.* 367.

φθονερῶν δαιμόνων, *invidorum Deorum ablatum fuisse.* Sed rursus nimium a scopo nostro aberramus. Peracto triumpho Perseus cum *Alexandro* filio Albam (quae munita urbs & tuto loco sita erat [a]) in custodiam ductus est; ubi post quadriennium secundum quosdam [b], secundum alios post biennium [c] inedia obiit; & publico funere elatus est [d]. Alii a custodibus ob caussam, quae non additur, iratis vigilare coactum scribunt, donec fatiscens exspiraret [e]. Et duo etiam ex filiis ejus non diu supervixerunt: tertius Alexander egregius artifex *tornandi*, & subtilia opera faciendi, postquam Romanam linguam & literas didicisset, magistratibus scribae operam praebuit, scite & eleganter eo munere functus. Unde vero hauserit *Is. Casaubonus* [f], fabrum ferrarium factum esse Perseum, hactenus nescire me fateor. Aemilius porro hic

a *Strabo L. V. n.* 240. b *Vell. Paterc. L. I. c.* 11. c *Diod. Sic. excerpt. L. XXI.* d *Val. M. L. V. c.* 1. *n.* 1. e *Plut. Aem. p. m.* 275. *Sallust. fragm. Hist. L. IV.* f *not. ad Capitol. vita Max. & Balb. c.* 5. *p.* 198. *A. edit. Paris.* 1620.

hic unus fuit ex ſummis iſtis, quos priſca Reſpublica habuit, viris: licet, ſi ad rectae rationis, veraeque virtutis normam ejus vita exigatur, nequaqaum vir bonus dici poſſit, quod vel ex turpi illa Epiri direptione, quam modo narravimus, patet. Verum jam ſimile quid de Catone Cenſorio obſervavimus [a]. Ob tantas viri virtutes anno Urbis quingenteſimo octogeſimo nono cenſura Aemilio delata fuit: quae a Plutarcho [b] ἀρχὴ πασῶν ἱεροτάτη, *magiſtratus omnium ſanctiſſimus* vocatur: & alibi [c] κορυφή τις τιμῆς ἁπάσης, κ. τ. λ. *faſtigium omnis honoris* &c. Obiit denique anno Urbis quingenteſimo nonageſimo tertio; & ſummo honore elatus eſt, ex tantis divitiis adeo non aucta re familiari, ut non amplius, quam trecena ſeptuaginta millia denariorum † reliquiſſe feratur: & ex auctione bonorum ejus vix tantum redactum eſt, ut dos uxori redderetur [d].

a *Supr. L. IV. c.* 5. §. 10. b *loc. prox. d.*
c *Cat. Maj. p. m.* 345. † *Florenor.* 111000.
d *Liv. epit.* 56. *Val. Max. L. IV. c.* 4. *ex.* 9. *Sex. Aur. Victor.*

CA-

CAPUT SEXTUM.

De bello Illyrico, & de aliis quibusdam rebus ad hoc intervallum referendis.

§. I. Bellum Illyricum cum Gentio.

§. I. Vidimus jam capitis praecedentis §. quinto, Gentium Illyriorum Regem pecuniae a Perſeo accipiendae ſpe legatos Populi Romani violaſſe: licet majore pecuniae parte eum Perſeus defraudaverit [a]. At miſer ille jam bellum inchoaverat; quanquam non nimis laeto ſucceſſu [b]; licet Ap. Claudium, qui ab Hoſtilio Conſule A. U. 583. miſſus erat, ut accolas Illyrici tutaretur, jam cum clade repulſum fuiſſe viderimus capitis praecedentis paragrapho quinto. At A. U. 585. ad bellum Illyricum miſſus eſt, qui Praetor jurisdictionem inter peregrinos ſorte exercendam acceperat *L.* Anicius *Gallus* [c]; qui quid primo adventu ſuo in Illyricum geſſerit, neſcimus; cum in hiſtoria Liviana

a *Vid. Liv. L. XLIV. c.* 27. *Plut. P. Aemil. p. m.* 262. b *Liv. Ibid. c.* 30. c *Ibid. L. XLIV. c.* 21.

viana hoc loco lacuna inveniatur. Verum ex iis, quae superſunt, videmus, celeriter id bellum confectum fuiſſe; &, ut dicunt Livius a & Eutropius b intra triginta dies: cum, teſte eodem Livio c, clementia in omnes & juſtitia Praetoris Romani inclinationem animorum ad dedendum ſeſe adjuvaret. Et potuiſſet forte diutius ſuſtinuiſſe Gentius bellum, niſi *Scodram* gentis caput oppugnante Romano porta egreſſi Illyrici praelium committere voluiſſent. Quo victus Gentius ſtatim in deditionem venit: ita ut hoc unum bellum prius perpetratum, quam coeptum Romae auditum fuerit.

§. II. Vidimus jam etiam capitis praecedentis paragrapho ſexto, fidem Regis Eumenis hoc bello Perſico Romanis ſuſpectam fuiſſe d, cum fratris ejus Attali animus Romanis addictus noſceretur: ita ut etiam Attalus comitate Romanorum inflatus regnum fratris graviter prope perturbaverit e. Nam Eumenes, cum & Perſeum *§. 2. Adventus Romam Attali & Eumenis.*

Qq omni

a *Ibid.* c. 32. b *L. IV. c. 6.* c *Ibid.* 31.
d *Vid. Liv. L. XLIV. c.* 13. 24. e *Polyb. exc. legat. n.* 93.

omni modo ſpem pacis tentaſſe videret [a]; neque Romanos a finiendo difficili bello abhorrere crederet, mercedem a Rege, modo ne juvaret bello Romanos mille talenta, modo pacis patrandae mille & quingenta paciſcebatur [b]: licet, ut diximus, adeo infenſus Eumeni eſſet Perſeus, ut ex inſidiis eum interficere fuerit conatus. Verum quemadmodum apud Gentium Regem avaritia Perſeo fraudi fuerat, ita eadem hanc tantam rem cum Eumene eum dimittere fecit; cum quidem impenſam ſe non recuſare diceret; ſed eam pecuniam perfecta re daturum: interea Samothracae in templo depoſiturum, quod abnuit Eumenes, cum ea Inſula ſacra quidem, ſed tamen Perſeo obnoxia eſſet. Ita Eumenes, per partem certe belli, Romanis adfuit [c]. Eo finito, inter multas Regum, gentiumque & populorum legationes frater Eumenis Attalus maxime in ſe omnium oculos animoſque convertit [d]. Cumque & gratulandi victoriam cauſſa,

a *Liv. XLIV. c. 25.* b *Excerpt. ex Appiani L. IX.* c *Liv. L. XLIV. c. 32.* d *Id. L. XLV. c. 19.*

ſa, & adverſus bellum Gallicum auxili petendi Romam veniſſe videretur, hortati eum quidam ſunt, ut quam ſuſceperat pro fratre legationem deponeret; & pro ſe loqueretur. Sed metuens Eumenes, quod futurum erat, *Stratium* medicum ex fidiſſimis amicis miſit, qui fratri ſpeculator idem & monitor adeſſet: iſque monſtrando quantum damni ſibi illaturus eſſet [a], ad quem per infirmitatem fratris brevi regnum eſſet perventurum, praeſertim cum hoc ipſo tempore ingens a Gallis periculum immineret, pervicit, ut accuſationem fratris & petitionem de dividendo regno penitus omitteret. Atque ita Senatus [b] ſpe diſcordiam inter fratres ſerendi fruſtratus eſt: eaque indignatione *Aenum* & *Maroneam* Thraciae urbes Attalo jam promiſſas liberas eſſe pronunciavit. Verum ipſe jam Eumenes rebus ſuis metuens Romam adventabat [c]: & Senatum ſollicitum reddebat, quomodo eum excepturi eſſent: ſi enim eum admitterent, crimine liberare videbantur, ſi excluderent

a *Polyb. exc. legat. n.* 93. b *Ibid.* c *Ibid. n.* 97.

rent hostis judicatus videri poterat. Itaque Senatusconsultum in commune fecerunt a, „ ne quis Regum „ Romam venire vellet." Cumque in Italiam jam appulisse Eumenes nunciaretur, Quaestorem ad eum cum decreto Senatus miserunt, jusseruntque, ut diceret, „ si qua ope Se„ natus in re aliqua uti vellet." Si, *nihil se poscere*, Rex dixisset, „ Ita„ lia ut quamprimum excederet," denunciaret. Paruit confestim Eumenes: & Senatus, qui omnibus modis eum deprimere volebat, ita agendo consecutus est, tum, ut amicis Eumenis animi conciderent; tum, ut Galli duplo animosiores ad bellum redderentur.

§. 3. *Prusiae adventus Romam.* §. III. Sed Prusias Bithyniae Rex, qui uxorem habebat sororem b Persei, cum filio *Nicomede* (hic postea patrem interfecit c) jam ante factum hoc Senatusconsultum Romam venerat d, *Deos Romanorum, Senatum Populumque salutatum se venisse*, dicens, *filiumque Senatui commendaturum*. Simul

a *Liv. Epit.* 46. b *App. Al. Mithr.* n. 172. c *Ibid. n.* 175. *Justin. L. XXXIV. c.* 4. d *Liv. L. XLV. c.* 44.

mul petebat, ut agrum de Antiocho captum, quem nulli alii a Romanis datum Galli possiderent, sibi concederent. Benigne admodum Romae exceptus responsum tulit, „ si sine „ cujusquam injuria dari posset ille a- „ ger, dignissimum eo dono Pru- „ siam habituros esse " Polybius [a], & ex eo, ut videtur, Livius [b], & Appianus [c] addunt, hunc Regem victo Perseo, obviam ire legatis Romanorum solitum, togatum Romano more calceatumque; & sumpto praeterea pileo, rasoque capite, libertum se Populi Romani (libertorum Romae hic erat habitus [d]) professum esse; tum in Senatu orationem regia fortuna indignam habuisse: nec tam honorificam audientibus, quam sibi deformem.

§. IV. Facile porro credi potest, tot ac tantis victoriis, tantoque Imperii Romani incremento plurimum etiam auctoritatem ejus Imperii apud omnes auctam fuisse. Ejus rei insigne, nec tacendum exemplum occurrit in lega-

§. 4. Legatio Popillii ad Antiochum Regem, &c.

a *exc. legat. n.* 97. b *loc. prox. cit.* c *Mithrid. n.* 172. d *Plaut. Amph. A. I. S. I. v. ult. Serv. ad Aen. L. VIII. v.* 564.

legatione, quam rogatu Ptolemaei & Cleopatrae Aegypti Regum ad bellum, quod Syriae Rex Antiochus Aegypto inferebat, componendum Senatus decrevit. Princeps ejus legationis fuit C. Popillius Laenas; de cujus oratione acerrima in Senatu Rhodiorum habita jam dictum est *capitis praecedentis* §. 6. Hic, cum debellatum esse in Macedonia audivisset, ad susceptam legationem peragendam navigare in Aegyptum pergit [a]; ut prius occurrere Antiocho posset, quam ad Alexandriae maenia accederet. Ibi audax, & nescio, num superbum dicendum sit, Popillii facinus narratur: nam cum Rex Antiochus salutandi gratia dextram Popillio porrigeret, (Plinius *Hist. Nat. L. XXXIV. c. 6.* errore, ut videtur, memoriae *C. Octavium* vocat) cum ergo ei dextram porrigeret, hic prius tabellas Senatusconsultum, quo excedere Aegypto Rex jubebatur, continentes eum perlegere jussit [b]. Cumque iis perlectis, *cum amicis se deliberare velle*,

a *Liv. L. XLV. c.* 10. b *Polyb. exc. leg. n.* 92. *Cic. Phil. VIII. c.* 8. *Liv. L. XLV. c.* 12. *&* *alii multi.*

velle, Rex dixiſſet, virgula ſtantem circumſcripſit; juſſitque, prius reſponſum reddere, quam arenae circulo egrederetur. Rex, ubi parumper haeſitaſſet, *Faciam*, inquit, *quod Senatus jubet*. Tum demum Popillius dextram Regi, tanquam ſocio & amico porrexit. Legati patrium regnum ſtirpi Ptolemaei reſtituunt. Ipſique Reges, Antiochus quidem, *perfeciſſe ſe quae juſſiſſet Senatus*, Romam nunciavit: Ptolemaeus & Cleopatra, *regnum patrium prope amiſſum, Senatu Populoque Romano facientibus, recuperaſſe*, per legatos, profeſſi ſunt [a]. At, qui vel minimum ad Regum indolem animum attenderit, facile capiat, quanta animi aegritudine regnum Aegypti ſpe jam devoratum extorqueri ſibi paſſus fuerit Antiochus. Itaque in Syriam regreſſus gravate ac gemens in Judaeos iram effudit, Urbemque Hieroſolymam & Templum DEI ſanctiſſimi horrendum in modum diripuit; quod ex locis ad marginem citatis diſcimus [b].

a *Liv. L. XLV. c.* 13. *Polyb. exc. leg. n.* 95. b II *Maccab. V. Joſ. Ant. XII.* 7. *& Bell. Jud. I.* 1.

Mirum tamen non est, Senatum Romanum se rebus horum Regum immiscuisse, cum propter antiqua foedera Regum in Aegypto curam atque tutelam jam antea suscepisset: anno enim Urbis quingentesimo septuagesimo tertio Ptolemaeo Epiphane mortuo, cum & Antiochus Syriae & Philippus Macedoniae Reges Aegypti regno inhiarent, Alexandrini Romanorum opem implorarunt. Missus est eo *M. Aemilius Lepidus*, qui nomine Populi Romani tutelam Regis pueri gereret. Quam tamen tutelam absentem Lepidum, & Romae fere degentem per procuratores plerumque gessisse puto. Et hanc Lepidi tutelam referunt denarii, qui ab una parte caput muliebre turritum habent, cum inscriptione *Alexandrea:* ab altera M. Lepidum togatum diadema Regi adolescentulo imponentem [a], cum inscriptione *M. Lepidus Pont. Max. Tutor Reg. S. C.* Quod enim Tacitus dicit [b], Ptolemaei *liberis* missum tutorem Lepidum, notum est, *liberos*

a *Vaillant. Hist. Ptol. p.* 87. *& alii multi.*
b *Annal. L. II. c.* 67.

liberos etiam de uno dici [a]. Igitur minus recte Pighius, (*Annal. ad A. U. C.* 590.) Lepidum eo ipso anno in Aegyptum profectum putat, ut Ptolemaeum Philometora a fratre *Euergete II.* (qui etiam *Physcon*, *obesus*, *ventriosus* a deformitate corporis dictus est) pulsum restitueret; ac, si fieri posset, in concordiam fratres redigeret; atque ipse interim regni gubernacula teneret. Sed, licet partitionem regni instituissent fratres, discordia tamen, qua laborabant, sublata non fuit, donec Philometor anno Urbis quingentesimo nonagesimo ipse Romam profectus [b], & perhonorifice a Senatu acceptus [c] impetravit, ut secum legati mitterentur, qui firmam reconciliationem inter fratres facerent: quae tamen obtineri non potuit; donec inter ipsos fratres metu Populi Romani convenit, ut *Cyrenarum* regno & urbibus quibusdam pro *Cypri* regno acceptis Euergetes contentus esset [d]. Obiter autem hic cum

a *Vid. Plaut. Aul. A. IV. S. X. v.* 6. *Ter. Hec. A. II. S. I. v.* 15. *& ibi Daceriam. Gell. L. II. c.* 13. b *Vaillant. d. l. p.* 96. c *Val. Max. L. V. c.* 1. *n.* 1. d *Epit. Liv.* 47.

Polybio a observemus, Romanos nullam occasionem omisisse stultitia aliorum ad amplificationem Imperii sui utendi; quod exemplum ut sibi caveant, non nimis frequenter aliis, praesertim Populis liberis potentissimorum Regum vicinis inculcari potest.

§. 5. *Res cum Syriae RR actae.*

§. V. Et prosperitas Romanos circa haec tempora ad intolerandam omnibus insolentiam superbiamque provexerat: cujus rei etiam exemplum sit, quod Polybius testis oculatus, & qui ipse pars rerum fuit, narrat de Demetrio Seleuci Philopatoris Syriae Regis filio. Hic cum a Patre, Antiochi Magni filio, Romanis obses esset datus, eo mortuo Senatum adiit, petens, ut dimitteretur, cum iniquum foret, se pro liberis fratris (Antiochi Epiphanis) obsidem agere. Sed nihil impetrare potuit: imo communi consensu decretum est, „ Demetrium „ esse retinendum; puero vero, quem „ Antiochus reliquerat, regnum esse confirmandum b. " Iniquum hoc erat: nam, qui obses datus est tantum,

a *excerpt. legat. n.* 113. b *Polyb. exc. leg. n.* 107.

tum, ut alterum captivum, aut obsidem redimat, eo mortuo liberatur [a]; cum in illo, dum moritur, jus pignoris exstinctum sit [b]. Verum hoc agebat Senatus, ut potius apud pupillum infirmum, quam apud Demetrium florentem aetate Syriae regnum esset [c]. Et extemplo legatos decrevit in Syriam, qui regnum illud ex voluntate Senatus administrarent: iisque ante omnia mandatum est, ut naves tectas comburerent; elephantis nervos inciderent; & uno verbo vim regiam quantum pote minuerent. Diligenter mandata Senatus exsecuti sunt, quamprimum in Syriam venerunt legati. Sed adeo hoc indigne *Lysias* tutor regius tulit, ut populum concitaverit in legatos; ex quibus Cn. Octavius occisus fuit. Hoc nuncio perculsus Demetrius ex consilio familiaris sui *Apollonii* (Polybius enim historicus, cum quo de rebus suis deliberaverat Demetrius, suaserat, ut inconsulto Senatu aliquid regno dignum

a *Grot. de I. B. P. L. III. c. XX.* §. 56.
b *Vid. App. Alex. Syriac. n.* 117. c *Vid. Polyb. d. d. Justin. L. XXXIV. c.* 3.

gnum auderet a) iterum Senatum adit; idemque reſponſum accipit. Tum demum monitis Polybii auſcultans clam Roma profugit; regnoque potitus Romam coronam auream magni ponderis miſit, gratias agens, quod obſes habitus eſſet liberaliter. *Leptinem* ſimul Octavii percuſſorem miſerat; quem Senatus non recepit, actionem illam integram contra *Syros* ſibi ſervans ſuo tempore inſtituendam b.

a *Polyb. Ibid. n.* 114. b *App. Alex. Syriac. n.* 118.



LIBER QUINTUS.

CAPUT SEPTIMUM.

De bellis cum Hispanis & Liguribus hoc tempore gestis.

§. I. Vidimus hujus Libri capite quarto paragrapho nono post victoriam anno Urbis quingentesimo septuagesimo octavo ab Ap. Claudio Centhone Praetore relatam aliquanto tempore a bello in Hispania cessatum fuisse: verum superbia, ut videtur, & avaritia magistratuum Romanorum Hispanos iterum ad bellum compulit. Nam anno quingentesimo octogesimo secundo & alia indigna, & pecunias a Praetoribus captas in Senatu questi sunt [a]. Unus quidem ex reis *M. Titinius* absolutus est. Duo, alter Praeneste, alter Tibur exsulatum abiit. Et, licet fama fuerit, prohiberi Hispanos a patronis nobiles ac potentes compellare, tamen in futurum Prae-

§. 1. De bello Hispanico.

A.U. 582.

a *Liv. L. XLIII. c. 2.*

Praetorum injuriis obviam itum est: Ac suspicari possumus ex epitome Liviana quadragesima tertia (nam ipse Livius hoc loco mutilus est) his injuriis motos Hispanos ad arma ivisse; & *Olonicum* aliosque Principes, ab his, qui pacem cum Romanis malebant, fuisse interfectos: quo referenda videntur verba, a quibus hodie caput quartum dicti libri Liviani inchoatur, *tantum pavorem ingressi castra ostentantes capita fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi castra potuerint.* Et de hoc forte bello etiam loquitur Florus *L. II. c.* 17. ubi *Salondicum* quendam, qui se coelitus demissum fingeret, omnium in se mentes convertisse dicit. Hos autem motus feliciter fuisse compressos, lenitatemque Praetoris in exercenda victoria laude dignam fuisse ex dicto Livii loco patet. Anno tamen rursus quingentesimo octogesimo quinto *M. Marcellum Marcolicam* nobilem Hispanorum urbem cepisse videmus a. Sed cum historia sequentium annorum apud Livium interciderit, res circa haec tempora in Hispania gestas longa

a *Liv. L. XLV. c.* 4.

longa oblivio plerasque obruit; nisi quod in *epitome quadragesima sexta* res adversus Lusitanos vario eventu gestas videmus: & in *sequente epitome* parum prospere per eos annos in Hispania fuisse bellatum. Sed hoc jam referendum videtur ad annum Urbis quingentesimum nonagesimum nonum, quo juxta Pighium *L. Calpurnius Piso* Praetor a Lusitanis *Punico* quodam duce fugatus est. Loquitur de ea clade Appianus [a]; & duos Imperatores fugatos, sex millia Romanorum interfecta dicit; & inter eos, *Terentium Varronem* Quaestorem. Idem anno sequente *L. Mummium* Praetorem victorem primo, mox gravi clade victum asserit. Et sub idem tempus Celtiberis novum bellum illatum est, quod urbem *Segedam* munirent; quodque tributa a Graccho imposita detrectarent; & denique, quod, *ne Romanis militarent, remissum sibi esse*, dicerent. Sed aliter hoc interpretabantur Romani, cum talia privilegia tacitam continere conditionem assererent, *quamdiu hoc S. P. Q. R. libuisset.* Itaque anno Urbis sexcentesimo *Q.* *A. U. 600.* *Fulvius*

a *Ibericor. s. Hispanicor. n.* 286.

Fulvius Nobilior Consul cum exercitu triginta millium adversus eos missus est: qui primo praelio civium Romanorum sex millia amisit. Sed mox, dum inordinatius victoriam persequuntur Hispani, aequalem fere iis cladem reponit. Et post paucos dies ope elephantorum, quos a Masinissa acceperat, eosdem hostes rursus in fugam conjicit: sed dum fugientibus instans Romanus Imperator elephantos etiam *Numantiae* moenibus admovet, unus ex his saucius, & in suos conversus reliquos etiam convertere fecit; ita ut inordinate fugerent Romani: in quos erumpentes *Numantini* quatuor eorum millia trucidant, multis tamen etiam suorum amissis. Aliae etiam clades leviores multorum animos a Romanis abduxere: licet tamen anno sequente *Atilius* Praetor satis bene rem cum Lusitanis gesserit. Ergo cum novis
A. U. 601. etiam copiis anno sequente eo missus est Consul Marcellus: qui bello a se feliciter coepto finem imponere statuit, ratus ex ea re se magnam laudem consecuturum esse [a]. Sed Senatu pacem improbante successor Marcello

a *Appian. d. l. n.* 282.

cello in Hispaniam missus est *L. Licinius Lucullus*, qui *P. Cornelium Scipionem*, confectis postea bellis Numantino & Punico celeberrimum futurum, legatum secum duxit. Hic statim & gloriae, & magis etiam pecuniae inhians Vaccaeos, nullius offensae erga Romanos reos, invasit: &, licet nihil de ea re a Senatu ipsi mandatum esset, sociis tamen Carpetanis violatis auxilio se venire simulavit: atque ea occasione *Caucaeos* praelio vicit; & ab iis obsides, & centum talenta argenti † accepit. Sed cum petiisset, & impetrasset, ut praesidium Romanorum in urbem admitterent, universum mox immisit exercitum, omnesque sine aetatis discrimine trucidavit; summa quidem Romanorum infamia. *Intercatios* mox perfidiam ipsi istam exprobantes adortus est, ubi Scipio barbarum e Romanis unum, qui secum singulari certamine depugnaret, provocantem feliciter vicit. Atque ejusdem Scipionis mox apud barbaros tanta opinio virtutis exstitit, ut ipsius se fidei committere non dubitarent. Palantiam inde urbem frustra Lucul-

† *Philipp.* 60000.

lus tentavit divitiarum exſpectatione ductus. Iſque bello finis fuit; cujus cauſſa, licet iniquiſſime ſuſcepti, ne quidem in judicium Lucullus vocatus eſt. Circa idem tempus, aut paullo antea, Luſitani duce *Punico Manlium*, & *Calpurnium* Romanos Imperatores fugarunt multis, & inter eos *Terentio Varrone* Quaeſtore, occiſis. Ipſe Punicus non diu poſthaec ſaxo caput ictus periit [a]. Succeſſor vero ejus *Caeſaras* cognomine *L. Mummium*, eundem qui poſtea *Achaicus* dictus eſt, cum primum ab eo victus eſſet, mox converſus caſtris & praeda omni exuit. At Mummius, cum paucos, qui a clade ſuperfuerant, continuis exercitiis confirmaſſet ex improviſo barbaros adortus obtinuit victoriam. Inde Luſitanis etiam victis Romam reverſus triumphavit. *M. Atilius Serranus*, qui Mummio ſucceſſerat, vicit quidem Luſitanos, eorumque vicinos. Sed non ita, quin mox Atilio in hyberna profecto defecerint. Interea autem in provinciam venerat *Ser. Sulpicius Galba*: qui magna celeritate hoſtes ſuperavit: verum

A.U.598.

a *Appian. Hiſp. n.* 286.

rum dum imprudentius cum exercitu, incomposito ob lassitudinem agmine procedente, eos persequitur, a barbaris vicissim victus est. Paullo post Lusitaniam ingressus Galba (quam eodem tempore ab altera parte Lucullus Consul vastabat) insigni plane perfidia, atque spe pacis deceptos hostes immani crudelitate trucidavit. Pauci evaserunt; inter quos fuit Viriathus; qui fortissime per aliquot annos patriam suam contra Romanorum rapacitatem defendit: ut in sequentibus suo loco narrabitur. *A. U. 602.*

§. 2. Cum Liguribus per aliquot annos, aut dubia pax, aut languidum bellum fuit: quod tamen A. U. 587. acrius aliquantulum gestum fuisse videtur; ita ut subacti [a], imo deleti fuisse dicantur [b]. Certe etiam ex fragmentis marmoreorum fastorum, alterum Consulem C. Sulpicium Gallum de iis triumphasse intelligimus. Sed his temporibus triumphi ob caussas frivolas & indignas plane fuerunt concessi; ut aperte testatur & ridet Cicero [c]: quanquam utiliter sane id *§. 2. De bellisLigusticis.*

a *Liv. Epit.* 46. b *Obseq. de prod. c.* 10.
c *d. clar. Or. c.* 73.

Romanis evenit, ut bellis his levioribus, dum a gravioribus cessaretur, satis tamen opportunitatis daretur juventutem ad armorum usum, quantum opus foret exercendi. Idque optime in his bellis cum Liguribus fieri poterat, quippe qui loca aspera & durandis militum corporibus aptissima incolerent. Atque ita A. U.
A. U. 599. 599. Opimius Consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolin & Nicaeam vastabant, subegit. Verum, si quid porro de his bellis narrandum sit, id in sequentibus suis locis referetur.

FINIS PARTIS PRIMAE.



HI-





